Digitized by Google

Hi 9585

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

ANNO MDCCXXXIV publicata.

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Proſtant apud JO. GROSSII HÆREDES,

JO. FRID. GLEDITSCHII B. FIL.

ET

JO. CHRISTIANUM MARTINI.

Venduntur etiam Amſtelodami in WAESBERGIORUM & WETSTEINIORUM officinis.

Typis BERNHARDI CHRISTOPH. BREITKOPFII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Lectori amico Salutem!

In tristissima hac Germaniæ calamitate, inter atrocissimos hostium terrores, inter urbium eversiones, stragesque civium, servant adhuc antiquam sedem suam, & sub Potentissimi AUGUSTI, *Tutelaris Dei nostri, auspiciis, placidissime otiantur Musæ nostræ. Reponentes id merito in felicitatis nostræ parte maxima, absoluto feliciter præsentis anni curriculo, id nostrarum esse partium existimamus, ut Deum Optimum Maximum, tam benignum rerum nostrarum conservatorem, pie religioseque veneremur, &, ut perpetuam hanc nobis esse pacem jubeat, devotissimis precibus imploremus. Quibus votis, patriæ nostræ propriis, alia jungimus, magis Europæ universæ communia, ut, quam Martis improba consilia & insanus hostium furor abstulere, finitimis populis propediem reddatur candidissima temporum felicitas. Multum, quod inter omnes constat, non a patriæ tantum, sed ab exterarum etiam regionum, salute publica flos & incrementa literarum pendent. Sunt enim hæ fonti perenni similes, huc & illuc mittenti aquas suas, cujus si tu unam viam obstruxeris, omnem aquarum videbis cursum turbatum. Et male timemus* Actis *nostris, si, quod Superi avertant, in futurum etiam tempus potentissimæ gentes amica fœdera & jucunda pacis otia fastidiant, nec*

Digitized by Google

latius evagari hos, qui nuper demum excitari cœperunt, terribiles armorum ſtrepitus prohibeant. Nam, ſi ſuas in poſterum, ut cœpit, negare nobis divitias pergat Gallia, literis & doctrina gens florentiſſima, ſi & Italiam, quam inter medios bellorum tumultus ad hunc uſque diem amicam nobis munificamque experti ſumus, a noſtris commerciis ſucceſſu temporis iniqua potentiorum vis abſtraxerit, ſi, quæ præcipuum olim Actis *noſtris decus attulerunt, iis carere in poſterum fatali quadam neceſſitate jubeamur, ad nos ipſos perventuram publicæ calamitatis partem aliquam, nemo non intelligit Lectorum. Sed abſit infauſtus timor iſte, quem amor literarum, & rem eruditorum communem juvandi ſtudium, extorſit. Non inter Scythas truculentos, aut inhumanos Maſſagetas, vivimus; nec ab ea gente, quæ inde a tot Seculis jure ſuo omnis doctrinæ cultioris laudem obtinuit, interitum bonis literis ominabimur. Utamur igitur, qui nobis adhuc ſupereſt integer, vigore noſtro in futurum & ſequentes annos, &, nihil curantes, quæ procul a terris noſtris geruntur, in amœniſſimis his Muſarum viretis conſeneſcere, jucundum putemus. Tu modo, quem noſtri olim ſtudioſiſſimum habuimus, ſive Gallus ſis, ſive Italus, noli in poſterum formidare judicium noſtrum, nec fruſtra nos expectare elegantes ingenii tui partus patere; quin eam de nobis ſpem concipe, fore nos ſemper eo in loco, ubi literarum cauſa agitur, a partium ſtudio remotiſſimos, virtutemque, ut par eſt, in ipſo hoſte laudaturos.*

Digitized by Google

No. I.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii Anno MDCCXXXIV.

SEXTI AURELII VICTORIS HISTOria Romana, cum Notis integris DOMINICI MACHANEI, *EL.* VINETI, ANDR. SCHOTTI, *JAC.* GRUTERI, *nec non Excerptis* FRID. *SYLBURGII & ANNÆ FABRI F. curante JOANNE ARNTZENIO, JCto.*

Amstelodami & Trajecti Batav. apud Janssonio-Waesbergios & Jacobum a Poolsum, 1733, 4 maj.

Alph. 4 pl. 15, cum nummis Cæsarum incusis.

Doctissimus Editor, qui juvenem se dicit, & *tres studiis quondam suis moderandis triumviros* habuisse, Viros laude dignissimos, *Burmannum*, *Drakenborchium*, *Duckerum*, de Autoribus libellorum, qui eo, quem proposuimus, titulo comprehendi solent hodie, ita sententiam fert, ut primi quidem illius de Origine gentis Romanæ scriptorem putet posterioris ævi Grammaticum, qui ad junctos jam tum de Viris illustribus atque de Cæsaribus libellos origines Romanas ex variis Autoribus, ac præcipue ex *Virgilio*, collectas adjecerit. Porro alterum de Viris illustribus libellum antiquioris & politioris hominis ingenio deberi, qui *Cornelium Nepotem* mutilaverit, (quo nomine solennes illi diræ cum reliquis Epitomatoribus dicuntur Præfationis initio,) ita tamen, ut in plerisque verba ipsius retinue- Pag. 4.

 crit:

rit: ſed aliunde tamen etiam cum nonnihil adſueret, hinc turpiſſimos aliquot in Hiſtoria errores commiſit. Verus *Sextus Aureolus Victor* eſt is, qui de Cæſaribus ſcripſit, cujus epitomen fecit is, cujus ultimo loco poni ſolent *Excerpta ex libris S. Aurelii Victoris de vita & moribus Imperatorum*, in quibus tamen & ipſis multa ſunt a veri illius *Victoris* tum verbis, tum hiſtoriis, abhorrentia. In *Pitiſci* editione tum alia, tum hoc reprehendit Cl. *Arntzenius*, quod omiſſæ ſint *Schotti* Notæ, quoties deſcribere illas dignata eſt *Daceria*: &, ne putes, gratiam inire voluiſſe ipſum a belliſſima fœmina, eſt, ubi, propoſitis utriſque, vel potius iisdem, Obſervationibus, in rem præſentem deducuntur Lectores, ut, quantum licere ſibi voluerit *Anna*, intelligant. Scilicet eodem fato par conjugum illud uſum eſt, cum etiam *Feſti* editores Belgæ non dubitaverint *Scaligeri* pariter obſervata & *Dacerii* furta, (venia ſit verbo rudiuſculo, ſed quo in tali re uti ſolent Critici,) juxta ſe collocata oculis omnium exponere. Cl. *Arntzenius* *Schotti* Commentationes integras dare maluit, in *Annæ* autem Notis ea omittere, quæ ille jam occupaverat, eandemque rationem in *Sylburgii* Notis tenuit. *Vineti* *Gruteri*que Commentaria non ea cura videntur ſcripta Noſtro, qua a talibus Viris exſpectari debebat, ita plerumque levi manu, aliud agentes, hos Scriptores tractarunt. Enarrat deinde, quibus MStis ad ſuam editionem exornandam uſus ſit. In eo, quem textum vocant, exprimendo *Schotti* editionem ſecutus eſt, ita tamen, ut ab illo diſceſſerit, ubi ille conjecturas ſuas, veroſimiles licet, & fidei hiſtoricæ maxime convenientes, in contextum receperat. Diſtinctiones Capitum *Schotti* ſervavit, etſi interdum parum accuratas, ne turbaret eos, qui laudatum ab aliis locum requirere vellent. Adjecit, quod & ipſum jam factum a *Schotto*
Pag. 458. fuerat, *Nannium* de claris *Corneliis*, & *Sigonium* de vita *Scipionis*. Inſertum etiam eſt Monumentum Ancyranum cum *Lipſii* & *Caſauboni* Notis; maluiſſent quidam conferri illud cum *Gronoviana* editione in Memoria Coſſoniana. Index ampliſſimus debetur *Phil. Lud. Lotichio*, Scholæ Noviomagenſis Præceptori. Numiſmata Imperatorum revocata hic dantur, non

non, quod optaverint Lectores, denuo æri inciſa. Jam etiam ſpecimen quoddam expectant Lectores noſtri, unde de Cl. *Arntzenii* opera exiſtimandi facultas ſit. Notarum major pars pertinet ad comparandas voces & formulas *Victoris*, an *Victorum*? cum aliis cujuscunque notæ Scriptoribus antiquis. Ita v.g. ad *Vir. Ill. 63, 1*, de uſu vocabuli *aſſiduus* multa conduxit. *Ibid. 77, 6*, quoties *nunc* repetatur in talibus, *nunc hac parte, nunc illa*, oſtenditur: quemadmodum 77, 1, caput, manus *præciſa, exciſa*, proferuntur. Ad 58, 3, qui vocabulum *eſcendere* vindicaverint, laudantur; ad 58, 6, qui *corrigere* de moribus dixerint; ad *Cæſ. 41, 6*, qui *accipere* pro audire aut reſciſcere. Sed ſunt etiam Criticæ Obſervationes adſperſæ. Ita *Cæſ. 41, 12*, probare videtur conjecturam *Annæ*, *condendæ urbi formidandisque religionibus ingentem animum advocavit*, ubi legitur, *condenda urbe avocavit*. Quid ſi legamus, *formandisque religionibus*? Illud enim *Conſtantini* opus, quod hic in laudibus ejus commemoratur, eoque ipſo injicitur ſuſpicio, qui iſtæc & cetera de illo Principe ſcripſerit, non fuiſſe ethnicum. Vexatiſſimus eſt locus *Cæſ. 41, 20*, quem ita exhibet: *Alteros* (Nicæenſes) *Marcus Bojonius*, (h. e. M. *Antoninus* Philoſophus,) *afflixerat, quod Hipparchum præſtanti ingenio indigenam fuiſſe ignoraviſſent.* Qui de celebri Aſtronomo intelligunt, moroſæ cuiusdam ſævitiæ accuſant Imperatorem Philoſophum. Animadvertendumne erat in Nicæenſes, quod ignorarent, civem ante ſexcentos annos natum? Quidni etiam in Syracuſanos, qui *Archimedis* ſui ſepulchrum ab Arpinati homine diſcerent, ſæviit populus Romanus? Igitur certatim Editores de emendatione ſoliciti fuerunt. *Caſaubonus* conjiciebat, *fuſtibus necaviſſent*, vel *fuſtigatum necaviſſent*: *Gruterus, fuſte ignominiaviſſent.* Acute *Arntzenius*, ſi emendare ita placeat, etiam illud *indigenam* videt in *indignum* eſſe mutandum. Sed illud forte nimis philoſophon, quod ſubjicit: *Malim tamen retinere ego ſcriptam lectionem; quid enim mirum, ſi Imperator Philoſophiæ ſtudioſiſſimus tam ſupinam negligentiam & inſcitiam damnaverit, ut ſic bono præſidio in poſterum munita philoſophantium exiſtimatio, non*

ita facile negligeretur, ſibi tales poſſe vindicare cives. Nobis quidem, quid ſcripſerit, quidque ſibi voluerit adeo hoc loco *Victor*, in mentem non venire, fatemur; ſed, ob *ignoratum* poſt aliquot centum annos civem ſuum ea Nicæenſes pœna affectos a Divo *Marco*, qua ſublata, *Conſtantinus* laudem meruerit, illud concoquere vix ac ne vix quidem poſſumus. Sed videamus etiam alia. De *Orig. G. R. Cap. 20, 1,* de conditorum Romanorum matre legitur nunc, *a Marte compreſſam*, conturbatamque, *mox recreatam conſolatione Dei, &c.* Cl. *Arntzenius* non male putat legi poſſe *conſtupratamque.* Sed præter verbum *recreatam*, quod apte cadit ad *conturbatam*, nobis non fit probabile, uſurum fuiſſe Autorem verbo illo majorem turpitudinem atque indignitatem ſignificante, quam quæ in Martem ipſiusque factum, interpretatione quidem iſtorum hominum, cadat. Bene eſt, quod ipſe Vir doctus non multum tribuit alii conjecturæ, ubi ejusdem libelli *Cap. 21, 2,* legi poſſe putat ita, *unde & ejusmodi loci, in quibus* nudæ (de *lupis*, h. e. quæſtuariis mulierculis, ſermo eſt,) *conſiſtunt, lupanaria dicta;* ac laudat, qui doceant, *nudas ſtetiſſe* meretrices. Sed bene eſt, inquam, quod ſententiæ accommodatius fatetur pro illo *nudæ* relinquere *hæ.* De *Caſ. 61, 4 Denique Conſtantinus cunctos hoſtes,* (intellige, qui fuerant tales,) *honore ac fortunis manentibus* texit, *recepitque.* Putabamus, *texit* hic eſſe in fidem recepit, tutos a collegis ſuis vel conſiliariis præſtitit. Sed mavult Noſter *rexit*, quod interpretatur, mite in eos imperium exercuit. *Caſ. 42, 3, Quod fere vix aut multo ſanguine obtinendum erat, eloquentia patravit,* legitur: ſed pro ultimo verbo Noſter *paravit* legi poſſe putat; ſi non vere, certe eleganter & ingenioſe. Melius enim ſane ſibi reſpondent *obtinendum* & *paravit.* De *Orig. G. R. Cap. 20, 3: puerorumque vagitu lupam excitam, quæ repente exierat:* conjicit, *raptum ierat*, vel *exierat.* Recte ita dici, copioſe deinde probat, prolatoque Grammaticorum canone, *ſupina in* um *finem notare*, laudatoque non *Perizonio* tantum ad *Sanctii* Minervam, quem honoris cauſa etiam nos appellamus, ſed producto magno agmine teſtium, qui *raptum, venatum, dejectum,* &c. *ire* dixerint: quemadmodum etiam lau-

laudat ad *Orig. G. R. 13, 2, Guntheri* Latinitatem reſtitutam, utiliſſimum profecto ſtudioſæ Latinarum literarum pueritiæ ac juventuti libellum. Sed viderit Cl. Vir, an bene conveniant iſta verbis, quæ in Præfatione poſuit: *Si res mei fuiſſet judicii, magna parte* Machanei *&* Annæ *caruiſſet hic liber; non enim tales editiones* Farnabios Minellios*que deſiderant, qui ad inferiora ſubſellia detrudi debent, neque hæc tempora poſtulant, quibus clariori lumine fruimur, quod ſæpe magis obſcuratur, quam illuſtratur inficetis Grammaticorum expoſitionibus.* De reliquis nihil nunc dicemus. *Farnabii* manibus parci optemus, cujus felix opera in Poetas impenſa plus plerumque lucis affert ad obſcura illorum loca intelligenda, quam longi & ambitioſi quorundam centones, doctiſſimique adeo Commentarii; ſed qui tum fere deſtituunt lectorem, ubi nodus vindice dignus incidit. Nondum dimittimus librum, Bibliothecas ornaturum in poſterum. *De Viris ill. 77, 11: Jamque defuncti* (Pompeji) *caput gladio præciſum, quod uſque ad ea tempora fuerat* ignoratum. *Adoratum* ediderat *Aldus*; *Schottus* dixerat, in luce caligare, qui *ignoratum* præferant. Cl. Editor negat ſe libenter *cæcum numen adorare, quod in aliorum cerebro natum, publicæ ſuperſtitioni exponatur*; retinetque, ut diximus, *ignoratum.* Nimirum ignotum fuiſſe ait gladii uſum in abſcindendis capitibus ſub libera Republica, laudatque verſus *Lucani 8, 672*, de eadem re canentis:

Tunc nervos venasque ſecat, nodoſaque frangit
Oſſa diu; nondum artis erat, caput enſe rotare.

Reddit Poeta, ut nobis videtur, rationem ſatyricam, certe amaræ cujusdam exprobrationis plenam, cur diu laboraverit *Septimius* in collo *Pompeji* gladii ope abſcindendo. Nondum ita ſolenne fuit ea tempeſtate, atque deinde ſub Imperatoribus factum eſt, *caput enſe rotare.* Non igitur hoc ſibi vult, ſupplicium gladii in *Pompejo* primum inventum. Series tota orationis aliud loquitur; ſed poeticam imaginem proponit, & ſuo more ſui ſeculi mala tangit. *Victor* autem, ſi quid videmus, notat ſubitam fortunæ cataſtrophen, quæ caput paulo ante *adoratum* ita abjecerit. Et quidni *adoratum* dicat, cum

Digitized by Google

Lucanus 8, 115, scripserit ex persona *Lesbiorum* invitantium *Pompejum*, ut apud se divertere vellet: *Fac, Magne, locum -- quem veniens hospes, Romanus* adoret. Et *vs.* 494 metuisse ait classem *Pompeji*, *ne submissis precibus Pompejus* adoret *sceptra sua donata manu.* Est similis loquendi ratio, qualis *Hom. Il. X,* 405: -- κάρη δ' ἄπαν ἐν κονίησι Κεῖτο πέλωρ χαλεόν; aut *Senec. Suasor.* 7: *Ut vero positum in rostris caput* Ciceronis *conspectum est, quo toties auditum erat loco* &c. Falsum profecto dixit *Victor*, si dixit, gladii ante eum diem non fuisse usum in abscindendis hostium capitibus, nisi forte Davides securim adhibuit, aut reliqui omnium gentium homines, qui interfectorum hostium capita retulerunt. Nam de supplicio gladii apud Romanos alia res est. Igitur non diffitemur, multo probabilius nobis videri, quod *Aldus* & *Schottus* dedere, *adoratum.* Non ægre feret Vir humanissimus, hic indicari dissensum etiam nostrum: cum moderatæ talium rerum disputationes plus prosint & ipsi & Lectoribus, quam fatuæ laudes. Tanto fidentius etiam illud adjicimus, a norma loquendi discedere nobis ipsum illud ad *Vir. Ill.* 77, 12: *Si* alternis vicibus *hac vel illa vox probanda sit, ego malim,* jactatus. Volebat, *si alterutra vox probanda sit.* Tale etiam videbatur nobis, quod ad *Cæs.* 41, 1, ponit, *ab aliis secutus*, pro isto, *quem sequuntur alii.* Ceterum modestiam Viri docti amamus, cum non facile adduci se patitur, ut conjecturam, etiam felicem, in contextum orationis recipiat, v. g. ad *Vir. Ill.* 76, 5: *Ego*, inquit, *malo garrientem dare* Aurelium, *quam aliorum bene inventa contra veritatem apponere.* Gratulamur Viro Clarissimo primum Opus, quo meliora etiam quin in posterum daturus sit, ipsius ingenium, præceptores, amici, diligentia, & ingenuus quidam candor, dubitare nos non patiuntur.

HISTOIRE DES PAPES DEPUIS S. PIERRE jusqu' a Benoit XIII inclusivement.

h. e.

HISTO-

HISTORIA PONTIFICUM ROMANORUM, inde a S. Petro ad Benedictum XIII.

Tomus I & II.

Hagæ Comitum, apud Henr. Scheurleer, 1732, 4 maj. Alph. 6 pl. 22.

Vitæ & res Pontificum Romanorum non uno ſcopo pactoque conſignari & edi ſolent. Qui intra ſepta Eccleſiæ Romanæ degunt, præmio laudibusque videntur indigni, ni ad guſtum Præſidis ſeſe attemperent. Rari apparent nantes in gurgite vaſto, quoties Imperatorum Regumque jura videntur non negligenda. Gallorum acumen & ſimilium limpidior judicii vena nunquam autoritati Regis ſui & Epiſcoporum nec non Conciliorum magis favere, quam modulos veritatis ad tempora & auram Romanam conformare, ſtuduerunt. Singulis horum inhæret affixa veneratio pietatisve ſpecies erga Epiſcopos Romanos. Unde fit, ut non ſatis diſtinguant Epiſcopos Romanos, qua homines, qua cœtus humani conſortes, qua dominos terrarum, qua Epiſcopos ſuæ diœceſeos, qua præſides rei ſacræ, qua Theologos, qua Politicos, qua ſtatus ſui ſervandi artifices. Qui extra conſortia Eccleſiæ Romanæ vitam agunt, odio plerumque laborant innato in Pontifices, ideoque in alteram eamque contrariam partem facillime deflectunt, quoties, calamo arrepto, Hiſtoriam Paparum attingunt. Reſtat illud eruditorum genus, quod pro unica meta veritatem, æquitate conditam, amplectitur, ſepoſitis tantiſper variis religionum diſtractarum modulis. Rarum hoc eſt ferculum & phœnicibus comparandum. In hiſce tamen nomen ſuum profitetur hujus de Papis Romanis Hiſtoriæ Autor. Cauſæ Imperatorum & Regum ipſe eſt ſtudioſus. A cruentis atrocibusque hæreticorum inſectationibus abhorret. Papam Romanum errare non poſſe, ſibi non perſuadet. Orationem adhibet

hibet compositam, nitidam, sponte profluentem. Genus scribendi est jucundum & pragmaticum. Testes laudat fide plenos & præcipuos. Rationibus utitur plerumque sat luculentis, inprimis ubi de re graviori differit. Ordinem Chronologicum curate servat. Scripta supposita a genuinis distinguit. *Platinam*, *Dupinium*, *Fleurium*, *Norisium*, aliasque primi splendoris stellas, ita illustrat, & in ordinem labantes redigit, ut a moroso Criticorum supercilio sit remotissimus. Nanos velitesque præterit. Quantum religio dominans a vi & potestate humana traxerit adminiculorum, egregie perorat, nihilque facit reliqui, quo Lectorem doceat, mulceat, retineat. Fraudes, pietatis & sanctitatis larva fucoque conscientiæ oblinitas & abstrusas, ubique in lucem protrahit; ambitionem Cleri immoderatam notat; donationes Principum sacras circumcidit. In Præfatione, cujus finis Parisios ostentat, Autor sese appellat Pontificium, & propemodum Philosophis licentiosis accedit, qui propagationem & miranda Christianæ religionis incrementa plebi, novarum rerum avidæ, tribuunt. Quod ut
Pag. 8. lectori persuadeat, ad initia sectarum recurrit, quarum flos nullus emerserit, antequam radix inter martyria & persecutionum moles sustentatas fuerit defixa & solidata. Arbitramur, secernendam esse veritatem religionis Christianæ a vitiis eam propagantium. *Jansenistarum* partibus Autor sese videri voluit addictum *Tom. I p. 183.* Laudat *Quesnellium p. 171*, tradens, horrendis imputationibus scatere Bullam Unigenitus,
165. licet eam *Clemens XI* ediderit. Conqueritur, Reges Galliarum Hugonottis consectandis manus præbuisse auxiliatrices, *p. 224.* Cum vero, *Augustinum Pelagii* sententiis alienum affinxisse sensum, docet *p. 171*, *Jansenistam* ex animo agere non videtur, sed potius *Joannis Clerici* discipulum. *Pelagianos* & *Nestorianos*, nondum intellectos, crimine hæreseos adspersos esse, tradit *p. 209.* Dubitatio proinde exoritur, an Autor sit Pontificius, isque *Jansenista*. Philosophum diceremus eum, & quidem Politices studiosum, fortassis cum aliqua probabilitate. At, quoquo modo sese res habeat, politissimum scriptorem sequi placet, & potiora ex eo delibare, ut

Lector

Digitized by Google

Lector ex fimbria de texto, & ex ungue de leone judicare poſſit. De *Petro* ea, quæ ſunt certa, proferuntur; conjecturæ fallaces ac ruinoſæ ſuccincte recenſentur & notantur. Pag. 4 ſeq.
Circa primatum *Petri* monentur varia. Dabimus pauca. Singuli Apoſtolorum exſtiterunt lapides fundamenti. *Petrus* Romæ haud fuit Epiſcopus. En argumenta. Nullus in N. T. 7.
locus id comprobat. Traditiones hiſtoricæ ſeriores ſæpius vacillant. Indoles Apoſtolatus minus favet functioni Epiſcopali ſuſtinendæ. *Paulus* jam Romæ fuit moratus, *Petro* ibi nondum conſpecto, ſi hic unquam eo acceſſit. Interfuit Epiſcoporum Romanorum, ut *Petrus* crederetur primus Romanorum Pontificum. In ejus enim jura ampliſſima voluerunt hi ſucceſſiſſe. *Simonem Magum* precibus Romæ confuſum & ex aere præcipitatum, fabula eſt, orta ex ſtatuæ honoro, *Semoni Sanco Deo* in Tibride poſitæ, a *Juſtino Martyre* adoptata, viresque nacta eundo. *Papias*, vir judicii exigui, *Petrum* Romam acceſſiſſe, primus commemoravit. *Clemens*, eo antiquior, itinera *Pauli Petri*que enarrans, adventum *Petri* in occidentales terras tacet, a cujus inſtituto haud erat alienum, docere, ſeſe *Petri* eſſe ſucceſſorem. *Euſebius* & *Hieronymus* cenſuerunt, *Petrum* ſcripſiſſe priorem Epiſtolam ſuam Romæ, quæ per *Babylonem*, qua, obſecro, veriſimilitudine? ſit intelligenda. In Synodo Hieroſolymitana ſuffragio *Petri* principatus nequaquam fuit attributus. *Petrum*, quem *Paulus* erroris convicit *Gal. II, 9*, nonnulli pro Cepha diverſo, u- 11.
no e LXX diſcipulis, habent. At vulgata, Tridentinis approbata, habet: *Petrus. Hieronymus Petrum* intellexit, &, *Pe-* 12.
trum a Cepha fuiſſe diſtinctum a *Porphyrio* demum, tradidit. *Gregorius Magnus*, Commentarius *Anshelmi*, *Dorotheus Ty-* 13.
rius, aliique, *Cepham* ac *Petrum* pro eodem reputant. Chronologia *Harduini* in hoc momento eſt conficta. *Fleurius Hiſt. Eccl. Lib. II Cepham* a *Petro* non diſcernit, præeuntibus *Baronio* & *Bailleto*. *Petrum* Romæ defunctum nece cruenta, ſcriptoribus ætate ſupparibus eſt incompertum. *Guilielmus de Linde*, Epiſcopus Ruremundenſis, exeunte Seculo XVI ſub nomine *Petri* edidit Liturgiam ſeu Miſſam Apoſtolicam. Sed 15.

 Cardi-

Digitized by Google

Cardinalis *Bona*, Opusculum id esse suppositititium, evicit. Est
enim farrago ex Missali Romano & Liturgiis, quæ sub nomi-
nibus *Jacobi*, *Basilii* & *Chrysostomi* circumferri solent. Sup-
Pag. 18. positor Seculo XVI vix est vetustior. De *Lino* omnia sunt in
incerto, præterquam quod una cum aliis doctoribus, ordinis
ac dignitatis æqualis, Christi ovile Romæ virtutibus illustrave-
rit. *Clemens* fuit Romanorum Christianorum primus, qui,
teste fama, martyrio occubuit. *Telesphorum* gladio primum
periisse, omnes ad Seculum usque nonum ob *Irenæi* testimo-
nium crediderunt. *Usuardus* & *Ado* nova & olim incogni-
20. ta finxerunt. *Linum* de *Vita Petri* scripsisse, *Platina* falso
existimavit. Liber ipse nusquam exstat. *Pontificali Doma*,
nonnulla de Episcopis Romæ primis memoriæ sunt prodita,
21. quæ fere omnia sunt infra fidem. *Martinus Polonus* frustra
Cleto tribuit usum formulæ Epistolicæ : *Salutem & Aposto-
licam Benedictionem.* Seculo demum VII *Joannes V* & *Ser-
gius I* eam adhibuerunt. Constanter ea uti cœperunt *Leo IX*
22. & *Gregorius VII.* *Clemens* sese vocat filium *Jacobi*. Qua-
re patre procreatus est Judæo. Alius est obvius *Phil. IV, 3.*
Recognitiones & *Constitutiones Apostolicas* esse Opera *Clemen-
ti* supposita, dudum inter omnes constat. *Clementem* hunc
23. esse Autorem Epistolæ ad Ebræos, quam *Paulo* tribuimus, pa-
tescere videtur ex similitudine vocum & phrasium, quæ in E-
pistola *Clementis* ad Corinthios enitescunt. Epistolas decre-
tales ad Siricium usque esse confictas, tam clare nunc patet,
28. quam id, quod in disco solis scriptum. *Pagius* id solide osten-
dit. De *Anacleto* singula sunt incerta. Ritus dedicandorum
templorum tarde satis ab ethnicis in Ecclesiam Christianam
29. transiit. *Alexander I*, cruento martyrio haud perfunctus, ab
Ecclesia posteriori perperam Martyribus est adscriptus. *Sixto
I* frustra tribuitur formula : *Sixtus, universalis Apostolicæ
31. Ecclesiæ Episcopus, omnibus Episcopis in Domino salutem.* *Te-
lesphorus* A. 154 cruento obiit martyrio, testibus *Irenæo* &
32. *Tertulliano.* Epistola, quæ *Aniceto* Papæ tribuitur in *Concil.
T. I p. 580*, consarcinata est ex *Leonis* Papæ Epistola XXXII.
38. Reprehendit Autor morem, *Hieronymo* probatum, Theologo-
rum

rum nonnullis apprime familiarem, ſcilicet amplificandi he-
roas & imagines reclamante veritate, dummodo adverſarios
liceat denigrare. *Eleutherus* Papa ad *Lucium*, Britanniæ Re-
gem, haud ablegavit Evangeliſtam. *Gregorio M.* is honor
eſt reſervandus. Notatur porro indebita Martyrum multipli-
catio. *Victor I* regulas modeſtiæ, & poteſtatis Epiſcopalis Pag. 41.
terminos, Epiſtolis in Quartadecumanos Aſiaticos editis, mi-
gravit, oſtendente & notante *Irenæo*. *Antonino* adhæſit no-
men *Pii*, eo quod ſingulas toleravit religiones. *Zephyrinus* 44.
Papa in cœtum Chriſtianum anxie circumſpexit, ex exemplo
Victoris, dominatum. *Tertullianus* ad Montaniſtas transfu- 46.
git, offenſus prava Clericorum Romanorum ambitione, ac
Zephyrinum mollitiei relaxatæque diſciplinæ eccleſiaſticæ ac-
cuſavit, quem recentiores temere pro Martyre reputarunt. *A-
lexander Severus* favit Chriſtianis, eisque templa publicumque 49.
religionis exercitium indulſit. Mater ipſius *Mammæa* nomen
Chriſtianæ religioni dederat. Hinc illa indulgentia. Credi-
bile videtur, peculiaria tum a Chriſtianis cœmeteria fuiſſe
comparata. Sub *Urbano I* ſacerdotes cœperunt annua tene- 51.
re ſtipendia. Acta Martyrum circa annum 237 *Anteros* qui- 54.
dam cœpit colligere. *Philippus* Cæſar non fuit Chriſtianus.
Seculo III univerſi Epiſcopi nomine Paparum venere. *No-* 59.
vatianus ad hæreſin delapſus, quia ſpe Epiſcopatus Romani
obtinendi exciderat. Quoties ea iteratur fabula? *Cyprianus* 65.
Baptiſmum, ab hæreticis ſuſceptum, pronuntiavit invalidum,
nec eam opinionem unquam mutavit. Nihilo ſecius ipſe nu-
mero Martyrum in Eccleſia Romana adſcriptus. *Stephanus* 66.
I dominatui in Eccleſias Hiſpanicas & Africanas jam inhia-
vit. *Laurentium* Martyrem Autor incuſare videtur immo-
deſtiæ & obſtinationis, Præfecto Romano exhibitæ, indeque 71.
adſcitæ mortis temerariæ. Quot, quæſo, appellati ſunt *San-
cti*, qui magiſtratui legitimo oblatrarunt? *Dionyſius* amba- 72.
bus excepit provocationem quorundam Ægypti Chriſtianorum
ad arbitrium Epiſcopi Romani. Ipſi falſo *Dionyſium*, Epi-
ſcopum Alexandrinum, negatæ Chriſti cum patre conſubſtan-
tialitatis inſimularunt. *Dionyſius* hic refutavit Nepotis, Epi-

ſcopi Ægyptii, jam defuncti, opinionem de millenario, eoque
Pag. 73. adſpectabili, Chriſti in terris regno. *Paulus Samoſatenus*, Epiſcopus Antiochiæ, *Zenobiam*, Palmyræ Reginam, capita doctrinæ Chriſtianæ docuit, traditis de Chriſto præceptionibus, tanquam de nudo homine. Epiſcopi Orientales, ea de cauſa Antiochiæ congregati, eum *lupum rapacem* dixere. *Mani-*
77. *chæi* exſtiterunt primi, qui ſacram cœnam ſub una adminiſtra-
82. verunt ſpecie. Diſceptatum inter Epiſcopos de principatu loci & dignitatis ante perſecutionem *Diocletianam*. Autores
83. Pontificalis I & Breviariorum Romanorum, *Platina*, aliique, referentes, *Marcellinum* thura cremaſſe idolis, atrocitate inſectatorum in præceps actum, Epiſcopos Romanos falli non poſſe, negarunt. *Theodoretus* tamen *Hiſt. Eccl. Lib. 3*, *Marcellinum*
89. in perſecutionis æſtu perſtitiſſe conſtantem, memoravit. A tempore *Tertulliani* unctio baptiſmati addita, nec non guſtatio mellis ac lactis, atque crucis ſignatio, repetita fuit. Pædobaptiſmus ſemper valuit, ſecus ac ſenſit *Godofredus Arnoldus*, qui dudum apud prudentes rei hiſtoricæ æſtimatores omnem fidem decoxit. Seculo III Baptiſmus differri cœptus: Euchariſtia infantibus præberi cœpit: altare proprie dictum exſtitit nullum. Conferenda hic tamen eſt *Voigti Thyſiaſteriologia*. De Patriarchis, Archi-Epiſcopis, & Metropolitis altum fuit ſilentium. Lapſis, ad pœnitentiam reverſuris, publica Confeſſio indicta. Ea eſt origo Confeſſionis auricularis, quæ hinc tandem exorta. Epiſcopis majorum urbium ſeſe Presbyteri ſubjecerunt vicini. Synodus Eliberitana, A. 305 in Hiſpaniis coacta, ſanxit, ne quis interdiu in ſacris lucernas
90. accendat. Ritus enim hic Ethnicis erat proprius, qui tamen ſenſim in Eccleſiam irrepſit. Uſus imaginum, præcipue Jeſu Chriſti, jam Seculo tertio, ſecus ac *Jo. Dallæo* & *Jac. Frid. Reimmanno* viſum, in domicilia Chriſtianorum ſacra ex more Ethnicorum & Hæreticorum fuerat translatus. Conf. *Theodori Haſæi* Diſſert. *de Statua Paneadenſi P. III §. 22 p. 417 ſeq.* in *Sylloge Diſſert. & Obſervationum philologicarum.* At Synodus morem jam tum invaleſcentem & extraneum ſuſtulit.
92. Quantum hic ſeſe torquent *Baronius* & *Fleurius*! *Bailletus*,

eo

Digitized by Google

eo quod permultis Sanctulorum detraxit fabulas Legendarum, a Gallis appellatur *le denicheur des Saints.* *Melchiades* Papa *Constantinum* irritavit in *Maxentium.* Si hic illum vicisset, de religione Christiana persecutorum atrocitas triumphasset. *Constantinum* signo crucis, in cœlis viso, in Christiana religione fuisse confirmatum, hic asseritur. *Melchiadæ* moderatio erga Donatistas superat laudes omnes. *Constantinus M.* convocavit contra Donatistas Concilium Lateranense. Assessores Concilii acta arbitrio Cæsaris submiserunt. Cœlibatus sacerdotum ob tolerandam persequentium violentiam jam Seculo III cœpit magni æstimari. Restabat tamen quædam licentia ducendi potius uxorem, quam impuris litandi flammis. Concilium Ancyranum A. 313 prohibuit, ne quis Presbyterorum victum carnis & juscula carnibus imbuta effugeret. Fanaticos errorumque petulcos magistros moderatione non semper ad saniora reduci posse, Donatistæ suo docent exemplo, qui, lenitate *Constantini M.* abusi, a furore suo, in deprædationes tandem erumpente, non nisi legibus durioribus poterant revocari. *Godofr. Arnoldus*, qui Donatismo olim pressit pollicem, ex hac coercitione in *Constantinum M.* indubie asperior redditus fuit. Si *Constantinus* non nisi Mysticos, Platonicos, Donatistas, & Fanaticos patrocinio dignatus esset, quanti tum ductus foret ab *Arnoldo?* Cultum Dei, die solis publice testificandum, serio edixit idem *Constantinus.* Edictum ejus de licentia legandi aliquid usibus rei Christianæ sacris, probabiliter fictæ donationi *Constantinianæ* locum fecit. Memorabile est, *Constantinum* altercantibus permisisse facultatem deferendi lites mutuas ad Episcopos, & acquiescendi in decretis eorum, indubie ex jure compromissionis. Hinc Politici Cæsarem carpunt; Theologi contra eundem, licet vitæ nec puræ satis, nec cautæ, esset, collaudant. Fœminas, præcipue aulicas, sectis novis sublevandis (*) pondus plerumque addere, exemplo suo testatum fecit *Eusebius*, qui, ad genium aulæ accommodatus, hac arte per fœminas, facile illaqueari & trahi solitas, *Ario* consuluit. Nihilo secius ob majorem Anti-Aria-

Pag. 95. 96. 97. 100. 102. 103.

(*) Confer exempla *T. I p. 369, 372 seq.*

rianorum numerum sententia in *Arium* stricta. Insulsum Cæsaris ejusdem est decretum, quo Arianismum professi a pœnis erant immunes, possessores vero librorum *Arii* plecti jubebantur. *Hosium* præsedisse Concilio Nicæno, *Gelasius Cy-*
Pag. 104. *zicenus* testatur una cum *Baronio* & *Fleurio*. Formula confirmationis Concilii, quæ *Silvestro* tribuitur, est supposititia. Secta Valesianorum arte faciebat Eunuchos. Synodus artem
105. illam sustulit, & malignam pronuntiavit. Suadet Autor, ut hæc ars in Monachos cœlibes exerceatur. Addit rationem: *Cela préviendroit assurement beaucoup de desordres. Mais, peut-être aussi qu'en ôtant le scandale, on depeupleroit les Etats Catholiques; & les mariages ne seroient peut-être pas si féconds, si tous les Moines étoient Eunuques. Il parcit du moins, qu'on en est assez persuadé en France, puisque rien n'est plus commun dans les querelles du peuple, que de s'en-*
107. *tendre appeller Enfant le Prêtre.* Belli sales! *Paphnutius*, qui legi de cœlibatu Sacerdotum rogandæ intercessit, fuit Episcopus Thebaidis superioris. Seculo IV Papa Romanus controversias, quibus ipse forte attentabatur, ad Cæsarem detulit, ejusque stetit decretis. In ecclesiasticis Papæ standum fuit decretis Conciliorum. In lite Athanasiana ne verbum quidem de decisione Romani Pontificis inauditum. Epistola
108. Episcoporum Ægyptiorum ad *Marcum* Papam, quæ in Operibus *Athanasii* apparet, est supposititia, *Pagio* non diffitente.
109. Ex eo, quod *Constantinus* ad mortem distulit Baptismum, fit verosimile, ipsum, rationibus politicis & firmitate sectatorum Christi inductum, nomen religioni dedisse Christianæ. Idem in Præfatione transitum *Constantini* ad Christianorum religionem vocat *conversionem politicam*. Licet vero eadem sententia Mysticis nonnullis jam placeat, nemo tamen Fanaticismum ostendit plus nocere rei publicæ & societatibus humanis, quam laudatissimus Autor. Imaginem Fanaticismi in *Gregorio M.* repræsentavit singularem. At quomodo hæc cohærent cum signo cœlesti, quo *Constantinum* Autor ad hanc religionem suscipiendam commotum tradidit? *Zosimus* judicat, Cæsarem crimina admisisse summa, a quibus sacerdotes Ethni-

Ethnicorum eum ſolvere noluerint; Chriſtianos vero ſeſe
abſolutioni impertiendæ obtuliſſe promtos, ut perſecutoribus
vim humanam opponerent. Sed unius actionis plura
poſſunt eſſe invitamenta, quæ vulgo vocant motiva. Qui Se-
culo IV ſacræ cœnæ intererant, univerſi ſymbolis veſcebantur
euchariſticis. *Julius* Papa circa A. 341 ſibi dictaturam in E-
piſcopos Orientales arrogavit. At hi eam firmiſſimis retude- Pag. 111.
runt argumentis, quæ exſtant apud *Socratem* & *Sozomenum*.
Urſacius & *Valens* *Julio* Papæ fecerunt fucum, ut *Athana-
ſium* eo vehementius vexarent. Papa igitur falli poteſt, i- 113.
mo erravit, dum hoſce orthodoxiæ infeſtos in communio-
nem eccleſiaſticam ſuſcepit. *Liberius* Arianiſmo favit, & hoc 114.
pacto ſibi jurisdictionem in *Athanaſium* arrogare tentavit, ſi-
milis *Petri* eo ipſo, quod in abnegationem æternæ Chriſti 118.
divinitatis prolapſus eſt, uti ipſe ſcripſit, (a) *libenti animo*, eum
in finem, ut ex exilio in ſedem Epiſcopalem poſſet redire.
Hilarius, Epiſcopus Pictavienſis, eapropter tria in *Liberium* 119.
anathemata evibravit, eumque appellavit *prævaricatorem fi-
dei*. Hæc exquiſite ediſſeruntur, ſolide comprobata, ut mi-
rari ſubeat, qua fronte *Maimburgius* *Liberio* tantam macu-
lam demere auſus fuerit, quam non diffitentur *Pagius*,
Baronius, *Fleurius*, *Bailletus*, *Larroquius*. Illico mundus in-
gemuit, admiratus, ſe tam ſubito evaſiſſe Arianum (b). Ubi-
nam tunc hæſit Eccleſiæ orthodoxæ univerſalitas & amplitu-
do? Martyrologium *Hieronymi* habet *Liberium ſanctum*. 121.
Sed is ex Romano eſt ejectus. *Felix* Papa, quem Ariani A-
rianum *Liberio* ejecto ſubſtituerunt, ex Edicto *Conſtantii* Cæ-
ſaris cum *Liberio* reduce ac recepto ſociare curas & regimen
debebat. *Optatus* & *Auguſtinus* *Felicem* in Papis non nume- 122.
rant. In Martyrologio Romano *ſanctis* aggregatur *Marty-
ribus*. Arte ſingulari & inſcriptione fortaſſis efficta A. 1582
denuo *Felix* locum inter Martyres obtinuit, ille, quem *Atha-
naſius monſtrum nequitiæ & Anti-chriſtum* appellaverat. *Da-* 123.
maſus fuit electus inter ſchiſma ſeditioſum, more minus Apo-
ſtolico,

(a) Concil. *Tom. III p. 751.*
(b) *Hieron. adv. Lucifer. Cap. 7.*

ſtolico, quem *Ammianus Marcellinus* & *Prætextatus*, Romæ
Pag. 124. Præfectus, ſalſe exagitarunt. *Gregorius Nazianzenus Orat.*
32 luxum Epiſcopi Romani vehementer perſtrinxit, & ſocie-
tatem Clericorum ejus vocavit *Senatum Phariſæorum.* Ac-
cuſatus fuit *Damaſus* adulterii, nec infamia illa fuit plene re-
127. pulſa. Avaritia & fraudes Clericorum jam tum Romæ inva-
128. luerunt, quas reſtringendas ipſi cenſuerunt Imperatores (*).
Ut *Damaſus Valenti* Cæſari velificaretur, in Arianos cœcutiit.
129. Ferociam *Damaſi Baſilius Ep. 10* graviter notavit. Donatiſtæ
tum Epiſcopum ſuum habebant Romæ, qui ſibi gregem in ca-
131. vernis montium juxta urbem colligebat. *Apollinaris* cum ſe-
ctatoribus ad conſcios duntaxat errores ſuos enuntiabat, de
134 ſeq. cetero lingua utebatur eccleſiaſtica. *Valens* & *Valentinia-*
nus, Cæſares, Epiſcopo Romano prærogativam decidendi
controverſias tribuerunt. Priſcillianiſtæ, ut nuper *C. V.*
Tuchtfeldius, per fœminas curioſulas ſectam ſibi emendica-
137. runt, amplexi emanationem animæ ex Deo, & tribuentes dia-
bolo poteſtatem in mundum, reprimi neſciam. Hominem na-
turaliter ſubeſſe ſpiritui aſtrali, iidem dictitabant. Myſticiſ-
mum allegoricum, & apocrypha, ſpiritumque fanaticum, dea-
mabant. Dogmata ſtolidiſſima per diſciplinam arcani propa-
gabant, perhibentes: *Jura, perjura, ſecretum prodere noli.*
De miraculis *Damaſi* Autor conciſe judicium ſuum ita expri-
139. mit: *Quanti hæc ſint facienda, eruditi norunt.* Picturæ tum
nondum adoratæ, ortæ ex vitris pictis, quibus Chriſtiani ute-
140. bantur. *Syricius* ſucceſſit *Damaſo*, confirmatione *Valenti-*
141. *niani* adjutus. Ipſius Epiſtola decretalis eſt prima e genuinis.
Ipſe ſanxit, ne quis uxorem, alteri jam deſponſatam, duceret.
Cœlibatum Clericorum edixit, ut eos redderet Hierophantas
143. & Gallos. Applauſit *Hieronymus*, avaritiæ Clericorum teſtis
locupletiſſimus, qui Romam vocavit *Babylonem.* *Syricius*
damnavit Manichæos & *Joviniani* ſectatores, indicta cauſa,
viribusque omnibus externis exuit. *Theodoſius* Paparum erat
147. mancipium. Epiſtola quarta *Syricii* eſt ſuppoſita. *Anaſtaſius*
157. *Ruffinum* ad cauſam dicendam non vocavit in jus Romam,
ut

(*) Cod. *Theodoſ.* L. XXVII de *Epiſc.* & *Cleric.*

ut visum *Baronio.* Laudatur *Pictetus*, quantum ad votum Pag. 163.
castitatis attinet. *Innocentius I* ethnicis Romanis sacrificia
permisit, ut populum ab *Alarico* obsessum palparetur. *Au-* 167.
gustinus fuit ingenio minus systematico, unde centies sibi
contradixit. A *Pelagio* verbis tantum initio dissidebat. Dee- 171.
rat ei moderatio & lentor animi. *Innocentius* docuit, ab hæ-
reticis ordinationem ecclesiasticam recipi non posse. *P. le
Courrayer* nuper docere sustinuit, ordinationem Anglicanam
esse validam. At ea sententia ipsum ad fugam adegit, qua se-
se nuper in Angliam contulit. A. 415 *Innocentius* aperte cœ-
pit favere reliquiarum cultui, & in dies sibi jurisdictionem in
ceteras Ecclesias majorem attribuit. Anathematismus in er-
rores, sæpius minoris momenti, ubique in morem transiit.
Augustinus autoritatem Papæ mirifice adjuvit, totusque fuit
in *Pelagio* insectando, stringendis anathematibus, scriptis evi-
brandis, quibusvis ad odia in *Pelagium* exstimulandis. *Zosi-* 178.
mus, Innocentii successor, *Cælestii* doctrinam de peccato ho-
minibus non innascente, nec a natura, sed a voluntate, prode-
unte, approbavit, ut autoritatem suam ultra Episcopos Con-
stantinopolitanos eveheret, lætatus, *Pelagium* & *Cælestium*
causam & doctrinam suam submittere examini sedis Apostoli-
cæ. *Innocentius I* unctionem ægrotis quibuslibet decrevit, & lo-
cum *Jac. V, 14*, de fidelibus ægrotis, quos quisque fidelium
inungere possit, necessitate sic ferente, exposuit. *Theodosius* 174.
A. 421 Edicto cavit, ne Episcopi Illyriciani ad Episcopum Ro-
manum provocarent, sed potius ad Constantinopolitanum, or-
dine quippe priorem. A. 423 Episcopi & Ecclesiæ Afrorum, 196.
Concilio coacto, statuerunt, ne quis ad Romanum Episco-
pum causam ex Africa deferret, rati, fastum dominationis se-
cularis in Ecclesiam Christi haud esse invehendum. *Nestorius* 204 seq.
non omnino improbavit vocem Θεοτόκος, & *Cyrilli* malis ar-
tibus innocens succubuit. Autor subnectit Apologiam pro
Nestorio p. 207 seq. A. 444 Ecclesia Orientalis, invito *Leone* 225.
Papa, Pascha ad 23 April. celebravit; Occidentalis vero ad 26 228.
Martii. *Leo* fuit primus, qui, supplicia in hæreticos expro-
mi, consultum duxit. *Eutyches* excusatur. *Leo* A. 450 con-

 fes-

feſſionem privatam inſtituit. *Genſerici* crudelitas mitigatur
Pag. 245. *p. 238.* Laudatur *Baronius*, qui *ad A. 464 §. 8* largitur, Pontifices Romanos in deciſionibus ab affectibus præoccupari, & errare poſſe. *Gelaſius* docere cœpit, autoritatem Epiſcoporum a majeſtate Imperatorum & Regum haud pendere.
261. Idem juſſit omnes fideles ſacram cœnam *ſub utraque* ſpecie
265. adhibere, habens eos pro ſacrilegis, qui ſymbola mortis Jeſu
269. ſeparent. *Theodericus* Rex diremit litem inter Papam *Symmachum* & Anti-Papam *Laurentem*, & convocavit Concilium ad inquirendum in crimina, *Symmacho* objecta. *Symma-*
274. *chus Anaſtaſium* Cæſarem docet, Epiſcopalem poteſtatem eſſe
316 ſeq. imperatoria majorem. *Vigilius*, dummodo fieret Papa, Synodo Chalcedonenſi & Epiſtolæ S. *Leonis* renuntiavit.
334. Crudelitas Clericorum notatur. *Pelagius* Papa fate-
337. tur, ſeſe ſubeſſe jurisdictioni Regum ſecundum ſacras literas. De *Johanna* Papiſſa afferuntur pauca, Autore ſuſpicante, originem fabulæ (*) a muliebri *Joannis* indole profluxiſſe. Pace aliorum nobis videtur credibile, ſtatuam Veneris, Phœbum vel Æneam amplexæ, a poſteritate imperita in Senſum transfuſam eſſe alienum. Exempla ejusmodi ſuggerit *Theodorus Haſæus* in *Sylloge p. 434 ſeq.* Autor ſingulis Seculis ſubjungit ſuccinctam & pragmaticam de Imperatoribus enarrationem. Fuimus jam ſatis longi. Quare nil ſupereſt, quam ut Lectorem ad fercula lectiſſima libri ipſius remittamus.

(*) *Tom. II p. 29 ſeq.* Funditus fabulam evertere eam tentavit *J. G. Eccardus* in *Commentario rerum Francic. Tom II Lib. XXX §. 117 ſeq. p. 433 ſeq.*

S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENſis Epiſcopi, Vita, Autore S. POSSIDIO, Calamenſi Epiſcopo, ad MStos Codices recenſita, Notisque illuſtrata, opera & ſtudio D. JOANNIS SALINAS, Neapolitani, Can. Reg. Lat. ac Sacr. Theol. Lect. ad Reveren-

verendissimum P. D. ASCANIUM VARESIUM, Can. Reg. Lat. Abbatem Generalem.

Romæ, typis Jo. Zempel, 1731, 8.
Plag. 22.

Autor Venerandus statuerat huic libello jungere librum *M. Hugonis a S. Victore*, Canonici regularis, *de Institutione Novitiorum*. Utrumque inscripsit *Ascanio Varesio*. In Præfatione idem institutum sic indicatur: *Possidii Opusculo junximus auro cedroque digniorem libellum Hugonis de S. Victore.* Ex calce libri *p. 134* apparet, Autorem id consilii mutasse, & in præsens unici *Possidiani* libelli editionem curavisse. Omissionem illam abunde pensavit Dissertatione sua, quam *de Vita & rebus gestis S. Possidii*, Calamensis Episcopi, conscripsit, & in locum *Hugonis* substituit. Illud vero *Hugonis* scriptum alio in Opere, Deo juvante, plenius exsequetur. Nuncupamus merito vota pro incolumitate Autoris, ne fœtus promissus fato infeliciori intercipiatur. Decerpemus pauca ex hoc viridario, & ad tria potissimum respiciemus, nempe ad merita editionis, ad virtutes Annotationum, & ad summam Dissertationis, primoribus labris degustandam. Ad momentum primum. Autor consuluit insigniores editiones & Codices MStos. In numero editionum meliorum deputat illam *Joannis Ulimerii*, Canonici Reg. Monasterii *S. Martini* Lovaniensis, qui in emaculandis *Augustini* & *Possidii* scriptis multum desudavit. Non neglexit editionem Lugdunensem, missam A. 1563, & Basileensem, ex officina Frobeniana A. 1529 egressam. Potissime adhibuit in subsidium labores Patrum *S. Mauri*, qui libellum *Possidii* dederunt *Tomo X Opp. S. Augustini* post Appendices omnes in fine, & variantes adjunxerunt lectiones ex sex Codicibus, quæ hic denuo comparent. Consuluit porro Autor Codices quinque MStos ipse, duos ex Bibliotheca Christianæ, Suecorum olim Reginæ, tres ex Vaticana. Inprimis vindicat vitam *Augustini* ab

animadverſionibus *Joannis Clerici*, in Appendice ad Opp.
Auguſtini T. II p. 622 allatis. Provocat eo fine ad Cel.
Lud. Ant. Muratorii Opus *de ingeniorum moderatione*. Suc-
Pag. 5. cedit momentum alterum. *Poſſidius*, non *Poſſidonius*, fuit
nomen Epiſcopi Calamenſis, licet poſterior appellatio probe-
tur *Honorio* Auguſtodunenſi, aliisque. *Poſſidonius* enim fuit
9. eadem ætate Epiſcopus alius Afrorum. Manichæi, qui *Au-*
guſtinum juvenem allexerunt in ſui conſortium, fuerunt ho-
mines doctiſſimi, diſerti, acuti in diſputando, & verſuti ad al-
lectanda doctiora ingenia, præcipue per prodigioſam cibo-
rum abſtinentiam, & paupertatis ſimulationem. Cœtus Ec-
cleſiarum olim candidatum ſæpe invitum obtulerunt Epiſco-
15. po ordinandum. Sed Seculo quinto Imperator *Majorianus*
21. & *Leo* Papa ordinationes ejusmodi violentas ſuſtulerunt. *Ma-*
nichæi errores ſuos ſpecie afflatus, a Spiritu Sancto profecti,
ornarunt. Nullæ nugæ tam exſiſtunt deliræ, quibus Fanati-
ci & lymphantes homines non prætexant illud tremendum
27 ſeq. Spiritus Sancti nomen. Quantum tumultuationis rabioſæ o-
riatur ex extraordinaria ſanctitatis affectatione, ex Donatiſta-
rum furore, rapinis & cædibus, patet. Habebant enim ſuarum
34 ſeq. rapinarum magiſtros, quos vocabant *Sanctorum Duces*. *Au-*
guſtinum Græce fuiſſe doctiſſimum, argumentis hic evincitur
43. non improbabilibus. *Marcellinus*, tribunus a latere *Honorii*
Cæſaris, & notarius, ac in Africam legatus judex, ſubtiliſſimas
de origine animæ quæſtiones propoſuit. Conſuetudo tum
vigebat, ut ob diſſentientes revinciendos accuſatio hæreſeos
ad judicem deferretur politicum, qui convictum ab Epiſco-
pis multaret & coerceret. Orthodoxiæ igitur præſidium pe-
pendit a legibus Imperatorum, doctrinas partium potiorum
confirmantibus. Requiret fortaſſis quispiam in Ven. Autore
libertatem promte diſſerendi de ſtatu deciſionum, tum per
Eccleſiam Africanam uſitato, Romanisque Pontificibus non
penitus obnoxio. Nec tamen negat, *Zoſimum* Papam, *Xy-*
ſtum Presbyterum, & alios Clericos Romanos, in *Pelagium*
*Cæleſtium*que fuiſſe propenſiores, & utrumque jamjam inno-
63 ſeq. centem pronuntiaturos, ni *Honorius* ſententiam Africani Con-
cilii

cilii antea confirmaſſet. Largitur quoque, Apoſtolorum nullum ſediſſe judicem hominum aut diviſorem terminorum, vel diſtributorem terrarum. Nec tamen audet aperte improbare eum morem Clericorum, quo hi cauſis litigantium decicendis operam impendunt. Refellit *Petri Petiti* judicium, qui *Auguſtino* ebrioſam vini cupiditatem objecit. Monachos inter edendum ſacræ lectioni ut intentos redderent, *Baſilius* & *Auguſtinus* laude cum multa anniſi ſunt. Veteres ſcrinia & arculas vice clavium firmarunt annulo. Res & ornamenta Eccleſiæ, neceſſitate indigentium urgente, recte dividuntur. Egregium eſt *Auguſtini* Concilium de eo, an, hoſtibus adventantibus, Miniſtro Eccleſiæ fugere liceat. Momentum nunc tertium aurem vellicat. Egregia eſt Diſſertatio & ſolido ſtilo elaborata, quam Ven. Autor *de Vita & rebus geſtis S. Poſſidii* addidit, quippe ex optimis quibusque Scriptoribus decerpta, & in unum corpus coagmentata, ſeriemque ad Chronologicam adſtricta. *Capitibus* ea conſtat *quindecim*. Inprimis monetur adverſus *P. Hommey*, *Poſſidium* non fuiſſe Eremitam, ſed Canonicum regularem, ſermonesque ad fratres in eremo, ei vulgo attributos, ſuppoſitionis nævo maniſeſtiſſimo eſſe convictos. *Poſſidius* multa adverſa pertulit a paganis. *Baronius* male collocavit ſeditionem paganorum Afrorum in A. 399, referendam potius ad A. 408. Vicit argumentis *Poſſidius* Donatiſtas crudeles. Ut *Honorius* abrogaret legem, in favorem ſectarum latam, idem effecit. A *Genſerico* in exilium, ob dogma Trinitatis aſſertum, tandem pulſus fuit. Videtur in Italiam auſugiſſe. Sed, corpus ejus Mirandulæ aſſervari, ab omni abhorret probabilitate.

Pag. 68. 75. 77. 79. 83 ſeq. 104 ſeq. 7 ſeq. 16. 19. 31 ſeq. 51 ſeq. 110 ſeq.

JOSEPHI AURELII DE JANUARIO, ADvocati Neapolitani, Reſpublica Juriſconſultorum.

Neapoli, typis Felicis Muſcæ, 1731, 4.
Alph. 2 pl. 7.

Digitized by Google

Jurisprudentiæ Civilis & JCtorum Historia tantum nostra ætate consecuta est plausum, ut illi ne quidem videantur inter JCtos locum sibi vindicare posse, qui in ea excolenda data opera non fuerunt occupati. Non unum tamen impendimentum est, quo minus omnes, qui inter Jurisprudentiæ cultores suum profitentur nomen, ea, qua par est, industria literariam Juris persequantur Historiam. Neque dubium, quin multi studii hujus, quod criticis, quæ vocantur, carere nequit observationibus, severitate ab ejus cultu deterreantur. Quod quidem cum ita sese habeat, non possumus non doctissimo Viro juveni, *Josepho Aurelio de Januario*, vehementer plaudere, qui in *Republica* sua *Jurisconsultorum*, cujus novam editionem, amplissima ad Cl. Autorem Epistola ornatam, nuper demum Lipsiæ *Fridericus Otto Menckenius*, Collega noster, in gratiam civium suorum curavit, id egit sedulo, ut methodo, quæ ob suavitatem summam lectionis non potest non redimere fastidium, Romanæ Jurisprudentiæ illuminet Historiam. Instituto enim suo tam satisfecit egregie, ut dudum e literaria Juris Historia cognitis novitatem, novis dignitatem, obsoletis nitorem, obscuris lumen, fastiditis gratiam, mira suavitate atque facilitate conciliarit. Sibi fingit Cl. Autor in Ægeo longe post Cycladas insulam, ubi Rempublicam optime constitutam habent vita functi Jurisconsulti, quibus singulari fato etiam post obitum datum est sapere. Ad eam iter facientes *J. Genutium*, *Titum Numicium*, *L. Pinarium*, & *C. Nautium*, sistit. Qui quidem, sicut eo consilio iter ingrediuntur, ut pristinam Jurisprudentiæ Romanæ conditionem sibi cognitam reddant atque perspectam, sic etiam in itinere de rebus huc facientibus sermones jucundos miscent. In Republica vero JCtorum & quæ notatu digna geruntur, observant, & ipsos JCtos conveniunt, cupidi eorum de JCtorum & Jurisprudentiæ ratione judicium explorandi. Cum hac methodo Doctiss. Autor Observationes suas, literariam Juris Historiam illustrantes, recenseat; nemo non intelligit, nunquam illi defuisse occasionem, de rebus utilissimis commode disserendi, atque efficiendi, ut, quæ non sine cura scripsit, non sine voluptate legantur. Utilissimas etiam Annotationes suas Carminibus distinxit, quæ uti nonnunquam argumenti se commen-

men-

mendant dignita[illegible] ſic tantam præ ſe ferunt facilitatem atque elegantiam,ut doctiſſimus *de Januario* ipſum referre *Catullum* non immerito dicatur. Difficile admodum,nec inſtituto noſtro eſſet conveniens, ſingulas commemorare obſervationes, quæ huic Commentario decus conciliant atque ornamentum. Aliquot igitur exempli loco tantum commemorabimus,ad ipſius elegantiſſimi Operis lectionem eos, qui hæc noſtra legunt, invitaturi. In itinere, uti fingere placet Cl. *Januario, Genutius* cum ſociis ſuis M *Minutium* convenit, atque cum eodem de nævis JCtorum diſſerit. *Minutius, Scriptorum*, inquit, *Juris vitia tria ſunt, aut quod minute nimis ac inutiliter, aut quod plus æquo ſubtiliter ac obſcure, aut denique quod barbare ac involute res pertractent.* Hoc ipſum *Minutii* judicium occaſionem aperit Cl. Autori ampliſſimam, de hiſce Jurisprudentiæ Romanæ ejusque interpretum nævis egregias in medium proferendi Obſervationes. Quemadmodum autem Cl. Autor illis ſe profitetur infenſiſſimum, qui, neglecto hiſtoriarum & humaniorum literarum ſtudio, ſummos ſe profitentur JCtos; ſic ex inſtituto illos JCtorum annotavit errores, qui ex harum literarum ignorantia duxere originem. Ne exemplum deſit, ad *p. 104* provocamus. Ibi,Bartolus, inquit, *parum abeſt, quin juret, a* Tiberio *Imperatore Tiberim fluvium appellatum*; Caſtrenſis, *nullo perturbatus putidiſſimi mendacii metu, ait, ab* Antonio *Triumviro occiſum* Papinianum; Odofredus *eſt præ ceteris ſuaviſſimus, teſtaturque, eadem navi* Æneam *&* Romulum *in Italiam adventaſſe*; Accurſius, *feliciſſimus temporum conciliator, ridicule monet*, Ulpiani *ætate Chriſtum natum adhuc non fuiſſe, vitamque* Juſtinianum *ante Chriſtum vixiſſe, nec alia de cauſa uſum non eſſe æra Chriſtiana*; Jaſon, *acutiore invento ſuperbus, quadam vocis affinitate captus, ſcribit, a* Numa Pompilio *dictum eſſe nummum.* Ex quo Doctiſſ. Autor ad *p. 141* uſque ea perſecutus eſt, quæ in itinere ad Rempublicam JCtorum notatu digna evenere, ad ipſam Rempublicam JCtorum deſcribendam ſe confert. Ut conſtet, quam ſibi fingat Cl. *de Januario* Rempublicam, ipſa ejus verba proferemus,quibus ſummatim ejus rationem indicat. *Populum*, inquit, *omnem* Pag. 177.

divi-

divisum novimus in senatorium, equestrem, plebejumque ordinem. Senatoria dignitate primores Reipublicæ fruebantur, veteres illi egregii Jurisperiti, a Sex. Papirio *ad* Modestinum *usque, cujus ætate retro collapsa jam Jurisprudentia, obmutescere JCtorum oracula cœpere. Inter Equites numerabantur, qui post extinctam JCtorum successionem nudam publice docendi ac profitendi Jus provinciam Romæ, Constantinopoli ac Beryti suscepere. Hisque adjungebantur, qui ab* Andrea Alciato *ad nostram usque tempestatem, ingenio & cultu bonarum artium, interpretandi munus non sine elegantia ac lepore obierunt. Plebs denique* Accursium, Bartolum, *& qui eos secuti sunt, concludebat, sed hi honestiori loco habiti, neque observantia optimatum, neque honore magistratus defraudati sunt, multis tamen ægre id ferentibus.* Non ita multo post refert, *Domitium Ulpianum* & *Æmilium Papinianum* tum in JCtorum Republica Consules fuisse, *Jacobum Cujacium* Prætorem, Censorem e patriciis *M. Porcium Catonem*, e plebejis *Martinum Fani*, & Senatus Principem *Servium Sulpicium.* Una illos enumerat, qui vel cum *Cujacio* Prætoris, vel cum *Martino Fani* Censoris dignitatem ambierunt. Atque hoc modo occasionem sibi aperit, de ipso *Duareno, Donello, Hotomanno, Franc. Balduino, Joanne Roberto Aurelianensi, Irnerio, Pepone, Joanne Imola, Bartolo,* aliisque JCtis, opinionibusque, cuique eorum singularibus, observationes suas proferendi in medium. Quemadmodum vero Doctiss. Autor hanc sibi legem scripsit, ut methodi varietate scripto suo conciliaret nitorem; sic religioni sibi non ducit, narrationis seriem nonnunquam interrumpere. Nunquam illi hoc modo deest occasio de diversis disserendi argumentis. Quodsi enim alia desit, aliquem ex iter facientibus de hac vel illa materia JCtos in Republica sua disputantes audivisse perhibet. Ita v. g. a *p. 156* ad *p. 189* aliquot JCtos de Philosophiæ in Jurisprudentia usu confabulantes sistit. Et *Aristotelici* & *Stoici* & *Cartesiani* Philosophi hic Cl. Autori dicendi præbent ansam. De veterum JCtorum Philosophia etiam verba facit, atque, uti multis eorum egregiam Philosophiæ

peri-

peritiam utique tribuendam eſſe concedit ; ſic *Zaſium*, *Alciatum*, *Fichardum*, & alios JCtos, ridet, qui ineptis plane moti argumentis, veterum JCtorum in Philoſophia celebrant peritiam. Eadem occaſione *Everhardum Ottonem* reprehendit, quem *obſervatorem ſplendide minutum morum & ſtudiorum Papiniani* appellat. Is enim ex *leg. 64 D. de Evict.* eximiam *Papiniani* Matheſeos ſcientiam probare conatus eſt. *P. 254* incipit de JCtis plagiariis doctiſſimas proferre Annotationes. Commemorat, *Franciſcum Duarenum*, Gallum, Cenſoribus autorem fuiſſe, ut in JCtos plagiarios inquirerent, quo e Republica exterminarentur, veterumque JCtorum famæ atque nominis celebritati conſuleretur. Non enim conſentaneum eſſe, ut in JCtorum Republica veterum JCtorum inventis recentiores ſuperbiant. Ipſam deinceps a Cenſoribus inſtitutam recenſet inquiſitionem, atque hac occaſione multis annotatis literariam de plagiariis hiſtoriam illuminat. Ita v. g. obſervat, *Baldum Jacobi Palliarenſis* cogitata ſua feciſſe; *Bartolum Franciſci Tigrini*, Piſani, ſuperbire Annotationibus; *Alexandrum ab Alexandro Joannis Imolæ* expilaſſe ſcripta; *Janum Vincentium Gravinam* omnem ſuam famam *Jacobi Godofredi* debere eruditioni; *Vinnium*, celebrem Inſtitutionum interpretem, pleraque *Gerhardi Tuningii* ſcriptis referre accepta, neque ipſum *Cujacium* ob omni furto literario poſſe abſolvi. Tanta fuit, ut Cl. Autor tradit, in hujus controverſiæ disquiſitione veterum JCtorum autoritas, ut poſt multas disputationes plerique conſenſerint, plagiariis in JCtorum Republica locum non eſſe concedendum. Id autem dum ageretur, ut vi hujus Decreti ex hac Republica ejicerentur JCti plagiarii, repertum eſt, ipſum *Duarenum*, præcipuum hujus decreti autorem, ex *Alberici Gentilis* Commentariis numero multas transſcripſiſſe obſervationes. Furto igitur ſuo literario detecto, ipſe *Duarenus* animum mutavit, atque id omni egit induſtria, ut Edictum de ejiciendis e JCtorum Republica plagiariis nullo loco haberetur. Poſtquam de plagiariis JCtis Cl. Autor diſſeruit, de ludis ſecularibus, in Republica JCtorum inſtitutis, verba facit ; qui ipſi anſam ſuppeditant, de eximio

Pag. 285. Poeſeos in Jurisprudentia uſu diſſerendi. Hoc ipſum argumentum ſingulari induſtria perſequitur, atque, ut ipſe merito atque optimo jure inter Poetas JCtos locum ſibi vindicat, ſic Jurisprudentiæ peritiam cum poetica facultate hoc ipſo in Commentario egregie conjunxit. Videlicet octo plagulis veterem Romanorum *νομοθεσίαν* tam eleganter verſibus expreſſit, ut non poſſint non ab his ipſis cum voluptate legi, qui Jurisprudentiæ civili ſuam non conſecrarunt operam. Ubi elegantiſſimum de Juribus Reipublicæ Romanæ Poema deſinit, ibi incipit diſputationis, de *Triboniani* fama in Republica JCtorum inſtitutæ, narratio. Summa hujus diſputationis hæc eſt: *Servius Sulpicius Tribonianum* ſolenni coram Senatu habita Oratione accuſat, quod in veterum JCtorum ſacros cineres piosque manes improbe ſævierit, atque una cum illorum monumentis nomen famamque eorum nefarie exſtinxerit. Plerique JCti conſentiunt, *Tribonianum* e Republica JCtorum eſſe ejiciendum. Sed *Cynus*, Piſtorienſis, Tribunus plebis, obſtitit huic ſententiæ, & *Tribonianum* defendit. Ad populum igitur res dejecta eſt, cujus erat, vel *Tribuni* interceſſionem, vel Senatus autoritatem comprobare. Non hic exponitur, quis victor e certamine diſceſſerit, *Tribonianus*, an ingens manus hoſtium? Cum enim nondum finita eſſet hæc controverſia, *Genutius* cum itineris ſociis e Republica JCtorum abiit, atque in patriam reverſus eſt. Ex iis, quæ modo protulimus, de ratione hujus, quem præ manibus habemus, Commentarii ſummatim minimum poterit conſtare. Plura igitur de eodem verba non facimus. Cum autem elegantiſſimi verſus, huic Commentario hinc inde inſerti, ſummum univerſo Operi concilient ornatum; temperare nobis non poſſumus, quin aliquot minimum verſus ſpeciminis loco hic exhibeamus. Illos autem exhibemus, qui
33. primum ſeſe nobis obtulerunt, & quibus Juris ſtudioſorum, qui majorem cultus corporis, quam eruditionis, rationem habent, characterem ſcite expreſſit ac venuſte. Ita vero ſeſe habent:

Nunc

Nunc venio ad quoſdam juvenes: hi oſtendere ſeſe
Pulchros & plenos nobilitatis amant.
Hos ne tange; cave, multo ſine honore ſalutes;
Quodve roges, humili non ſine voce roga.
Picta velut minio illorum reſplendet imago,
Atque viri formæ plus muliebris habent.
Omne locant ſtudium, quo belle incedere poſſint;
Brachia, crura, pedes, os, caput, arte movent.
Albeſcit niveo mendax coma pulvere ſparſa,
Emicat alterno barba reciſa die.
Veſtis it ex humeris formas imitata recentes,
Sive, o Galle, tuas, ſive, Britanne, tuas.
Pileus haud geritur, ni longo advectus ab orbe,
Et ni forte novo more revinctus eat.
Quæruntur miſſa a Batavis ſubtegmina lini;
Gemmato digitos annulus orbe premit.
Et crepidæ eſt ſua cura, manu quæ ſuta ſagaci,
Ne qua pelle ſuper ruga ſit ulla, vetat.
Machina, diſtinguens animatis motibus horas,
Præſto eſt, ut, quotanam lapſa ſit hora, ſciant.
Ne deſit naſo contriti pulveris uſus,
Hunc ex argento capſula parva gerit.
Capſula, quæ nimio ſit reddita pumice lævis,
Cui ductum ex omni ſit bene parte latus;
Vel teſtudineo qua ſit de cortice facta,
Et nitet argenti deſuper aucta notis.
Ah miſera! ah! quanto paſcis te errore, juventus;
Reſpuit has veneres blanditiasque forum.
Aſpice majorum veſtigia; dic, ubi luxus,
Dic, ubi fœmineus tantus in ore lepos?
Ludimus? Anne foro tractamus ſeria? Nilne
Diſcrepat a ſcenis curia, jura jocis?
Sed quid ego? Mala difficile eſt evellere, quando
Cœperunt ſpeciem jam retinere boni.

THE CARPENTERS COMPANION, BEING AN Account and compleat Treatiſe of Carpenters works &c.

h. e.

FABRORUM LIGNARIORUM COMES, seu Tractatus de Arte Tignaria; Autore JACOBO SMITH.

Londini, apud J. Millan, 1733, 8 maj.
Plag. 2, Tabb. æn. 41.

Cum ars tignaria maximæ sit utilitatis, ad eam tamen spectantia ab Architecturæ civilis Scriptoribus vulgo negligantur; idcirco visum est Autori, hoc illius complementum addere. Enimvero, quia ex schematum nuda inspectione pleraque intelliguntur, ut longo verborum tractu ea, quæ huc pertinent, magis obscurari, quam explicari, videantur; ideo quoque Noster magis figuris, quam verbis, docet. Convenit Opusculum hoc cum *Wilhelmi* Architectura civili, in qua eædem delineationes operum tignariorum, ac præterea aliæ forma majore exhibentur, nisi quod Noster addiderit Appendicem de quinque Ordinibus Architectonicis delineandis. Etsi autem artis tignariæ longe maximus sit usus in Architectura navali; eum tamen Autor studio præterit, propterea quod ipsi tantummodo propositum sit ea describere, quæ in ædificiis excitandis usui sunt.

PROBLEMATA MATHEMATICA, NEAPOLI AD Collectores Actorum Eruditorum transmissa.

Problema I.

Ex Cylindro, super basin dati Coni Scaleni perpendiculariter erecto, abscindere portionem, cujus superficies ipsius Coni superficiem adæquet.

Constructio.

TAB. I Fig. 1. Coni Scaleni ABC sit A vertex, AE altitudo, D centrum basis, & BC diameter transiens per punctum F. Fiat $DE:DC = DC:DG$, & in plano ABG erigatur super BG perpendicularis $GH = \frac{1}{2} AE$. Describatur deinde in eodem plano hyperbola HO, cujus H sit vertex principalis, G centrum, & axis primus ad axem secundum $= DE:BC$. Denique per hujus hyperbolæ perimetrum ita recta feratur, ut maneat semper

TAB. I ad A. 1734 M. Januar. p. 28, 30, 32, 33.

Fig. I



Fig. V

Fig. II



Fig. II



Fig. IV



semper parallela ei, quæ basin contingit in C. Et portio Cylindri, quæ per hanc rectam abscinditur, eandem habebit superficiem cum ipso Cono.

Demonstratio.

In perimetro basis capiatur punctum aliquod M, ex quo ducatur tum tangens MT, tum ordinata ad diametrum MN. Demittatur deinde super MT perpendicularis AF, junganturque EF, EM, DM, & quoniam $\overline{AE}^2+\overline{EM}^2=\overline{AM}^2=\overline{AF}^2+\overline{FM}^2=\overline{AF}^2+\overline{EF}^2+\overline{FM}^2$; erit $\overline{EM}^2=\overline{EF}^2+\overline{FM}^2$; adeoque, cum angulus EFM sit rectus, erit $ET:EF=DT:DM=DM:DN=DC:DN$: sed ob rectangula NDT, EDG, quæ sunt æqualia eidem DC quadrato, $DG:DN=DT:DE$. Quare, cum sit dividendo primum $NG:DN=ET:DE$; tumque permutando $NG:ET=DN:DE$; erit per æqualitatem rationis perturbatam $NG:EF=DC:DE$. Unde eruitur $\overline{NG}^2:\overline{EF}^2=\overline{DG}^2:\overline{DE}^2$; sive etiam $\overline{NG}^2:\frac{1}{4}\overline{EF}^2=4\overline{DC}^2:\overline{DE}^2=\overline{BC}^2:\overline{DE}^2$. Jam vero, ducta ordinata NO ad hyperbolam $\overline{BC}^2:\overline{DE}^2=\overline{NG}^2:\overline{NO}^2-\overline{GH}^2$. Itaque erit $\frac{1}{4}\overline{EF}^2=\overline{NO}^2-\overline{GH}^2$, hoc est $\overline{EF}^2=4\overline{NO}^2-4\overline{GH}^2$, & propterea cum sit $\overline{EF}^2=\overline{AF}^2-\overline{AE}^2$; erit $\overline{AF}^2-\overline{AE}^2=4\overline{NO}^2\ 4\overline{GH}^2$, quo fit, ut, sicuti ex constructione habetur $4\overline{GH}^2=\overline{AE}^2$, ita sit $4\overline{NO}^2=\overline{AF}^2$, hoc est $2NO=AF$, sive etiam $NO=\frac{1}{2}AF$. Jam, si in perimetro basis sumatur arcus indefinite parvus Mm, exiguum triangulum ei correspondens in superficie conica erit ad exiguum rectangulum, quod eidem correspondet in abscissa portione cylindrica, ut est $\frac{1}{2}AF$ ad NO. Unde, cum sit $NO=\frac{1}{2}AF$, erit exiguum istud rectangulum superficiei cylindricæ æquale exiguo illi triangulo superficiei conicæ; & consequenter portio abscissa ex Cylindro eandem habebit superficiem cum ipso Cono.

Corollarium.

Si Conus ponatur rectus, fiet DE quidem nulla, DG vero infinita. Unde, cum sumi possit DG pro NG, erit propter hyperbolam $\overline{DG}^2 : \overline{NO}^2 - \overline{GH}^2 = \overline{BC}^2 : \overline{DE}^2 = 4\overline{DC}^2 : \overline{DE}^2 = \overline{DG}^2 : \frac{1}{4}\overline{DC}^2$; adeoque erit $\overline{NO}^2 - \overline{GH}^2 = \frac{1}{4}\overline{DC}^2$; hoc est $4\overline{NO}^2 - 4\overline{GH}^2 = \overline{DC}^2$; sive etiam $4\overline{NO}^2 = \overline{DC}^2 + 4\overline{GH}^2$. Cumque GH sit æqualis dimidio altitudinis Coni, quam nunc designat recta AD; erit $4\overline{NO}^2 = \overline{DC}^2 + \overline{AD}^2$, hoc est, $4\overline{NO}^2 = \overline{AB}^2$, sive $2NO = AB$, vel etiam $NO = \frac{1}{2}AB$. Unde hyperbola vertetur in rectam ipsi BG parallelam, & ab ea distantem per dimidium lateris trianguli per axem secti.

Scholium.

Plano solida secare, perinde est, ac ea dispescere per rectam, quæ per alterius rectæ longitudinem æquidistanter alteri feratur. Quemadmodum ergo in tradenda genesi curvarum hujuscemodi sectionem postularunt veteres; ita, curvis comparatis, licebit nobis secare solida per rectam, quæ per curvæ alicujus perimetrum alteri recte æquidistanter moveatur. Interim per istas sectiones curvæ, quæ subnascuntur, non in plana superficie, sed in spatio solido jacebunt. Verum, iis in Geometriam invectis, dici vix potest, quanta Problemata geometrica solvendi sit copia.

Problema II.

Eodem tempore, quo fertur planum aliquod ex B ad C, occurrat ei corpus A per rectam AC. Quæritur linea, per quam planum a corpore percutitur.

TAB. I Fig. 2. Jungatur AB, cui per punctum C parallela agatur CD. Dico, DC esse directionem percussionis.

Con-

Conſtat enim, motum communem & rectilineum mutuam duorum corporum actionem non perturbare. Itaque, ſi tam plano, quam corpori, imprimatur motus æqualis, & contrarius ei, quo fertur ipſum planum; corpus percutiet planum, ut prius. Sed communi hoc motu percutitur planum a corpore per rectam *AB*; cum eo agente planum quidem quieſcat, corpus autem moveatur per *AB*. Quare etiam ſine eo motu communi percuſſio fiet per rectam *DC*, ipſi *AB* perallelam.

Demonſtrari id etiam poteſt in hunc modum. Certum eſt, motum corporis per *AC* reſolvi poſſe in duos motus laterales *AD*, *AB*. Sed priore horum motuum planum a corpore non percutitur, ut quod motu non diſſimili fertur ex *B* in *C*. Itaque fiet percuſſio tantum per motum *AB*; adeoque recta *DC*, ipſi *AB* parallela, percuſſionis directionem deſignabit.

Iisdem, ut ſupra, manentibus fingamus, corpus *A* elaſticum eſſe. Quæritur linea, per quam illud a plano reflectitur.

Demittatur ex puncto *D* perpendicularis *DE*, &, ſumta portione *CF*, ipſi *CE* æquali, fiat *FG*, dupla ipſius *AD*. Erigatur deinde perpendicularis altera *GH*, conveniens cum *AD* in puncto *H*; & erit *CH* linea, per quam corpus a plano reflectitur.

Etſi enim corpus *A* percutiat planum ſolo motu laterali *AB*, vel *DC*; attamen motus alter *AD*, non modo non deſtruitur, ſed occurſu ipſius plani, quod fertur motu non diſſimili, augetur, & duplus evadit. Itaque in definienda linea, per quam corpus a plano reflectitur, neceſſe eſt ad calculum ponere tam motum *DC*, unde oritur percuſſio, quam duplum alterius motus *AD*.

Jam, erecto perpendiculo *CK*, & agente ſolo motu *DC*, ut cunctis notum eſt, fiet reflexio motibus lateralibus *CK*, *CF*. Quare duobus iis motibus addito duplo ipſius *AD*, nimirum *FG*, continget reflexio tribus motibus *CK*, *CF*, *FG*. Sed duo motus *CF*, *FG*, tantundem agunt in corpus, quantam

tam exerit in illud actionem solus motus *CG*. Itaque reflectetur corpus duntaxat motibus *CK*, *CG*, & propterea erit *CH* linea reflexionis.

Corollarium.

TAB. I Fig. 3. Si recta *AC* fuerit perpendicularis ad planum, incidet punctum *K* in punctum *A*; adeoque cum fiat *CE* æqualis ipsi *AD*, seu *BC*, cadet etiam tam punctum *F* in punctum *B*, quam punctum *G* in punctum *E*. Unde linea, per quam reflectitur corpus a plano, erit illa eadem, per quam ipsum planum a corpore percutitur.

Scholium.

Pro explicandis syderum aberrationibus protulit *Brandlejus*, Astronomus Anglus, sequens theorema: Quodsi lumen ex sydere *A* perveniat ad oculum *C* eodem tempore, quo iste per annuum telluris motum translatus supponitur ex *B* ad *C*; sydus videri debeat ab oculo, non quidem per rectam *CA*, sed per rectam *CD*, ipsi *AB* parallelam. Veritatem hujus theorematis plerique in dubium revocarunt; sed solutione propositi problematis satis quidem comprobata videtur; cum certum sit, conspiciendum esse sydus ab oculo eadem directione, qua lumen ejus oculum ferit. Ceterum, quod in eodem Problemate expensus sit etiam casus reflexionis, id propterea factum, quia crediderunt nonnulli, posse ope ejus percussionis directionem definiri.

Problema III.

Cur in rotæ super planum revolutione circuli omnes interiores describant rectas, æquales rotæ perimetro?

Fig. 4. Sit rota aliqua *BC*, cujus centrum sit punctum *A*, radius vero *AB*. Revolvatur eadem rota super planum *BX*, usque donec puncto suo *B* illud denuo contingat. Certum est, circulos omnes interiores describere rectas, æquales rotæ perimetro. Quæritur ratio, cur id contingat.

Quicunque Problematis hujus solutionem aggressi sunt, consideraverunt in rotæ latione duplicem motum; unum quidem pro-

Digitized by Google

progreſſivum; & alterum circularem. Putarunt autem, centrum motus circularis eſſe ipſum Rotæ centrum *A*. Qua in re eis non aſſentior; cum tale munus ſubeat potius punctum contactus *B*, circa quod radius *AB* quodammodo revolvitur, interea dum rota portione ſui perimetri indefinite parva *Bb* plani longitudinem metitur.

Hoc principio poſito, facile erit, ejus, quod quæritur, rationem inquirere. Sumatur in radio *AB* punctum aliquod *D*. Et, priusquam Rota contingat planum puncto proximo *b*, circulari motu ipſius radii deſcribitur a puncto *D* arcus *Dd*. Quare ſpatium, quod percurritur ab arcu *Dd*, exiſtente in ſectore *ABb*, uſque donec evadit *b* punctum contactus, erit *Ddδ*: proindeque eo res redit, ut oſtendamus, ſpatium iſtud *Ddδ* æquale eſſe arcui *Bb*. TAB. I Fig. 5.

Id vero oſtendemus in hunc modum. Quoniam radii *AB*, *ab*, ſunt ſubjecto plano perpendiculares, iidem erunt inter ſe paralleli; adeoque arcus *Aa*; *Bb*, æquales erunt inter ſe. Cum itaque *Aa* ſit ad *Dd*, ut eſt *AB* ad *BD*; erit quoque, ut *Bb* ad *Dd*, ita *AB* ad *BD*. Sed *Bb* eſt ad *dδ*, ut *aB* ad *ad*, ſive etiam, ut *AB* ad *AD*. Quare erit componendo, ut *Bb* ad $Dd + d\delta$, ita *AB* ad $BD + AD$: & propterea, quemadmodum eſt $AB = BD + AD$, ita quoque erit $Bb = Dd + dd$.

Ceterum in Rotæ revolutione ſuper planum aliquod, non modo ab omnibus circulis interioribus, ſed etiam ab ipſo Rotæ centro, deſcribuntur rectæ, æquales Rotæ perimetro. Id vero ex eodem principio dependet. Nimirum quia, priusquam rota contingat planum puncto proximo *b*, circulari motu radii *AB* deſcribit Rotæ Centrum *A* arcum *Aa*, æqualem arcui *Bb*.

Problema IV.

Paralogiſmum detegere *Leibnitianæ* Demonſtrationis, quod vis motrix definienda ſit per factum ex pondere in quadratum velocitatis.

Neminem latet, Cl. *Leibnitium* in ea fuiſſe ſententia, quod vis motrix definienda ſit per factum ex pondere in quadratum

 velo-

velocitatis. Et cuique etiam compertum eſt, hanc ſuam opinionem, quam primum in *Actis* his evulgavit, ſequenti demonſtratione comprobaſſe.

Carteſiani ipſi fatentur, tantam vim requiri ad attollendum pondus unius libræ ad altitudinem quatuor pedum, quanta opus eſt, ut pondus quatuor librarum ad unius pedis altitudinem adſcendat. Sed ex oſtenſis a *Galilæo* velocitates, requiſitæ pro elevandis duobus ponderibus ad eas altitudines, ſunt, ut *2* ad *1*. Itaque tunc habentur vires æquales, quando pondera ſunt reciproce, ut quadrata velocitatum.

Vim hujus *Leibnitianæ* demonſtrationis infirmare nonnulli ſtuduerunt, reponendo, quod in ea nulla habeatur ratio temporis. Sed obſervavit noviſſime *Joannes Bernoullius*, nihil tam facile factu, quam ut duo pondera ad diverſas altitudines æqualibus temporibus adſcenderent, cum ſatis ſit, ea per arcus cycloidales ad altitudines illas attollere. Itaque Paralogiſmus ejus demonſtrationis aliunde repeti debet.

Nimirum principium illud *Carteſianorum* reſpicit elevationem ponderum, æquabili motu faciendam; nec alia de cauſa invectum a *Carteſio* in ſua Mechanica, quam ut ope ejus vires explicaret machinarum, in quibus omnia æquabili motu peraguntur. Cum igitur in *Leibnitiana* demonſtratione illud traducatur etiam ad ſpatia percurrenda motu æquabiliter retardato; inde ei vitium ſuboritur, nec quidpiam ope ejus concludi poteſt adverſus priſtinam vires definiendi rationem.

Quin, habita ratione reſiſtentiarum, quas ſuperare debent duo illa pondera, cum ad eas altitudines elevantur, luce clarius apparet, definiendam eſſe vim per factum ex pondere in velocitatem. Sunt enim reſiſtentiæ illæ ipſi gravitatis impulſus, qui in dato tempore ſunt, ut ipſa pondera; in temporibus vero diverſis ſunt ut pondera & tempora conjunctim. Quare, quemadmodum eæ reſiſtentiæ ſunt ut *2* ad *1*; ita neceſſe eſt, ut in eadem ratione ſint etiam vires, quibus eædem reſiſtentiæ ſuperantur.

OPE-

OPERE FISICO-MEDICHE &c.

h. e.

OPERA PHYSICO-MEDICA, IMPRESSA ET Manuſcripta, Equitis ANTONII VALLISNERI, collecta ab ejus filio, & dedicata Illuſtriſſ. & Excell. Dominis Reformatoribus ſtudii Patavienſis.

Tomus I.

Venetiis, apud Sebaſtianum Coleti, 1733, fol. Alph. 6, cum Tabb. æn. 51.

A*ntonius Valliſnerius*, Regenſis, Philoſophus & Medicus inſignis, ex nobili & perantiqua ſtirpe ortus, cum ob maxima ſua merita & præſtantiſſima ingenii monumenta ſummam nominis gloriam atque ampliſſimos honores eſſet conſecutus, annum ætatis nonum ſupra ſexageſimum agens, Patavii, ubi artem medicam primo loco cum ſingulari laude docuit, die 15 Cal. Febr. A. 1730 extinctus eſt. Ejus Scripta, de quibus in *Actis* noſtris iterum ac ſæpius mentionem fecimus, nunc conjunctim edere inſtituit æmulus paternarum virtutum filius: idemque eruditam & amplam præmiſit Præfationem, in qua totum parentis inſtitutum amplecti, ejusque in omni Philoſophia naturali inventa exponere atque illuſtrare, conatus eſt. Ipſis ſcilicet patris veſtigiis inſiſtens, qui cum alias, tum maxime in docta ſua lectione *de Catena ſive nexu rerum creatarum*, admirabilem ordinem & velut cognationem trium naturæ regnorum præclare demonſtravit, quid in ſingulis, cum inferioribus, tum ſuperioribus, hujus catenæ annulis expoliendis, noſtro tempore, & potiſſimum a patre ſuo, præſtitum ſit, & quæ ſint veræ atque immutabiles naturæ leges, exponit. Hanc Præfationem ſequitur Deſcriptio ſatis copioſa vitæ, familiæ, ſtudiorum, honorum, Operum, adverſariorum, & mortis, *Valliſneri* noſtri, deſumta maximam partem ex Commentariis, quos ipſe, dum viveret, Comiti *di Porzia* commiſerat. Nobis hinc notare paucis liceat, natum eum d. 3 Maji A. 1661, præceptore cumprimis uſum magno *Malpighio*, Docto-

rem Medicinæ & Philoſophiæ creatum Regii A. 1684, Patavium vocatum ad docendam artem medicam A.1700, ab Imperatore A. 1722 Medicum Cameræ Cæſareæ, & a Duce Mutinenſi A.1728 Equitem creatum, Academiis & Societatibus Scientiarum, Germanicæ, Anglicæ, Bononienſi, aliisque, adſcriptum, locum & honorem Archiatri Pontificii, itemque Profeſſoris Primarii Tauronienſis, modeſte recuſaſſe, ac tandem eo tempore obiiſſe, quo ſupra ſignificavimus. Jam, quod ad ipſa Scripta attinet, quæ hoc primum Volumen Operum *Valliſnerianorum* complectitur, ea nunc ſunt ordine & breviter a nobis recenſenda.

I. *Della curioſa Origine, degli ſviluppi &c.* i. e. *de Curioſa origine, evolutione, & moribus admirandis multorum inſectorum, Dialogi duo*; in quibus id potiſſimum agit Autor, ut variis novis atque accuratiſſimis experimentis doceat, nulla inſecta ſponte vel ex putredine, ſed omnia ex ovo, produci, ſecundum certas ac conſtantiſſimas naturæ leges. Adjunctæ ſunt huic correctiori edioni nonnullæ Annotationes & novæ Obſervationes, ab ipſo Autore maximam partem profectæ, de nidis quorundam inſectorum hactenus occultis, de inſectis aſparagorum, de iis, quæ intra duriſſima marmora & cretam, etiam ſub aqua, reperiuntur, de locuſtis *S. Joannis*, & de aliis rebus, huc pertinentibus.

II. *Conſiderazioni ed Experienze intorno al creduto cervello di bue impietrito*, i. e. *Conſiderationes & Experimenta de cerebro bovis, quod habitum fuit pro petrefacto.* Oſtendit Autor novo exemplo, quod ipſe quam accuratiſſime examinavit, multisque rationibus, non eſſe ejusmodi cerebra vera cerebra petrefacta, ſed materiam oſſeo-petroſam, ex ſucco oſſeo, intra cranium deſtillante, concretam, verumque cerebrum amplectentem & comprimentem. Docet, quomodo hoc fieri poſſit, cur adeo duræ fiant hæ concretiones, cur aliquam ſimilitudinem cerebri habeant, & quomodo inde oriantur varia phænomena, in jumentis, tali cerebro præditis, obſervata.

III. *Conſiderazioni ed Experienze intorno alla generazione de vermi ordinari del corpo umano*, i. e. *Meditationes & Experimenta de generatione vermium ordinariorum in corpore huma-*

humano. Cum hi vermes prorſus ab iis differant, qui extra corpus humanum reperiuntur; negat Doctiſſ. Autor, eos oriri ex ovulis poſſe quæ cum cibo, potu, & aere aſſumuntur, ſed in ipſo potius homine naſci, & genus ſuum propagare, ita, ut ovula eorum a matribus nutricibusque ad infantes perveniant. Qua occaſione multas ridet fabulas, de ranis, lacertis, viperis, aliisque portentis, quæ nata in hominibus narrantur, plurimosque doctorum errores refellit, & varias egregias Obſervationes affert de lumbricis latis ſive cucurbitinis, cum ſingularibus, tum in catenæ modum cohærentibus, de tæniis, aliisque vermibus, in humano corpore obviis. In fine additæ ſunt nonnullæ Epiſtolæ *Pacchioni*, *Lanciſi*, *Morgagni*.

IV. *Eſperenze ed Oſſervazioni intorno all' origine, &c.* i. e. *Experimenta & Obſervationes de origine, evolutione & moribus variorum inſectorum, cum aliis, ad naturalem & medicam hiſtoriam ſpectantibus.* In hoc Tractatu continentur Obſervationes de muſca roſariorum; Animadverſiones circa modum, quo hactenus inſecta produci creditum fuit; idea nova, de generali quadam inſectorum diviſione; Epiſtola de detecta origine pulicum ex ovo, & de ſemine algæ marinæ; deſcriptio vitæ, naturæ & mutationum vermis, qui in pecore, in cavitate frontis prope naſum, generatur; ratiocinium de œſtro Poetarum, itemque de œſtro ſive aſilo armentorum; Anatomia Struthiocameli; Obſervationes Domini *Laurentii Patarol*, de generatione, victu & mutationibus cantharidum liliorum.

V. *Nuove Oſſervazioni ed Eſperienze intorno alla Storia Medica e naturale*; i. e. *Novæ Obſervationes & Experimenta, ad hiſtoriam medicam & naturalem pertinentia.* Hic agitur de ovariis & ovis vermium illorum longorum & rotundorum, qui in vitulis & hominibus reperiuntur, itemque de polipo quodam viperiformi. Sequuntur nonnullæ Epiſtolæ, partim ab Autore, partim ad eundem ſcriptæ, in quibus potiſſimum de vermibus humanis diſſeritur. Poſtremo loco adjectæ ſunt literæ *Jo. Jacobi Mangeti*, cum reſponſione Autoris de puella ſine cranio nata, & molem carneam pro cerebro habente.

VI. *Nuova giunta di Oſſervazioni e di Sperienze intorno all' Iſtoria medica e naturale*; i. e. *Acceſſio nova Obſervationum*

num & Experientiarum, ad hiſtoriam medicam & naturalem ſpectantium, de morbo pediculari, & ejus remediis; de origine multorum animalculorum in foliis braſſicæ, & de inſectis intra inſecta; de vini degeneratione in acetum, &c. Compoſitus eſt hic Tractatus ex variis Epiſtolis Phyſico-Medicis, non ſolum *Valliſneri* noſtri, ſed aliorum celebrium Autorum.

VII. *Iſtoria del Camaleonte Affricano*, i. e. *Hiſtoria Chamæleontis Africani, & variorum animalium, quæ in Italia inveniuntur.* In hoc perquam accurato Opere curioſiſſime omnes *Chamæleontis* partes, ejusque originem, victum, & mores, perſpicax Autor perſequitur, multosque cum veterum, tum juniorum, errores redarguit. Quod ad colorum mutationem attinet, eam haudquaquam a rerum vicinarum coloribus, ſed a ſingulari cutis conſtitutione, porroque a calore, frigore, motu & affectu animalis ita dependere docet, ut maculæ flaveſcentes & eodem ſemper loco permanentes, modo pallidiores & minus conſpicuæ, modo pleniores & magis fuſcæ fiant. Cujus rei non diſſimile quidpiam, neque ad aliam cauſam referendum, etiam in aliis animalibus, atque adeo in ipſo homine, obſervare licet. Accedunt huic ſcripto conſiderationes de lacertis, bufonibus, ranis, ſalamandris; item de Chamæleonte Mexicano, & de quadrupede ejusdem regionis, pro parvo crocodilo habito.

VIII. *Iſtoria della Grana del Kermes, &c.* i. e. *Hiſtoria granorum chermes, & aliorum granorum nigrorum, quæ reperiuntur in ilicibus circa portum Liburnum,* (Livorno.) *item inſectorum quorundam, in fructibus variis obviorum, conſcripta, & ad* Valliſnerum *noſtrum miſſa a Doctiſſ.* Ceſtonio. Adjecta ſub finem eſt Epiſtola Viri Cl. *Maximiliani Speneri.*

Einleitung zur Schleswig-Holſteiniſchen Hiſtorie, &c. h. e.

INTRODUCTIO IN HISTORIAM SLESVICO-Holſaticam, qualis fuit ſub Illuſtriſſima & adhuc florente Stirpe Oldenburgica; Autore ADAMO HENRICO LACKMANNO.

Pars II.

Ham-

Hamburgi, apud viduam Felgineriam, 1733, 8.

Alph. 2.

Quam *Prima Pars* Historiæ Slesvico-Holsaticæ concitaverat exspectationem, Cl. *Lackmannus* cumulate ornateque explevit. Argumentum neque vile, neque expeditum, in difficiles sæpiuscule nodos incidere videtur. Divisum enim, quod Duces Slesvico-Holsatiæ inter se imperium habent, multas controversias intulit, quæ adeo intricatæ sunt, ut alba & atra discernere, res maxime ardua videatur, ac intutæ undique appareant latebræ. Nemo forsan in illa certamina periculo ingenti ruere voluit, cum nulla Ducatuum Slesvici ac Holsatiæ usque adhuc extet Historia, & eruditissimus Autor agmen veluti antesignanus præcedere cœperit. Multimoda rerum varietas Autori id scripturæ genus, quod temporis rationem habet, commendavit. Nihil ergo, quod ad rem pertinet, prætermisit, quorundam Scriptorum autoritatem temere nunquam secutus, omnes evolvit, ex annalium vetustate, tum maxime ex Opusculis, quæ speciale discutiunt argumentum, filum historiæ duxit. A *Christiano IV*, Rege Daniæ, & *Philippo*, Duce Slesvici & Holsatiæ, qui eodem ferme tempore rerum potiti, initium *alterius* hujus *Partis* cœptum est. Primordio statim Pag. 4 seq.
depinxit Autor noster ingenium *Christiani*, sic pariter ad omnia versatile, ut ad id unum natus, quodcunque ageret, videretur. Quare prudenti ac felici instituto tam veteris Latinæ, quam recentioris Italicæ linguæ instructus sermone, iis præcipue artibus a puero adsuetus est, quas situs & forma regni commendabat. Descripte quoque commemorat, *Philippum*, Du- 16 & 23.
cem Slesvici & Holsatiæ, jus eligendi Principem, quo provinciæ utebantur, impugnasse, atque acriter defendisse, se natum successorem nihil debere suffragiis, & Principatum nullis legibus obnoxium tenere. Ordinum autoritatem aliquantum attenuare & imminuere cœpit, deque ipsorum juribus aliquid detrahere *Philippus*, sæpe iterando eadem, tentavit. Licet enim 24.
suffragiorum libertati subscriberet, juratam tamen fidelitatis 30.
sanctionem pretio suo emere, & ordinum desideria antea explere,

plere, vel de juribus eorum ſancte colendis fidem dare, negavit. Hinc a Cæſare impetravit, ut Pragæ decima Aprilis, Decreto ad Holſatos dato, eos ſatis acerbe obſequii admoneret, & quaſi ſeditioſos & turbulentos increparet. Tota lis conciliante *Wilhelmo*, Haſſiæ Landgravio, & *Ulrico*, Megapolitano, ſic compoſita, ut *Philippus* nihilo ſecius in Comitiis Flensburgenſibus ante omnia jurato promitteret, nil ſe contra Jura & Pacta facturum, & poſtea demum ordines ſacramentum ipſi dicerent. Porro litigium *Joannis*, Sonderburgenſis, cum Rege *Chriſtiano*, Duceque *Joanne Adolpho*, & ordinibus, de communi regimine, quod ſibi ſanguinis jure vindicabat, natum. Quibus argumentis Dux *Joannes* ad probandum jus ſuum uſus, Cæſaream imploraverit autoritatem, & ſub quo obtentu provinciæ moderandi ſui auſpicia, neglectis Imperialibus Edictis, *Joanni* tradere recuſaverint, omni accuratione compoſitum deprehendes. *Joanne Adolpho* præmatura morte extincto, filius *Fridericus* tanto conatu contra facultatem eligendi Principem niſus eſt, ut illam labefactatam demum everteret. Multa animadvertenda hic incidere, & ſingulari artificio membra & vires civium dividere *Fridericus* ſtuduit, nec quidquam tamen cauſæ ſuæ juſtitiæ deeſſe voluit, dum Cæſaris *Rudolphi* Decretum, & traditionem in Feudum Holſatiæ & Slesvici ab Imperatore & Rege Daniæ factam pro ſe facere contenderet. Eodem impendio ac diligentia non minus conquiſivit, quæ *Chriſtianum IV* bello civili Germaniæ illigarunt, feceruntque, ut pro ſalute communi arma caperet. Cum Electores in tanta converſione rerum Bohemicarum ac perturbatione, Mulhuſæ coirent, pro Germaniæ difficili ſtatu conſilium capturi, *Chriſtianus IV* Electorem Saxoniæ, literis a ſtudio Pontificiorum revocans, domus Palatinæ & Lutheranorum ſalutem ipſi commendavit. Pugna in albo monte commiſſa, qua omnis Palatinorum ſpes everſa, inferioris Saxoniæ alioſque Evangelicæ religionis Principes & Status Segebergam conſcripſit. Affuere Rex ipſe Bohemiæ, *Fridericus*, cum conjuge, præterea *Chriſtianus*, *Fridericus*, & *Auguſtus*, ex domo Brunſuico-Luneburgica Principes. Ut omnia prius

Marginalia: Pag. 43 n. a & b. — 72 & 77. — 168 & 170. — 451. — 486.

prius amicis conſiliis, quam armis, experirentur, decernebant legationem ad Cæſarem, Epiſtolamque ad Marchionem de Spinola, ſummum exercitus Cæſarei præfectum. *Henricus Rantzovius* & *Julius Adolphus a Wintersheim*, Pag. 493 ſeq.
Viennam miſſi, *Chriſtiani IV* nomine querebantur, exercitum, duce Spinola nimia licentia luxuriantem, agris imminere Palatinis, *Fridericum* vero, fractis jam rebus ad album montem, contra Imperii leges legemque Regiam proſcriptum, nec ab Haſſiaca ditione temperatum eſſe. Adeo benigne auditi, ut Cæſar humanitate dictuque ſpecioſis minantem Daniæ Regem mitigare voluiſſe videatur. Superbius Spino- 505.
la & Hiſpanico ſupercilio ad literas, communi Principum nomine conceptas, reſpondit. Ceterum Autor paſſim de Viris doctis mentionem intulit, partimque brevia vitæ curricula expoſuit, partim quædam memoratu digna tantum notavit.
Tychonem de Brahe, nobili genere natum, qui tamen non 144 ſeq.
majorum, quibus ortus erat, ſed ſua, gloria ſplendorem aſſecutus, *Paulum*que *Eitzenium*, Theologum quondam illuſtri 153 ſeq.
laude celebratum, totos nobis ſiſtit. Ille, qui in tanta aſtrorum cognitione non niſi rerum ſuperatum & cœleſtium 174.
ſpectator viſus, ſibi agreſtis puellæ amorem non duxit pudori, ſed illam tori ſociam adſcivit. De *Joanne Wowerio* 260 n. u.
critica quædam obſervavit, & ab illo exquiſitis rationibus mutatæ fidei doctrinæ noxam avertit, de qua *Baudius* & *Baylius* eum appellavere. Notæ, quæ cuique §. adjectæ, partim originem & propaginem Principum, partim criticas Obſervationes fonteſque Hiſtoriæ, tenent. Demum Cl. *Lanckmannus*, de Republica & patria & literata optime meritus, A. 1626 ſecundum hocce Volumen Hiſtoriæ concludit, cujus continuatio in omnium deſiderium jure meritoque venit.

EMONIS LUCII VRIEMOET, PP. LINGU. Orient. Arabiſmus, exhibens Grammaticam Arabicam novam, & Monumenta quædam Arabica, cum Notis miſcellaneis, & Gloſſario Arabico-Latino.

F Frane-

Digitized by Google

Franequeræ, apud Vib. Bleck, 1733, 4.
Alph. 1 pl. 10.

Postquam Cl. Autor Grammaticæ Hebraicæ Compendium methodo *Altingiana* & *Buxtorfiana* ediderat, nunc etiam de linguæ Arabicæ studiosis bene mereri voluit. Quo fine majorem *Thomæ Erpenii* Grammaticam in eorum usus vulgavit, sed, ne totam ex eorum manibus illam excutere velle videretur, omisit hic aliqua, quibus in primis principiis carere tirones poterant, & quæ illic legi uberius possunt, inter quæ illa maxime de diversis Nominum formis. Simul tamen operam dedit, ne quem facile in exercitiis analyseos Canones destituerent. Addidit ipse illis, quos alibi, & inprimis apud *Erpenium* & *Guadagnolum*, repererat, alios quosdam novos, quos singulari autoritatis, qua nituntur, definitione, dictorum præcipue Alcoranicorum, distinxit, in reliquis nuda exempla, pleraque tamen ex eodem Alcorano desumta, addidisse contentus. Syntax,ilicet breviculæ, varia quoque, sive propria industria, sive libellorum, *Giarumiæ*, & *de centum Regentibus*, ab *Erpenio* editorum, & non semel *Guadagnoli* ope, accesserunt. In Speciminibus Arabici sermonis facilia, utilia, & jucunda, gratissimo vinculo conjunxit. Notæ autem miscellaneæ ad selecta tantum *Corani* Capita pertinent, in quibus passim linguæ Arabicæ usum in Hebraica erudite ostendit, quod ut copiosioribus paulo observationibus factum esset, optamus, sed eo fine Cel. *Schultensii* scripta commendat. *Glossarium* pro tirocinio illorum, quibus justum Lexicon Arabico-Latinum deest, adjecit, ex quo verborum sensus in speciminibus insertis peti potest, nempe *p. 91 seq.* Capitibus *Corani XXII, LXVII, LXXV*; *p. 109* vita *Mohammedis* ex *Abulpharajo* excerpta, & a *Pocokio* jam edita. *Pag. 128* Confessione fidei *Mohammedicæ* ex MSto Arabico; *pag. 131* Dissertatione religionis *Mohammedicæ*, ex MSto Bibliothecæ *Ultrajectinæ*, continente Responsum ad Tractatum Christianorum Insulæ Cypri, refutantium religionem *Mohammedanorum*, Autore *Mohammede*, filio *Abi Talibi*, *Anzalia*

So-

Digitized by

Sophi, Damasceno; *pag.* 150 locis quibusdam ex Versione Arabica Veteris & Novi Testamenti allegatis; *pag.* 160 Eloquentiæ *Hariri* Specimine ex Dissertatione ejus secunda, nuper a Doctiss. *Schultensio* edita; *pag.* 166 Carmine Arabico *Abi Zeidi Serugiani* ex Dissertatione *Haririana* prima, & tandem *pag.* 168 Carmine *Ibn Phered*, Ægyptii, de Amore Dei & conjunctione Dei cum creaturis, quod *Jo. Fabricius*, Dantiscanus, olim publicavit, ac Specimini suo Arabico, fere primo in Germania, A. 1638 Rostochii edito, *pag.* 151 inseruit, ac Notulis quibusdam illustravit.

ELOGIUM S. REV. PATRIS LE QUIEN.

Seculum fere est, ex quo virum tanta tamque perfecta exornatum eruditione non vidit Francia, quanta fuit nostris temporibus Vener. *P. Quienius*, mense superioris anni Martio morte extinctus, eruditis omnibus luctuosissima. Bononia est, quæ tanti ingenii virum A. 1661, octavo mensis Octobris die, nobili natum loco, protulit. Nec tamen præter nativitatem Bononiæ multum debet *Quienius*, a primis pueritiæ annis delatus Lutetiam, atque ibi, tanquam in communi doctorum Virorum schola, primis, quæ vocant, literarum elementis in Collegio, *du Plessis* vulgo dicto, feliciter imbutus. In qua studiorum palæstra cum ad vigesimum usque ætatis annum non invita Minerva fecisset ingenii viriumque periculum, in Monasterio suburbii S. *Germani* Dominicanorum sacerdotio se investiri passus est. Ast nec hic quidem locus pietati *Quienii* nostri videbatur satisfacere, quippe quem, ut vitam in posterum coleret durissimam, cum alio urbis monasterio commutavit, ibique perpetuum sibi vitæ delegit domicilium. Atque hoc potissimum loco, quicquid ipsi ex elegantioribus literis deerat huc usque, indefesso supplere studio, ingeniumque, antea bonis artibus jam satis excultum, firmare magis atque magis allaboravit. Linguam igitur Hebraicam ante omnia putavit addiscendam, idque viam monstrante perfecit Ven. *P. Massoulié*, quo doctior hanc linguam tunc temporis non erat alter, quique inter alia, quæ communi eruditorum

plausu excepta fuere, scripta, illo præ ceteris, cui titulus est: *Divus Thomas sui interpres*, nomen suum reddidit immortale. Huic autem linguæ deditus, Græcas literas, quas antea egregie calluerat, non neglexit; & Arabicas tractare erat animo, quarum insignem in sacro studio senserat utilitatem. Quantum, hæc edoctus omnia, profecerit brevi in doctrinarum cognitione, vel ex solo illo bello literario elucet, quod, annum ætatis nondum ingressus trigesimum, *Pezronio*, ejusque libro, quem inscripsit *Antiquité des temps*, non sine aliqua victoriæ spe, intulit, in quo tam oppugnator intimidus, quam partium suarum defensor stetit fortissimus. Testimonio sunt duo ejus Scripta, quorum altero ad certamen provocavit *Pezronium*, altero ejusdem impetum sustinuit, utrumque conjunctim typis mandatum Voluminibus duobus in 12. Vix autem compositæ inter illos res erant, cum, sumtis iterum contra *Pezronium* armis, Dissertatione, ejusdem libro, quem *Essai du Commentaire sur les Prophetes* nominavit, opposita, novum caneret classicum, quam postea Dissertationem Annalibus literariis, quos *Memoires de Trevoux* vocant, A. 1711 insertam deprehendimus. Post bellicos hosce labores in novam *Joannis Damasceni* editionem, quicquid in his artibus poterat, summa contulit industria. Hanc A. 1712 Voluminibus duobus in fol. ex variis editionibus Gallorum, Italorum, atque Anglorum, nec non manu exaratis Codicibus, collectam, in Latinam linguam translatam, doctisque multis decoratam Annotationibus ac Dissertationibus præliminaribus, in publicum prodire jussit. Sapuit tamen Noster longe ultra nostrorum literatorum plebem, quæ non nisi edendis aliorum intenta scriptis, famam inde magnumque nomen solet captare. Propriis enim radiis inclaruit *Quienius*, qui & aliis scriptis, ex suo tantum ingenio prognatis, veram sibi gloriam acquisivit, inter quæ *la Panoplie*, contra Schismaticos Græcos sub ficto nomine *Etienne de Altimura* edita, primo loco nominari meretur. Debentur illi, præter hoc, quod nominavimus, scriptum, varii generis Dissertationes, in Diarium Eruditorum, quod sub titulo *Memoires de Literature & d'Histoire* prodit, relatæ, ex quibus illa *de Sanchoniatho*, Phœnices scriptore, de *S. Nicolao*, & *Portu Iccio*, præ ceteris de singulari

gulari ejus doctrina testantur. Nec minoris momenti sunt, quæ contulit Noster ad emendandam atque illustrandam *Josephi*, Historici, editionem, quam Angli haud multos ante annos non sine eruditorum plausu curavere. Nunc, ubi ad Opus illud pervenimus, ad quod omnem operam studiumque suum converterat, multa de illo forent dicenda, nisi cavendum nobis esset, ne prolixiori enarratione consuetos limites transgrederemur. Sufficiat hoc loco monuisse, in eo multos annos elaborasse *Quienium*, ut Ecclesiarum Orientis atque Africæ absolutam conderet historiam, cujus instituti rationem ipse Autor exposuit in Dissertatione, A.1713 sub titulo: *Oriens Christianus & Africa*, in publicum edita, ad quam Lector nobis erit remittendus. Non contigit tamen *Quienio* nostro tam felici esse, ut ipsos universi Operis videret natales. Non enim nisi Tomus primus ipso vivente prodiit, quem tamen subsequi quam proxime poterit alter, ita scilicet ad subeundum prelum paratus, ut ne lima quidem ulterius egeat. Moram hanc, licet longiorem, quam quidem expectatio ferebat eruditorum, non accusabunt tamen, quibus innotuit controversia, quam cum *P. Courayerio* de Ordinationibus Anglicanis habuit Noster. Adeo enim se illi dederat Vir ad doctas lites fere natus, ut præter refutationem, quam duobus Voluminibus in 12 edidit, replicam etiam, quam vocant, & Epistolam, in *Mercurio Gallico* mense Aprili A. 1731 publicatam, hac de re in vulgus emitteret. Ast non ex solis scriptis *Quienii* nostri elucet, quantæ Vir fuerit industriæ; sunt & commercia literaria, quæ cum viris habuit nostri Seculi literatissimis. Præter amicitiam enim, quam cum *P. Montfauconio* sex atque quadraginta annnos coluit arctissimam, cum Viris etiam doctissimis, *Renaudot, de Fleury, de Longuerüe, des Thuilleries, P. Harduino, Simone, Ernesto Grabbe, Maurocordato*, ultimo *Wallachiæ* Principe, & cum *Chrysante*, Episcopo olim Hierosolymitano, nec non cum Viris aliis per omnes Europæ partes celebratissimis, commercium frequentissimum aluit. Animi dotes, quas a natura acceperat Noster, si spectes, pietate ac probitate vitæ cives suos fere omnes anteivit. Si quid præterea

 restat,

restat, quod ad commemorationem vitæ ejus pertineat, hoc certe erit, diversi generis scripta, quæ lucem nondum viderunt, in scriniis defuncti fuisse reperta, atque inter illa præ ceteris Historiam Bononiæ, quæ num suis aliquando egressura sit tenebris, nostrum non est hariolari.

NOVA LITERARIA.

Omnibus non modo Italiæ eruditis, sed & exteris, fama compertum est, quantum boni Hetrusca Cortonensis Academia in eruendis & illustrandis Hetruscis ac Romanis antiquitatibus semper afferat literariæ Reipublicæ universæ. Hinc, cum nuper hac de re Dissertationes quædam de præcipuis hujusmodi antiquitatibus, per Viros eruditos collectis, nec non historiis, ad nobilissimos urbis Romanæ Bibliopolas, *Laurentium, Thomam,* & *Nicolaum Pagliarinos*, pervenerint, hi omnibus interioris literaturæ & veterum monumentorum studiosis gratum facturos ducunt, si hæ sumtibus ipsorum luci donentur publicæ. Ut autem hujusmodi rerum amatoribus, quid ab ipsis in hoc Opere præstitum sit, innotescat; certiores hos faciunt, typis elegantissimis excusum Opus, æneisque Tabulis ornatum, potiora antiquorum monumentorum ac Hetruscorum rituum insignia referentibus. Idque, Deo favente, quam proxime proditurum, significant. Si vero, ut sperant, gratiam ejus laboris aliquam ab eruditis inierint, singulis annis singulos Tomos edere, ipsis est propositum.

Absolutis feliciter, intra constitutum anni unius spatium, quatuor Tomis prioribus *Thesauri Juris Romani, continentis rariora meliorum Interpretum Opuscula,* masculæ & elegantioris Jurisprudentiæ cultores optarunt, ut ad *quintum Tomum* edendum se confestim accingeret *Joannes Broedelet*, Bibliopola Ultrajectinus. Si qui vero exiguæ, quæ interjecta est, moræ impatientes fuerint, hos sibi æquiores fore confidit, ubi justas morandi causas acceperint, quæ duæ sunt; altera, quod in urgendo primo Opere assiduus labor atque in perficiendo celeritas ipsum ita totum occupavit, ut, relictis ceteris, hoc unum agere coactus fuerit. Itaque interrupta negotia resumenda fuerunt, damnumque inde metuendum

dum oportuit reparari. Altera cauſa eſt,quod non tam facile fuit libellos, qui ſimul rari,parvi,& utiles eſſent, undique conquirere; quin vel unus aut alter aliquot menſium moram injicere potuit. Tandem vero Cl. *Ev. Otto* Opuſculorum ſeriem, infra adſcriptam, ex immenſa copia confecit, eamque Ill. Vir *Corn. van Bynkershoek*, qui & ipſe majorem eorum partem de ſua inſtructiſſima ſupellectile liberali manu contulit, ſuffragio ſuo probavit. Sunt vero hæc: Hieronymus Groſſotius *de Uſucapionibus*; Idem *ad l. Lecta 40 D. de Rebus creditis*; Marii Arcadis & Petri Aldobrandini *Interpretatio l. 1 C. de Edendo*; Jacobi Curtii Εἰκαςῶν, i. e. *Conjecturalium, Libri VI*; Antonii Guiberti Coſtani *Quaſtionum juris memorabilium Liber*; Pardulfus Pratejus *ad legem Juliam de fundo dotali*; Idem *ad Tit. Inſtit. de Officio judicis*; Ejusd. *Veteres populi Rom. leges*; Antonius Leſcurius, Julius Pacius, Joannes Mercerius, Davydargenteus, & Marqu. Freherus *ad l. Frater a fratre 38 D. de Condictione indebiti*; Petri Grangiani *Paradoxa Juris Civilis*; Elberti Leonini *Prælectiones in Tit. C. de Jure emphyteutico*; Claudii Chiſletii *de Jure fideicommiſſorum Libri IV*; Idem *de Subſtitutionibus*; Idem *de Portionibus legitimis*; Idem *de Secundo Capite legis Aquiliæ*; Gulielmi Ranchini *Variarum lectionum Libri III*; Joannes Solorzanus *de Parricidii crimine*; Jacobus Leſchaſſerius *de Vocabulis ad Geographiam Juris Rom. pertinentibus*; Joſephus Fernandez des Retes *ad Tit. D. de Interdictis & relegatis*; Benedicti de Jeſu Chriſto *Novæ veteres vindiciæ dignitatis & autoritatis Juris Civilis*; Juſtus Zinzerlingus *ad l. 5 D. de Nautico fœnore*; Tuſſani de la Rue *Amœnæ Juris Obſervationes*; Jo. Koolius *ad Legem Ateriam Tarpejam de multis*; Everardi Ottonis *de Vita & ſcriptis Servii Sulpicii Liber ſingularis*; Ejusd. *Alfenus Varus, ab injuriis veterum & recentiorum liberatus*. Claudent Tomum Indices V in univerſum Opus. Quodſi diu quæſitas Ed. Caldeiræ *Varias lectiones*, & Henr. Ernſtii *Catholica Juris*, beneficio eruditorum obtinere licebit, ea forſan in *Coſtani* vel *Ranchini* locum ſubſtituet. Hæc ergo Opuſcula, additis Legum numeris,& Autorum Capitibus ſuppletis, caſtigatiora iis legibus recudere ipſi eſt conſtitutum, quæ ſequuntur: 1) Chartæ nitor,

typo-

typorum elegantia, librique forma in Folio, eadem erit, quæ in prioribus Tomis; literarum autem forma in Programmate, sigillatim edito, conspicienda præbetur. 2) Quintus hic Tomus cum Præfatione atque Indicibus explebit folia integra, sive plagulas, *230* vel *240*, cum rubrica tituli, atque pictura ænea, vulgo *Vignet*. 3) Præter numerum inscribendorum exemplarium haud ullum imprimetur, nisi quantum ad supplenda illa præcedentium Tomorum exemplaria, quæ tunc subscriptorum numerum excesserunt, requiritur; ita, ut omnes, qui negligent hunc quintum Tomum subscriptione sua redimere, in perpetuum cavituri sint occasione integrum *Thesaurum* explendi. 4) Pretium chartæ minoris erit *fl. 10 cr. 10*, i. e. duorum ducatorum Belg. majoris, sive augustæ, *fl. 16*. Utriusque pretii dimidium tantum repræsentabitur, quando nomina dantur, altera pars solvetur, quando exemplaria traduntur. 5) Nomina redimentium admittentur usque ad Cal. Martias hujus Anni, quo tempore Opus incipiet prelum exercere. 6) Tradetur illud statim, quamprimum erit absolutum, quod intra annuum spatium, (ut sperat, & omni ope conabitur,) perficietur. 7) Nomina inscribentium Operi præfigentur, &, si redemtorum alacritas atque frequentia animum ipsi addet, favente supremo Numine, constituit deinde quoque in lucem emittere *Francisci Balduini* Opera minora, *Scipionis & Alberici Gentilis*, fratrum, Opuscula, & *Guilielmi Marani* Opera omnia. Qui quatuor priora hujus *Thesauri* Volumina sibi adhuc parare cupiunt, poterunt eorum compotes fieri intra id tempus, quo subscriptio durat, pretio *flor. Belg. 45*, ut & novas Præfationes seorsim comparare *fl. 2 cr. 10*. Hi vero, qui nomina ad eos Tomos redimendos jam ante dederant, neque tamen eos ab ipso repetivere, monentur, ut relicta illa exemplaria intra idem tempus arcessi curent, quo elapso, jure suo excident, neque deinde minori pretio illa comparare poterunt, quam hi, qui nomina non dederant. Subscriptiones ad hunc Tomum iidem Bibliopolæ recipient, qui ante, cum Tomi priores IV ederentur, operam hanc susceperunt.

Supplementorum ad *Acta* nostra *Tomi X* haud ita pridem *Sectiones XI & XII* prodiere, cum duplici in universum *Tomorum Indice*.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii Anno MDCCXXXIV.

MARMORUM ARUNDELLIANORUM, SELdenianorum, aliorumque, Academiæ Oxonienſi donatorum, cum variis Commentariis & Indice, ſecunda Editio.

Londini, apud Guil. Bowyer, 1732, fol.
Alph. 7 pl. 10, cum impreſſis paſſim imaginibus æneis.

Altera hæc vocatur Editio cum reſpectu ad *Prideauxianam* anni 1676, cum *Seldenus* Arundelliana tantum Marmora A. 1628 ediderit, nuper inter Opera Viri recuſa. Procuravit eam Vir ſæpe nobis laudatus, *Michael Maittaire*, & dedicavit Celſiſſimo *Thomæ*, Norfolciæ Duci, nepoti *Henrici*, Norviciæ Comitis, qui ab avo ſuo, *Thoma*, Arundelliæ Comite, conquiſita Marmora Academiæ Oxonienſi donavit A. 1667: cujus rei ut teſtatior maneat memoria, Cl. *Maittaire* Epiſtolas aliquot, ea de re ſcriptas, & ex avtographis deſumtas, Præfationi ſubjecit. Repræſentatur hic textus (una cum Appendice) Marmorum Græcorum primum, deinde Latinorum, literis majuſculis; & quatuor Hebræorum; Græcorum poſtea minuſculis; appoſita Latina *Jo. Seldeni*, *Humphr. Prideaux*, & *Jo. Pricæi*, interpretatione; ſubnotatis, ubi opus erat, variantibus interpretum lectionibus. Sequuntur *Jo. Seldeni* Commentarii, quales adhuc fuere. Neque enim in lucem pro- Pag. 99-197.

protracti sunt ampliores Commentarii, quos reliquisse *Selde-
num*, ex *Vossio* audivit *Colomesius*, si vera narrat *p. 330 Opp.*
Pag. 197. *edit. Fabric.* Tum *Jo. Pricæi* in Marmor tertium novæ dis-
positionis, de qua mox dicemus, Notæ, ex illius Observationi-
200. bus in *Apuleji* Apologiam, A. 1635 Parisiis, 4, editis, repetitæ. Tum
Jacobi Palmerii a Grentemesnil, Supplementa ac Notæ ad Chro-
nicon Marmoris Arundelliani, a Cl. *Seldeno* publicati, excer-
pta ex ipsius Exercitationibus in optimos fere Autores Græ-
222. cos. Porro exhibentur ex *Prideauxii* editione *Th. Lydiati*
295. Annotationes ad Chronicum marmoreum. Ex Chronico au-
309. tem Canone *Jo. Marshami*, quæ is de æra Attica ad idem
Marmor commentatus est. Jam sequitur *Humphridi Pri-
deaux* perpetuus in Marmora ab ipso edita Commentarius.
Sed *Sertorii Ursati* de Notis Romanorum Commentarium,
quem suæ ille editioni adjecerat, tanto securius omissum a se
ait Cl. Editor, quod Anno demum 1723 Parisiis, in 8 recusus, ra-
rior esse desiit, ea vero, quæ ad Marmora hæc proprie per-
tinent, in Indicem sunt conjecta. Cumque passim *Seldenia-
na* suis intexuerit *Prideauxius*, diligenter hic remittit Lecto-
res Editor ad hujus editionis paginas & versus, ut adeo nihil
incommodi oriatur Lectori, quod sua suo ordine proposita
509. *Seldeno* hic relinquuntur. Jam sequuntur *Th. Reinesii* Notæ,
ex ejus Syntagmate Inscriptionum huc relatæ, *Jac. Sponii*
524. aliquot ex Miscellaneis eruditæ antiquitatis, itemque *Edmun-
527. di Chishull* nonnullæ, ex Asiaticis Viri doctissimi Antiquitatibus
532. decerptæ; ac *Thomæ Smithi* pauculæ ex Epistola de septem
Ecclesiis Asiæ, ubi quasdam Inscriptiones primum publicavit.
533. Sed etiam ex *Richardi Bentley* Dissertatione in *Phalaridis* E-
pistolas aliquot Observationes in hanc Syllogen retulit Editor,
Anglice quidem, cujus rei hæc affertur causa: *Excerpta illa
ex Anglico sermone in Latinum vertere mihi religio fuit;
ne sua per versionem barbaram fuisse corrupta Vir in Criti-
corum gente fama & nominis celebritate potens quereretur.*
Similemne causam habuit? certe nullam dixit, cum Italice
540. proposuit Ill. *Scipionis Maffeji* Versionem Italicam & Expli-
cationes antiquissimorum Marmorum duorum ex ipsius de Ita-
lis

Digitized by Google

lis Interpretibus libro. Reginam Inſcriptionum ipſe vocat *Maſſejus* primum illud Marmor chronicum, quod cum fœderis tabulis inter Smyrnenſes & Magneſianos Italice, ut diximus, interpretatum hic datur. Ex *Henrici Dodwelli* de veteribus Cyclis Opere hic exhibentur Tabulæ, Marmor illud primum illuſtrantes. Claudit agmen ipſius Cl. Editoris Conjecturarum & Annotationum cum in ipſa Marmora, tum in varias ad eadem doctorum Virorum Commentationes, Specimen, atque Index, quo inprimis hæc editio ſuperiorem vincit. De utroque aliquid dicetur, cum hoc ante obſervatum fuerit, diſceſſum eſſe ab ordine *Humphridi Prideaux*, qui eum ſervaverat ſcilicet, quo in Cimeliarchiis Oxonienſibus collocata tum erant Marmora. Inde vero cum poſt translata fuerint,& aliter diſpoſita; potius viſum eſt, temporis & dignitatis quadam ratione habita ea collocare, & reginam illam, quam vocat *Maſſejus*, Inſcriptionum primo loco ponere, tum fœderis inter Smyrneos & Magnetes, itemque alterius inter Hierapytnios & Prianſios, Tabulas; ac deinde uti quæque merebatur, ea fere ratione, quæ a *Grutero Reineſio*que obſervata eſt, ita tamen, ut primo Græcæ omnes, deinde, eodem ordine ſervato, Latinæ ponantur. Cl. Editor, ut in aliis rebus, ita hic etiam, habuit rationem commmoditatis lectorum, perfecitque Tabella quadam, ut facillime conferri ſua editio cum præcedentibus poſſit. Ad ſuas Obſervationes uſus eſt tribus Oxonienſis editionis exemplis, ad quæ *Thomas Smithus*, *Jo. Pearſonus*, & *Gu. Stratford*, quædam adſcripſere. In his igitur Obſervationibus diligenter notat *Maittairius* diverſam lectionem non modo editorum diverſorum, ſed etiam ſingulorum, a ſe ipſis aliquando diſſidentium. Quid ipſum impediverit, quo minus ad ipſa avtographa lapidea exigeret id genus varietates, neque ipſe commemorat, neque noſtrum eſt divinare. Videbatur ſane operæ pretium, Oxonienſis Academiæ alumnum (qui hanc matrem ſuam etiam in fronte libri alloquitur,) collectas dubitatiunculas, inſtituta, qua diximus, collatione, vel diſcutere, vel, ſolvi hodie non poſſe, indicare: & apparet, inſpecta fuiſſe Marmora certe quædam, ex figuris hic recens editis:

Pag. 549.

553.

pleræque enim ex antiquis laminis expressæ sunt, licet recentatis. Alia materia notarum sunt formulæ similes, apud alios
Pag. 555. Autores observatæ. Inprimis plures jurisjurandi fœderalis formulas comparatas inter se dedit Vir Cl. Nec desunt Grammaticæ Animadversiones. Ad hoc ultimum genus etiam pertinet, quod observat, vocem *διὰ* post *ἐπόμνυμι* potius *Δία*, h. e. *Jovem*, notare, cujus alioquin nulla fieret mentio, quam ut adhuc acceptum fuerat præpositionem *διά*. De jota conjunctivorum tertiis personis adscribendo, illud adjicere poterat, in *Aoristis* passivis plane præter rationem illud adjectum videri, neque adeo vitiosum esse, cum *Inscr. II, 58, συνσφραγίσθη* in ea constructione legitur, quæ conjunctivum admittit;
556. aut *ibid. 101 προσοριάσθη*. Sed docet tamen Viri Cl. Index, etiam hic adscribi ordinarie in antiquissimis Marmoribus jota. In eodem Marmore *98* (operarum errore non respondet sibi hic versus ejusdem Inscriptionis majusculis & item minusculis literis expressæ: est hic in majusculis versus *99*,) ita legitur *μετὰ πάσης προθυμίας προσεδέξαντο ταξιέμενα ὑπὸ τȣ̃ δήμȣ*. Hic *Maittairius* primo *ταξιέμενα* derivari ait a verbo *ταξιόω*, cujus, ignoti alias Lexicis, conjugatum sit *ταξιώτης* apud *Suidam*; sed multo nobis fit verisimilior, quam subjungit, conjectura, *ταξιέμενα* esse *τὰ ἀξιέμενα, quæ digna judicata sunt*. In Indice neque verbum *ταξιȣ́μενα* posuit, neque sub *ἀξιόω* hunc locum attigit. Ceterum simile est *v. 107*, itemque *108, τἄλλα* pro *τὰ ἄλλα*. In ultimo versu hujus Marmoris ita legitur, *εισταςϛηλαςταςαναϛεθησομενας εντοιςιεροιςυποτετȣδημενκαι* - - - (*sex literas deficere ita notatur*) *εκμαγνησιαςαναγεραφθαιδεαυτοκαιεντοιςδημοσιοις*; supplet *Prideauxius καὶ τῶν ἐκ γερȣσίας*, & c…ra illud *εκ* ante *Μαγνησίας* omittit. Discutiendum remittere se dicit hoc sagacioribus Cl. Editor. Non autem videtur opus magna ad eam rem sagacitate. Quid enim pronius, quam supplere sex literas *βούλης*; illud *ἐκ Μαγνησίας* tanto minus habet dubitationis, quod paulo ante *τοῖς ἐκ Μαγνησίας*
573. est, h. e. Magnetibus. Obiter hic exhibetur Catalogus accuratus Opusculorum *Lydiati* Chronologicorum. Occurrit etiam aliud,

aliud, quod ſubducere Lectoribus nolumus, cum Hiſtoriæ literariæ cauſa legant omnes *Acta* noſtra, interiores literas aliunde fere petant. Obſervat Cl. Editor, ſæpe τὴν *ut* in *Prideauxii* Commentario cum indicativo conſtrui, (quale quid in *Burnetii* Theoria telluris, & aliis præſtantiſſimorum cetera hominum ſcriptis pluribus, ſæpe a nobis obſervatum meminimus, adeo quidem, ut difficilius ab Anglis hunc errorem caveri, inſtar obſervationis certæ olim habuerimus,) & plura ejus rei exempla profert, negatque, (quam candide, ipſe viderit,) non potuiſſe ipſum Autorem in eodem ita ſæpe luto hærere. Sed per hanc occaſionem Epiſtolam profert Anglice ſcriptam ab Ill. Viro A. 1720 ad *Robertum Pearſe*, qui tum in animo habebat edere hæc Marmora. In hac profitetur, ſcriptum illum Commentarium *Jo. Felli*, Epiſcopi, juſſu a juvene admodum, qui vix tum Baccalaureus Artium eſſet, & ita ſcriptum, ut, quæ vix dum ſiccæ eſſent ab atramento, chartæ ſtatim tradendæ eſſent typographis. Incidiſſe porro librum in compoſitorem typographicum, imperitiſſimum hominem; cumulum malorum fuiſſe, quod is, qui ſpecimina typographica emendanda ſuſceperat, in amore mulierculæ occupatus, aliud ſubinde ageret. Itaque rogat *Pearſium*, cum ſibi jam non ſit otium emendandi libri ſui, ut diligenter, quicquid vel a ſe, vel ab aliis, peccatum ſit, corrigere velit. Ac *Pearſium* quidem a conatu illo edendi hæc Marmora deceſſiſſe, modeſte dolet *Maittairius*, ipſe vero pergit pluſcula annotare, quibus vel augeantur *Prideauxii* Annotata, vel emendentur. E. g. dixerat ille *p.* 457, 37, ſacerdotes fœminas Dearum, non item Deorum, fuiſſe: Pythiam Delphis non ſacerdotem, ſed vatem. Hic Noſter non tantum laudat *Virgilii* illud *Æn.* 6, 35, *Phœbi Triviæque ſacerdos Deiphobe*, & *v.* 544, ubi *magna ſacerdos* vocatur, verum etiam Inſcriptionem, in vico *Corebridge* Northumbriæ inventam, ubi votum ſolvit, lapidem certe ponit *Herculi* Διοδώρα Ἀρχιέρεια. Poſſit aliquis illud primum objicere Cl. Editori, *Sibyllam* illam *Virgilianam* ſacerdotem dici non reſpectu *Phœbi*, ſed *Triviæ*, ſeu *Dianæ*: in Corbrigienſi autem Inſcriptione non illud dici, *Herculis* Ἀρχιέρειαν fuiſſe

Pag. 578.

579.

Deodoram; sed alterius forte nominis, de sexu sequiore. Majori forte jure provocasset ad *Pausan. Corinth. p. 76, 5, Wechel.* Ἔςι δ᾽ ἐν ποσειδῶνος ἱερὸν ἐνταῦθα (de Calauria Insula loquitur,) ἱεϱᾶται δὲ αὐτῷ παϱθένος. Apud eundem *Eliac. II p. 197, 32*, Sosipolis ἐπιχώϱιος δαίμων Eleorum, habet *sacerdotem vetulam*. Et affertur ista scribentibus commode *Jo. Harsleji* Britannia Romana, de quo libro præclarissimo alias dicemus. Hic non modo eundem lapidem exhibet inter Northumbricos *n. 106*, sed etiam ex *Gruteriana* Inscriptione *p. 319, 4*, & ex priore loco, quem modo laudavimus, *Pausaniæ*, itemque ex alia Inscriptione apud *Montfauconii Palæogr. Gr. p. 160* ostendit, fieri potuisse, ut mulieres sacerdotio Deorum marium fungerentur. Neque tamen id dissimulamus, videri subesse peculiarem causam, quoties fœmina sacerdos Dei est. Ita *Sosipolis* ille parvus puer fuit, quem vel mater, vel nutrix obtulisse *Eleis* dicitur. Ita Neptuno Calauriæ non ultra pubertatis initia ministrat virgo sacerdos. Sed non licet nobis evagari extra oleas. Cl. *Maittaire* in suis Observationibus quas Inscriptiones neglexerat communi charactere & minuto Græcorum proponere *Prideauxius*, supplet; si quæ post illud tempus illustratæ sunt, indicat, vel etiam longos satis librorum locos proponit. Ita *p. 590 seq.* exhibet *Patricii Junii* in secundum Marmor Observationes ex ipsius avtographo, satis longas. In fine ex *Chishullo* præsertim & aliunde conducit, quæcunque pertinent ad illustrandum nobile Decretum Lacedæmoniorum Ephororum contra *Timotheum*, a *Boethio* conservatum principio libri de Musica. In ipso autem Indice sub P profert fragmentum Epistolæ *Jo. Seldeni* ad *M. Meibomium*, ubi is illam in ϱ mutationem τῦ σ ex imperitia natam cum *Meibomio* pronuntiat, & expungenda verba *Boethii, literam S in R vertentium.* Sed respondet ipse, & aliunde etiam constare de illa Lacedæmoniorum consuetudine: & laudaverat (*p. 595* ad *s* & *t*) *Strabonem pag. 448* & *221*, *Plat. p. 297*, *Phrynich. p. 18*, *Eustath. p. 492, 14*, *p. 279, 33*, *p. 114, 33.* Ex *Hesychio Casaub. ad Athen. p. 614 seq.* Quod *Scaliger* jam miratus est ad *Manilium*, nihil tale reperiri apud *Thucydidem* in formulis fœderum, nec in *Lysistrata Aristophanis*: etiam

oc-

occurrit apud hunc, v. g. ἔλσοιμι, cum ſit apud illum ἐλθεῖν, &c. Claudit totam Collectionem Tabula fœderum inter duos Cretæ populos, Latios & Olontios e Marmore vetuſto, quo ruſticus quidam in agro Cydonienſi pro menſa uſus fuerat, publicata primum ſeparato folio Venetiis, tum a *Chishullo* Antiquitatibus Aſiaticis inſerta: & Allariotarum ad Parios reſponſum, poſt alios ab eodem Cl. Viro in libro laudato vulgatum: ubique autem apparent diligentiæ *Maittarianæ* veſtigia, quæ præſertim in Indice elaboravit, ubi Obſervationes Grammaticæ de literarum permutatione, nomina propria, voces Græcæ, Latinæ, nomina Autorum laudatorum, aut emendatorum, uno omnia tenore & unius Græci Alphabeti ſerie comprehenſa leguntur.

SYNOPSIS TOMI PRIMI DE ACTIS SANCTOrum Menſis Auguſti, collectis, digeſtis ac illuſtratis a JO. BAPT. SOLLERIO, JO. PINIO, GUILIELMO CUPERO, PETRO BOSCHIO, Societatis Jeſu Presbyteris.

Hanc, cum liber ipſe nondum venerit ad manus noſtras, prout ab Autoribus publicata eſt ſingulari Programmate, more noſtro huc transſcribemus integram:

Exacto non ita pridem menſe Julio, ordine ſubſequitur Auguſtus, ejusque adeo Tomus primus, in ſerie totius Operis tertius ſupra trigeſimum, ſolos primos quatuor dies complectens, Sanctosque nominatim expreſſos centum ac viginti quatuor, præter claſſes nonnullas Anonymorum ſub famoſo Abenne, *Perſa, aliisque Chriſtiani nominis perſecutoribus, diverſo tempore martyrii laurea coronatorum. Inter Sanctos autem, de quibus hic nominatim agitur, ſervata eſt recepta diſpoſitio, ut in ſolitas claſſes ex more diſpeſcantur ſecundum triplicem Eccleſiæ ſtatum, Eccleſiaſticum nimirum, Monaſticum, & Secularem, ſolito etiam regionum ordine minime neglecto; fœminis vero, cujuscunque conditionis aut ſtatus fuerint, quartam & poſtremam claſſem conſtituentibus. Ex antiquo Fœdere elucent inclytiſſimi fratres, dicti* Machabæi, *de quorum vetuſto juxta ac recepto catholico cultu agitur, nec non*

de præclaris encomiis, quibus ab ipsis Ecclesiæ primordiis a Sanctis Patribus exornati sunt. Neque vero ab ipsis divelli potuere Mater *fortissima, & gloriosus senex* Eleazarus. *Quorum omnium gesta ac passio a variis, metro etiam, olim exornata, fidelissime reddita sunt, non aliunde, quam ex ipsa Canonica Historia. Neque de sacris ipsorum reliquiis, earumque variis locis veneratione, quidquam prætermissum est, concertationibus inter varias civitates, quoad licuit, utcunque compositis.*

EX STATU ECCLESIASTICO.

Aristarcho, *Pauli discipulo, si non dignitate, saltem antiquitate, primus debetur locus. Fueritne Thessalonicensium Episcopus, ac subinde Martyr, disquiritur: fuisse individuum Apostoli comitem & concaptivum, ex Magistri testimonio certissimum est.* Stephani, *Papæ I, ingentes pro Ecclesia exantlati labores satis noti sunt, uti & agitata controversia super hæreticorum rebaptizatione, adversus Cyprianum aliosque ab ipso definita: de quibus omnibus, uti etiam de pluries translatis reliquiis, accurata redditur ratio. Quemadmodum & dubia multa explicanda fuere, quæ de* Aspreno, *primo Neapolitano Episcopo, circumferuntur: de baculo & ara S. Petri, deque illius ordinatione, ab hoc præsente facta, de ætate, aliisque, ad ipsum spectantibus. Non tantum negotii facessit* Maximus, *Patavienfis.* Petri *Anagnini nobilitas, monachatus, gesta in curia Romana, legatio Byzantina, peregrinatio Hierosolymitana, exstructa demum insignis Ecclesia, aliaque gesta, abunde illustrata sunt.* Agabius, *Veronensis, cultu potius, quam gestis, celebris, non recte ab aliquo scribitur sedem Cæsariensem in Palæstina prius occupasse.* Raynerium, *Spalatensem, pluribus præclare gestis memorandum, illustrem fecit martyrium, pro Ecclesiæ suæ juribus ab impiis toleratum.* Augustini, *ex PP. Prædicatorum ordine, Zagabriensis Præsulis, pro Cleri institutione & pace inter Hungaros concilianda Orationes relatæ sunt, ipse demum ad sedem Lucerinam in Apulia translatus, eam postmodum sacris suis spoliis ditavit. Undecim Sanctos Præsules suppeditat Gallia, quorum agmen ducit*

Digitized by Google

ducit Arcadius, *Bituricenſis*, *non multis quidem*, *ſed ſolide*, *laudatus*, *quod de* Nectario & Vero, *Viennenſibus*, *etiam prædicandum eſt*. *Non minus illuſtres ſunt* Euphronii *bini ſynonymi*, *Turonenſis atque Auguſtodunenſis*, *quorum ille encomiaſten omni exceptione majorem nactus eſt Gregorium Turonenſem*, *hic vero meritiſſime etiam laudatus a ſacrarum Scripturarum ſtudio ceteriſque virtutibus Epiſcopo dignis*, *quibus mirum in modum excelluit*. Exuperius, *Bajocenſis*, *poſt ſanctiſſime adminiſtratam Eccleſiam ibi honoratus*, *metu barbarorum in interiorem Galliam transferri debuit*, *unde Corbolium tandem perductus*, *ſumma ibidem veneratione hodienum colitur*. *Quæ* Bandarido, *Sueſſionenſi*, *toleranda fuerint*, *ſatis explicata ſunt*. Auſpicius *Aptæ in provincia apud ſuos meritam venerationem obtinet*: Serenus *vero*, *Maſſilienſis*, *Blanderati in Inſubria eo loco habetur ab incolis*, *ut ejus ibi cultus majora capiat incrementa*, *pretioſis etiam monumentis expreſſa*. Berthariі, *Carnotenſis*, *vitam*, & *quæ ad eam ſpectant*, *diligenter etiam erudеrata invenies*: *quod idem dici poteſt de* Gaufrido, *Cenomanenſi*. *Oxomenſem*, *ſeu Uxamenſem*, *in Hiſpania Eccleſiam rexit* Petrus, *Monachus*, *origine Gallus*; *utrum in cœnobio Saguntino*, *non ſatis conſtat*: *a Bernardo Toletano ad infulas promotus eſt*, *quibus digniſſimum fuiſſe* & *geſta* & *ſigna demonſtrarunt*. *In Germania glorioſe floruit* Gundekarus, *Eyſtettenſis*, *tum in vita*, *tum poſt mortem mirum in modum munificus*, *ut ex ditata Eccleſia* & *ſubſecutis inſignibus miraculis facile intelliges*. *Nec minus illuſtrem ſuggerit Anglia* Ethelwoldum, *ex Abbate Abbendonienſi Wintonienſis Eccleſiæ Præſulem*, *cujus miranda geſta fideliter ac ſatis fuſe tradidit Wolſtonus*, *Monachus*. Tertullianus *Presbyter ac Martyr Romæ* & *Anicii in Gallia celebris eſt*, *uti* & Severus, *Presbyter in Novempopulonia Galliæ*.

EX STATU MONASTICO.

Dalmati, *ſeu* Dalmatii, *Archimandritæ*, *cum* Fauſto, *filio*, *Monacho*, *ſingularis converſio* & *vita monaſtica in Faſtis Græcis ſolenniter memoratur*. *De* Gregorio, *Abbate Nonantula-*

tulano, pauca superſunt. Succedit autem latiſſimus campus in geſtis Waltheni, *Abbatis in Scotia, temere confuſi & duplicati, quibus ad rectam normam reducendis labori minime parcitum eſt. Neque facilius fuit ea digerere, quæ Hiberni ſatis liberaliter de ſuo Abbate* Luano, *ſeu* Lugidio, *paulo intricatiora tradiderunt. De* Jonato, *Marchianenſi in Belgio Abbate, dicta ſunt, quæ reperiri potuerunt, omnia; imputent ſibi ſymmiſtæ, quod plura rogati non ſuggeſſerint. Ut numero, præſtantia ac varietate excelluere admiranda magni* Dominici, *Ordinis Prædicatorii digniſſimi Patriarchæ, geſta, ita longiori Commentario operoſe juxta ac diligenter illuſtranda fuerunt. Vitæ inprimis vetuſtiſſimorum ſcriptorum, a recentioribus, non uſque adeo probatis, characteribus ſuis diſtinctæ, ad editionem accurate ſelectæ. Datur Chronologicum totius vitæ compendium. Tum de ſignis, nativitatem prænuntiantibus, de patria, parentibus, pia pueritia, ſtudiis, ac virtutibus, ſermo eſt. Deſcribuntur vita inter Canonicos regulares acta, itinera cum Didaco, Uxamenſi Epiſcopo, certamina cum Albigenſibus toto decennio conſtantiſſime protracta, multisque prodigiis divinitus confirmata, rigore etiam in pertinaces hæreticos eorumque fautores adhibito; qua occaſione de munere Inquiſitoris agitur, itemque de Mariani Roſarii, quod tunc primum inſtitutum fuiſſe dicitur, antiquitate. Elucidatur inſtitutio & confirmatio Ordinis, non una appellatione principio inſigniti, ſed prævalente Prædicatorum nomine. Enumerantur itinera varia diverſis temporibus per Italiam, Galliam & Hiſpaniam, non absque ſtupendis miraculis, nec non viſionibus & ecſtaſibus; adde geſta Segovienſia, & quæ de ſtigmatibus circumferuntur, non neglecto ſacri Palatii Magiſterio. Eruderantur prima duo Ordinis Capitula, digerunturque reliqua Sancti præclariſſime geſta uſque ad obitum, cujus & facta revelatio memoratur. Ipſa Sancti etiam forma deſcribitur, agiturque de Operibus ejus literariis. Sequuntur ſepultura, elevatio, canonizatio, cultus mire quaquaverſum propagatus, & auctus etiam Soriani. Præcipua ſacra oſſa Bononiæ aſſerta, translatis alio variis*

riis

riis reliquiis; unde & posthuma gloria ex innumeris miraculis hodiedum lucidissime resplendet. Gualterus, *S. Francisci discipulus primus, in Lusitaniam socios deduxit, ibidem Vimarani celebri cultu notissimus. Inter Tertiarios eminuit* Ciccus, *seu* Franciscus, *post duram eremiticam vitam apud Pisaurenses eximia in veneratione.*

EX STATU SECULARI.

Qui hoc die Tarsia in Bithynia refertur Eleutherius, *a synonymis distinguitur, martyrio nobilitatus, atque sepulchro & insigni Ecclesia.* Hermillus & *alii ex solis Fastis noti sunt. De* Leo, *seu* Leone, *Viguentiæ in diœcesi Ferrariensi notissimo, plura, quæ ad vitam spectant, enodanda fuerunt; pretiosum depositum etiam Clemens* VIII, *Papa, veneratus est. De* Felice & Nicetio, *Martyribus Veronensibus, aliisque, sola superest cultus memoria.* Peregrinum *inter* Mantuam & Lucam, *non nisi cultu etiam celebratum, frustra Dempsterus ad regiam Scotiæ progeniem evehere conatus est. De* Justino *puero, Martyre in Territorio Parisiensi, non pauca perperam combinatæ sunt; securior videtur translationis historia in novam Corbejam Germaniæ.* Friardi & Secundelli *singularis in diœcesi Nannetensi veneratio; vita ex ipso Gregorio Turonensi desumta est.* Peregrinus & *socii Cenomanenses non nisi martyrio & cultu celebrantur.* Baumadus, *Tutelensis, Baluzio propemodum debetur.* Nemesii *solum ferme nomen superest.* Felicis, *Gerundensis, gesta laudatissima sunt, cui in martyrio socius* Romanus *adjungitur.* Kinedum *eremitam suggessit Wallia.*

EX SEXU FOEMINEO.

Lydia Purpuraria *ab Apostolo satis laudata est.* Theodota, *cum tribus filiis, antiqua item veneratione gaudet. Acta Suriana a Critici scrupulis vindicantur, iis non neglectis, quæ a Combefisio edita sunt, aliisque paulo brevioribus.* Ia *cum sociis in Perside MM. apud Græcos celebratissima est, quemadmodum &* Eudocia *ibidem gloriose consummata. Neque iis multum postponenda sunt* Marana & Cyra, *Beroæ in*

Syriæ ſolitudine claræ. Perpetuam, *Romanam, ſacra monumenta ſuſpiciunt, ut quæ virum Africanum & filium Nazarium ad fidem perduxerit. Exſtetne usquam corpus, inquiritur; nec ſatis certa ætas, aut mortis tempus.* Fides, Spes, & Charitas, *cum matre* Sapientia, *celebres ſunt, non apud Latinos ſolum & Græcos, ſed & apud Coptos, diverſis tamen ubique nominibus, quæ ferme appellativa dici poſſint. De patria, loco martyrii, ætate, & reliquiis, controverſa ſunt omnia. Sic ex obſcuriori ſacra Aquilana hiſtoria non niſi implexa* S. Juſtæ *Acta erui potuere, quæ nihilominus ſatis accommode a noſtro Philippo Allegambe diſpoſita ſunt.* Mariæ, *dictæ* Conſolatricis, *nobilis virginis Veronenſis, vita pictis tabulis repræſentatur: ipſa ibidem ſolenniſſimo cultu pridem honorata eſt. Vita porro recte a Bagata deſcribitur.* Sigrada, *vidua ſane inclyta, præſtantiſſimorum Martyrum, Guarini ac Leodegarii, mater, nobile Sueſſionenſe virginum cœnobium, ſanctimonialis facta, virtutibus, ſanctitate ac miraculis non parum illuſtravit. Sic Etheldrita Virgo recluſa apud Anglos nominatiſſima eſt. Atque hi ſunt præcipui Sancti, quorum Acta, aut breviora etiam elogia, hoc Tomo illuſtrantur; quo autem die quibusve paginis quærenda ſint ſingula, docet Index Alphabeticus eorundem, toti Volumini præfixus, ætatem porro Chronologicus. Cetera in ſubjunctis aliis Indicibus quærenda ſunt. Frontem vero occupat Tractatus præliminaris Hiſtorico-Chronologicus de Patriarchis Conſtantinopolitanis, parergis hinc inde & antidotis adverſus ſchiſma Græcum neceſſariis apte & abunde communitus, Autore* Guilielmo Cupero.

ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΛΟΓΓΙΝΟΥ ΠΕΡΙ ΥΨΟΥΣ ΥΠΟΜΝΗΜΑ.

h. e.

DIONYSII LONGINI DE SUBLIMITAte Commentarius; quem nova verſione donavit, perpetuis Notis illuſtravit, & partim Manuſcriptorum ope, par-

partim conjectura emendavit, additis etiam omnibus ejusdem Autoris Fragmentis, ZACHARIAS PEARCE, A. M. Regiæ Majestatis a Sacris domesticis. Editio tertia. Accessit FR. PORTI, Cretensis, in LONGINUM Commentarius integer, nunc primum editus.

Amstelodami, apud R. & J. Wetstenios & G. Smith, 1733, 8. Alph. 1 pl. 3.

Quam *Longini* de Sublimitate editionem Londini A. 1724, 4. in lucem jussit prodire Cel. *Zacharias Pearce*, quamve nos suis ornatam laudibus in *Actis* nostris A. 1727 *p.* 157 *seq.* exhibuimus, eam sibi in Batavia typis iterum exhibendam Nobilissimi *Wetstenii* & *Smith* ab eo statim tempore existimarunt. Atque, ut ex aliqua parte sumtibus studiosorum subvenirent, hunc ipsum libellum minori, quam in Anglia editus erat, forma iterum excudendi consilium ceperunt. Cum vero magnam jam partem Opus esset absolutum, idem consilii ipsum quoque Cl. *Pearce* cepisse acceperunt, ut secundis ejus curis aliquanto emendatior prodiret *Longinus*. Itaque in Opere suo continuando tamdiu substiterunt Batavi, quoad nova illa Londini procurata editio in publicum prodiret. Et, quoniam hoc ipsum Opus dimidio amplius prius typis descriptum fuit, quam de Londinensi editione fama in Bataviam pervenerat, factum est, ut in exprimendo textu *Longini* Græco non altera illa & repetita Londinensis, sed prima, a nobis paulo ante commemorata, adhiberetur. Nam in priore hac Londinensi Cel. *Pearce* exhibuit *Manutianam* plerumque lectionem, ipsius suis conjecturis in paginæ cujusque partem infimæ proximam rejectis; in posteriori autem a verbis *Longini* mutandis ipsis & corrigendis non abstinuit, sed, quod antea in Annotationibus legebatur, nunc, mutata vice, in ipsum textum recepit. Quocirca, cum in priori editione sit expressum *n.* 61: Εμμαν' ἤ μὴν, ὅς τις ex *Manutio*, in altera jam est, quod quoque *Tollius* fecit, Εμμεν' αἰγὴ

 ὅστις,

ὅςις, *n. 63* pro γέλωσας prioris editionis, *Manutium* ſecutæ, nunc altera habet γελᾶς, *n. 69* pro *Manutiana* lectione, prius exhibita, Ορημι. βομβεῦσεν δ' ἀκοαί μοι, jam demum legitur, Ορημ' ἐπιῤῥομβεῦσι δ' ἀκοαί. Eadem ratione aliis in locis aliter jam leguntur Græca in editione Londinenſi poſteriori, licet in hac Batava prior fuerit propter cauſam jam indicatam retenta. Hac igitur in parte, ne quid ex poſteriori Editione Londinenſi prætermiſiſſe hujus Editores viderentur, mutationes & emendationes, quæ in nova illa reperiuntur, ad finem addiderunt. Et ſane nihil eſt in hac, de qua agimus, editione omiſſum, quod Cel. *Pearce* in poſteriori editione ſuum eſſe voluit. Multum vero hanc poſteriorem a priori differre editione, cum ex ipſo textu Græco aliter expreſſo, tum inprimis ex Emendationibus vehementer immutatis, cognoſcitur. Nam non ſolum *n. 76* & *78*, quæ fuerant in priore, in hac poſteriore editione prorſus ſunt omiſſæ, verum etiam aliæ auctæ, e.g. *n. 56, 59, 72, 73, &c.* aliæ diminutæ, ut *n. 55, 58*, aliæ vero ita mutatæ ſunt, ut novæ dici mereantur, ſicut *61, 63, 67*. Sic in Annotatione, quæ in priore eſt editione *80*, in poſteriore autem *78*, ad verba *Longini*, Λυμαίνεται γὰρ ταῦτα τὸ ὅλον, ὡσανεὶ ψήγματα ἢ ἀραιώματα, ἐμποιοῦντα μεγέθη συνοικοδομούμενα, τῇ τε πρὸς ἄλληλα σχέσει συντετειχισμένα, verba prioris editionis, *Vulgata vox* συνοικοδομούμενα *Manutii eſt, opinor, ex conjectura, parum vero ille videtur ad ſenſum loci attendiſſe*, in poſteriore his ſunt permutata: *Interim confiteri liceat, me nihil certe habere, quod ad locum tam difficilem emendandum proferam. Vulgata vox* συνοικοδομούμενα *placeret, ſi MSti faverent*, & additur tandem de novo huic Obſervationi in fine: *Forte vox* συνοικοδομούμενα *interpretamento fuit vocis* συντετειχισμένα; *nam iſtud* τε *poſt* τῇ *abeſt ab omnibus MStis & vetuſtis Editionibus.* Nos loco *Longini* obſcuro leviſſima literarum mutatione lucem aliquam affundi poſſe conjectamur potius, quam arbitramur, ſi ita legatur: Λυμαίνεται γὰρ ταῦτα τὸ ὅλον, ὡσανεὶ ψήγματα καὶ ἀραιώματα, ἐμποιοῦν τὰ μεγέθη συγκοινωνούμενα. κ. τ. λ. & hunc in modum Latine

redda-

reddatur: *Hæc enim, veluti ramenta aut complementa, lædunt totum illud, quod efficit sublimitates, si commisceantur.* Quocirca nec τὸ ὅλον capiendum erit pro adverbio, nec εμποιοῦντα erit pluralis numeri accusativus, quod videtur Cl. *Pearce.* Quemadmodum vero nova hæc Batavorum editio omnia omnino, quæ sunt in posteriore Londinensi, complectitur, sic, cum eidem accedat *Fr. Porti* Commentarius adhuc ignoratus, omnino habet, cur Londinensi etiam alteri proferri possit. Communicavit hunc *Porti* Commentarium ineditum, ipsius *Porti*, aut saltem Græci alicujus hominis, manu, ut videtur ex scriptura literarum Græcarum intelligi posse, scriptum, cum Editoribus Cl. Gymnasii Amstelodamensis Rector, *Isaacus Verburgius.* Quod vero attinet ad verba, e *Crispini* editione *Longini* in Præfatione adducta, quæ quid sibi velint, ingenue se nescire fatentur Batavi, quæque ita se habent: *Adjunximus Dionysium Longinum, -- quem & ipsum pessime habitum ipse Franciscus Portus, Cretensis, olim Ferrariæ Venetiisque veluti redivivum curavit,* his nobis verbis nihil aliud videtur, vel *Crispinus*, vel *Portus* ipse, indicare voluisse, nisi *Longinum* a *Porto*, non editum, nec Commentario illustratum, sed tantummodo, quod ad lectionem, emendatum fuisse. Nullum enim dubium nobis quidem est, quin Commentarius *Porti*, qui hic in lucem est protractus, post *Crispini* editionem conscriptus sit.

QUINQUE LIBRI MOSIS PROPHETÆ in lingua Ægyptia, descripti ac Latine versi a DAVIDE WILKINS, S. T. P.

Londini, typis Guil. Bowyer, 1731, 4.

Alph. 3.

Cum publicata jam ante aliquot annos rariore Novi Fœderis Versione Coptica S. Rev. Autor Rempublicam literariam locupletasset, denuo per aliud æque pretiosum & æstimabile veteris linguæ Ægyptiacæ, cujus opprime peritus est, venu-

venusto literarum charactere[1] editum monumentum, Versionem scilicet Pentateuchi, illam sibi vehementer obstrinxit. Contulit in eo adornando tres Codices MStos, Vaticanum, Parisiensem, & Bodlejanum, at, cum omnes quam plurimis scribarum scaterent mendis, earum correctio multum ei negotii fecit, &, cum Bodlejanus maxime integris interdum careret vocibus', eas ex alio Codice ad sensum commatis restituendum adjecit. De horum MStorum ætate annotavit, quod Vaticanum a *Gabriele*, Monacho, scriptum fuerit A.1115 Æræ Martyrum, h.e. A.Christi 1319, Parisiensis vero Regii Codicis, a Cel. *Montfauconio* secum communicati, ætatem notare per festinationem oblitus est, eam tamen proximis, si qua typis exscribet, MStis Copticis inseret. Bodlejanus A. 1390 Æræ Martyrum, h.e.A.Christi 1674, scriptus fuit. Quæ autem in genere ad versionem Scripturæ Sacræ Copticam pertinent, de iis Viri excellentis Prolegomena, ad Novum Testamentum Copticum Capite primo, legi merentur. Sectiones illas, in quas Copti Pentateuchum dividunt, cum eæ medium nonnunquam comma secent, ne sensum imperfectum reddant, neglexit, ac receptam in Europa Capitum & versuum divisionem potius exprimere voluit. Ceterum de ipsa versione observat, quod Græcam versionem κατὰ πόδα tenaciter adeo sequatur, ut verbum verbo reddere potius, quam sensum dictionis Græcæ recte vertere studuerit, quod tribus locis allegatis probavit. Quam ob causam versionem hanc legens, Græcam semper ad manus habere debet, ex qua transcripta est, & cujus antiquam lectionem, in locis dubiis & obscuris confirmat. *Altera* Veteris Testamenti Ægyptii *Pars*, quæ in Europam venit, Psalterium, Danielem, & Prophetas minores, continet, quam, simul ac Bibliopolam, vel Mæcenatem, nactus erit, cum Grammatica & Lexico suo Copto-Latino in publicum emissurum se pollicetur. Cui promisso stare ut queat, eo impensius optamus, quo plura ejusmodi veteris linguæ Ægyptiacæ ερηπια adhuc deficiunt, non inutilia futura. His tamen ut varias lectiones MStorum exemplarium, quæ certe multæ sunt, nunc omissas, addat, Virum

rum doctissimum rogamus, ac nonnullos errores, quos vel in textu Coptico, vel in versione Latina, nobis deprehendisse visi sumus, alio loco ac tempore proferemus, specimen quoque versionis alius valde diversæ, & haud paulo vetustioris illa, qua usus est Vir Cel. in hac editione, dialecto Sahidica, scriptæ, quam Eruditiss. *Crozius* possidet, ex Viri hujus linguæ Copticæ & Armenicæ mirifice periti indulgentia, aliquando dabimus.

PARIS VAGI ET INTERCOSTALIS HUMANI corporis nervorum investigatio singularis. Expositionem, quam Cl. WINSLOW dedit, cum cadavere comparavit, Observationem recensuit AUGUSTIN. FRID. WALTHERUS, Archiater Regius, & Professor Publicus Lipsiensis.

De origine intercostalis nervi præmittendum erit, neminem Anatomicorum quinti paris surculos, quales ad verum, & ab sexto nervo deductum intercostalem accedere plures ajunt, & quidem ita crassos picturum, aut tanta longitudine ipsos delaturum, aut denique illorum & intercostalis nervi conjunctionis angulum ita absolute quidem exhibiturum facile esse, quemadmodum nihilo minus Cl. *Petitus dans les Memoires de l'Academie des Sciences* A. 1727 fecit. Norunt autem alii, quod lege constanti, ne quidem simile intervallum inter A G & A B aut I. E. D. Tab. *Petiti* Fig. 1, & alia in duabus reliquis Figuris, intra cranium intersint, quod neque super posteriorem duplicaturæ meningis partem, vaginamque, quæ ophthalmicum quinti paris nervum munit, & ab sinu juxta sellam equinam detinet, eminere inter capitis sextum ita factum superiorem, & ophthalmicum inferiorem nervum id spatium anatome videatur; nedum, ut sine perforatione meningis uterque surculus ad intercostalem haud pervenire possit. Deinde vero illi non minus intelligunt, intercostalem verum, scilicet paris sexti nervi propaginem, pergere post ligamentosum vallum, quod petrosum extremum processum, & appropinquans os sphænoidæum nectit, neque majori, quam

Digitized by Google

ſeſqui lineæ longitudine, vel remotis omnibus videri. Ita demum Anatomici tanta cum obliquitate, ac ſtatim inde cum carotide arteria, ab omni nervi quinti parte intercoſtalem recedere, & abſcondi, tum cognoſcunt, ut ſupra locum C carotidis arteriæ diameter interponatur; quandoquidem, ſi comparetur, qui fingitur locus E & I in intercoſtali, etiam in ſitu naturali, & quidem pollicis dimidii intervallo majori, ab loco I & E in nervo quinto poſterius multo quam in *figuris* viſo abeſſe obſervatur. Noſtra ex obſervatione, multiplici quidem occaſione facta, de Cl. *Petiti* & aliorum animadverſione nonniſi multo tenerius filum unum ſubinde & alterum ſupererit, qualia, ubi quidem in cadavere habentur, communiter ex parte ophthalmica quinti nervi, aut loco nexus hujus atque ſecundi rami, ſcilicet poſterius, & fere ſub nulla memorabili longitudine viſuntur; quo magis duræ matris poſteriorem laminam pertranſire protinus, atque plexum nerveo-arterioſum, in ſinu, ad ſellam equinam & circum carotidem obvium, neque vero immediate nervum, inde ſatis diſtantem, augere intercoſtalem ſolent. Ejusdem etiam notæ filum ipſe nervus intercoſtalis, quod neque aliquando altera ſuæ parte craſſitudinis minus eſt, circiter ſub loco, qui eſt apud *Petitum* ſuperior D, Fig. 1 & 3, ſed poſt ſextum nervum, ad ſellæ equinæ ſinum mittit. Interdum hic quoque ramus, aliquo inde intervallo, ſcilicet, ante originem intercoſtalis nervi, & immediate ab trunco ſexti ablegatur, & memores bene exemplorum ſumus, quibus, tam in uno, quam in altero caſu, ad uſque involucrum optici nervi, ante ejus ingreſſum in oculi orbitam, continuatam propaginem proſecuti ſumus. Atque inter alia, hæ quoque varietates nos monent, conſtantem neque illam Cl. *Petiti* obſervationem eſſe, qua multo quidem tumidiorem ille ſextum nervum eſſe contendit, poſtquam intercoſtalis ad iſtum, ut ipſe arbitratur, acceſſit; etiamſi Cl. *Winslow* huic obſervationi favere quodammodo videatur. Quoad nervus intercoſtalis in ſinu ad ſellam equinam progreditur, tum is, poſt primum & internum verſus carotidem arteriam, fundumque hujus viæ flexum, jam denuo, & cum obliquitate quadam ad anteriorem canalis partem, ac ſubter arteriam quodammodo

redit,

redit, & pergit, ficuti deinceps dicemus. Is hoc brevi itinere, posituque suo, neque semel, sicuti olim observavimus, sed bis in exemplo, in duo prorsus contigua fila secernitur, & abit; qualia nihilominus denuo coeunt, ut aciculis distincta, notataque experimento cum essent, plexum luculenter videndum exhiberent. Natæ hinc duæ quasi insulæ apparuerunt, qualem singulam majorem *Eustachii* Tab.XVIII videre est; & ex superiori hac insula redditus fuit ille ramus, qualem ad rete nerveo-arteriosum concedere supra diximus. Quæ duplices divisiones num observentur crebrius, aut an singulæ quoque visæ tantam longitudinem unquam in experimento testentur, sub quanta *Eustachius* rem pinxit, id exquirere ac decernere penes alios Anatomicos erit. At, rete illud nerveo-arteriosum, quod carotidem arteriam obducit, atque cum intercostali etiam nervo intra sinum communicat, imo productionibus eundem fere ad sui egressum e cranio comitatur, id surculos arteriosos potissimum accipit ab posteriore carotidis arteriæ ramo; scilicet qui ramus ad sellam equinam, surgentis carotidis ex flexu oritur; quandoquidem hujus propagines copiosas tenerrimasque in omni hocce sinu irretiri pluribus nervosis fibrillis, id injectionum anatomicarum exercitium nos docuit. Commodum jam erit, nervos sub capite obvios, & eorum ramos, atque conjunctiones, eo annotare ordine, quo quidem cuncta explicare, opportunum anatome visum fuit. Atque nervus *Willisii* accessorius sub vena jugulari suprema, ab vago tumido, nonoque capitis nervo, & postquam cum nono nervo, & decimi *Willisii* priore parte communicavit, versus tuberosum transversæ atlantis apophyseos finem retrocedere, atque super priorem faciem recti capitis lateralis musculi oblique descendere visitur. In hoc transitu, idem nervus, & quidem in membranaceo sui ipsius, & laudatorum nervorum, quippe communi adhuc vinculo, surculum, ita pariter innexum ad vagum retromittere observatur; sed iste mox alterum & magis quodammodo conspicuum ramum edit, qui juxta se, & porro, ad superiores colli, & laterales quidem glandulas demittitur; ut neque hoc exemplo ramus ita fuerit obvius, qui

 cum

cum vagi ramo interno, & linguali, quippe ab opposita vagi parte, & inde jam divertente, congressus fuerit, quemadmodum Cl. *Winslow n. 146* id ita docuit. Postea vero progreditur accessorius ille *Willisii* nervus, & sub quartæ circiter colli vertebræ altitudine, sterno-mastoidæum musculum, & quidem ab parte hujus externa, perforat; sed in hac via, atque porro, cum nervis tribus colli superioribus, eorumque variis ramis ipse coit, partibusque prospicit, quas Cl. *Winslow n. 147* notavit; denique nervus ad trapezium musculum pergit. De occipitali nervo, seu decimo *Willisii*, constat, se juxta arteriam vertebralem, quippe sociam viæ, scilicet inter obliquæ atlantis & transversæ apophyseos sedem, locoque sinuoso procedere, sed post capitis rectum lateralem musculum, notabilem ramum demittere, qui ab latere quidem interno istius musculi, & aliquo intervallo supra atlantis processum transversum prodit, ac juxta vagum, nonumque, connexos nervos, quippe cum quibus & ipse cohæret, circum & ante atlantis transversum processum descendit, denique communicationem cum intercostali præstat, qualem alia quoque occasione sumus descripturi. Eo igitur sub capite obvio intervallo, quo quidem occipitis condyli super atlantem eminent, & inferius fornicatum quodammodo cranium visitur, scilicet, post carotidis arteriæ in proprium quidem canalem ingressum, jam ab nervo vago, & ab communi exitu e cranio, illico, ac juxta condylum, recedit accessorius *Willisii* nervus, sicut ante diximus; deinde vero eidem vago se nonus capitis jungit nervus, qui ex proprio, quod in cranio est, foramine lapsus, brevissima via huc fertur. Igitur obliquo quodammodo descensu hic ad vagi externum latus inde concedit, & arctiori nexu cum hoc nervo adhuc devincitur; nihilominus sub transverso atlantis processu, inde, ac sensim quidem, is se expedit; interim vero mediante brevi teneroque surculo, ac membranæ communi intexto, cum vagi nervi trunco ipse communicat; deinde juxta stilo-hyoidæum musculum idem pergit, & obliquiore descensu versus linguam promittitur; siquidem ad hanc, inter cerato-basio-glossium musculum, atque

que

Digitized by Google

que mylo-hyoidæum illi via patet; quippe juxta hunc tranſitum viamque, inferior quoque paris vagi lingualis nervus ad linguam procedit. Quicquid de propaginibus quinti paris,& ab ſe quidem in hac via miſſis, ſed quocunque jure inde repetendis, Cl. *Winslow n. 150; 152*, commemoravit, id omne nos in exemplo, & ab utroque latere, ſaltem diverſis paulo modis, tantum acceptum ab ſingulo, ſed notabiliore ramo, obſervavimus; qualis nihilominus poſtea ramus acceſſione cervicalium nervorum augetur; & melioris cauſa diſtinctionis, juguli acceſſorius, hic noni capitis nervi ramus ab nobis vocatur. Proinde nervus noni capitis paris, ab ſiniſtro corporis latere, & ſub altitudine incipientis colli ſecundæ vertebræ, ramum, quem diximus, valde notabilem edit. Qui inde trium circiter transverſorum digitorum latitudinis ab origine intervallo, non in ſingularem anſam vertitur, ut de dextro docebimus, cum quidem accedente cervicalium nervorum ramo augetur; ſed vere uterque implectitur, &,ex confluentibus his cum factus communis eſt nervus, tum mox redditur inde brevis minorque ſurculus, qui in muſculi omo-hyoidæi vicini inferiorem ſuperficiem deſinit; alius vero, & quidem longior, ramus, hinc ad ſcaleni muſculi priorem partem, & uſque ad regionem *claviculæ ſubjectam* pergit; denique reliquus juguli acceſſorius ſurculum brevem ad ſterno-thyroidæum muſculum mittit, & porro inter hunc atque ſterno-hyoidæum ipſe ad pectoris limitem defertur. Tantum de illo cervicalium ramo, qui ad perficiendum juguli acceſſorium nervum convenit, modo diſpiciamus. Quare, ſub intercoſtalis nervi atque primi cervicalis conjunctionis loco, ramoque interveniente, poſtquam ſuperiori loco, & ante atlantis transverſum proceſſum, brevior etiam ſurculus ab ipſo vagi nervi trunco externe demiſſus fuit, & acceſſit, inde demum, & his ita ante apophyſin transverſam ſecundæ vertebræ convenientibus, ab cervicalis nervi priori parte, atque ſub illa apophyſi, duo fiunt nervi, & ex his, qui craſſior eſt, is externo loco ſtatim cum ſubjectis paris colli ſecundi ſuperiore prioreque nervo, & illico poſt hujus in collo exceſſum, coit, atque porro

ro circum mastoidæum musculum inflectitur, & ad priorem hujus carnis superficiem pervenit; sed in hac via etiam ipse cum ramis accessorii *Willisii* & tertii cervicalis nervi propaginibus communicavit; verum tenerior & anterior alter nervus, postquam surculum ad colli glandulas misit, tum secundi cervicalis nervi propagine accedente augetur, indeque factus communis nervus pergit, & cum noni paris nervi ramo, quem diximus, committitur. Ea conjunctio cervicalis nervi & fere reliqua, ab utroque latere ita visa fuerunt; sed ab dextris, vel pollicis humiliore loco, ramus paris noni, capitis nervi, veluti in ansam, & ante jugularem venam, scilicet sub altitudine sextæ incipientis in collo vertebræ, desiit, ut inde in cervicalem illum nervum ipse sine plexus nota rediret, & continuaretur. Ab hac noni nervi ansa rami, laterales duo surculi versus sterno-thyroidæum musculum pectorisque plagam descendunt, & inter hos medius, & major ipse ramus sub omo-hyoidæo musculo ab interno venæ jugularis latere, & supra sterno-hyoidæum musculum pergit.

Plures rationes, & obviæ in utroque colli latere ramorum varietates nos movent, ut discrete de nervo intercostali, ab dextris quidem viso, agamus, deinde vero, & postquam eundem, sicut cum vago, & quidem hujus plexibus, aliterque in thorace communicavit, ad sextam usque costam ipsum prosecuti sumus, ut demum seorsim utrorumque finisteriorum nobilissimorum subnectamus nervorum tractum; quo quidem omnia describantur, quemadmodum cultro anatomico hæc ita commode pervestigantur; sed ut qualicunque instituto nostro, verum imitabili aliorum quoque Anatomicorum studio, plura in hoc genere suppleantur: ac tandem rerum subtilium & intricatarum doctrina multiplici observatione emendatior fiat. Quare intercostalis nervus, postquam inferiores limites illius sinus, qui ab sella equina nomen sortitur, & in fundo quidem carotici canalis reliquit, tunc oblique versus posteriorem & exteriorem oræ canalis carotici locum porro cedit; & in hac via is sensim duræ matris involucro investitur, exterioreque membrana, & laxiore, simul tanquam valido ligamento

Digitized by Google

to ad ſui exitus locum adſtringitur; qua parte extrema carotici canalis, & ſub hoc porro ipſe viſus, magis albidus idem, & firmus, quam quidem in ſinu eſt; denique vero integer, nec fiſſus in exemplo, & in fila diviſus, hoc inferiori loco ipſe obſervatur. Inde vero ſenſim hic noſter nervus, & ſuo quidem ad transverſum atlantis proceſſum deſcenſu, tumidior fit, ac porro ganglii ſpeciem refert, quod inter primæ & ſecundæ vertebræ proceſſum transverſum, & quod inferiori ſui parte, quam olivarem dicunt, craſſiſſimum habetur. Id ita ganglion ſuperiori externaque ſui parte, ad atlantis, ſeu vertebræ primæ, transverſum proceſſum, duos ex ſe editos ramos conſpicuos, ſed juxta ſe, & inde brevi intervallo denuo arctius junctos, ante vero, quaſi ad perpendiculum eductos, præbet videndos; & ex his ſuperior in partem priorem occipitalis nervi, quodammodo poſt lateralem capitis rectum muſculum, anſæ inſtar, ſicut Cl. *Winslow* rem expoſuit, deſinere obſervatur, dum alter, qui paulo brevior eſt, e duobus nervis jugiter demiſſis contiguisque videtur conſtare, qui ad ſequentem intercoſtalis ganglii ipſius ſubſtantiæ productionem brevem, & craſſam, atque inde ab hac continuatum ramum deſinunt; qualis proxime in cervicalis primi nervi priorem partem fere ad perpendiculum abit. Qui medius inter ganglion & hunc cervicalem nervum ramus, etiam antequam geminatus ille ramus, quem modo diximus, ad ſe acceſſit, ſurculum externum recepit, quem vagus ante medium transverſum atlantis proceſſum demiſit; ut hic ſurculus nervum juguli, quem ſupra diximus acceſſorium, quaſi augere videatur. Atque externas, ſive cervicalium ſurculorum acceſſiones, ſive propagines intercoſtalis nervi, ubi modi rimari cœpimus, jam cervicalem ſecundum nervum haud talem attuliſſe monemus; ſed deinde tertius egregium ramum, inter anticum, rectum capitis, & colli longum muſculum, deinde vero minorem alium, e loco diverſo, & ante, quam phrenicum iſte ſuppeditaret nervum, pariter exhibuit; qui obliqua nihilominus, valdeque declivi via, ad cervicale, intercoſtalis nervi inferius ganglion conceſſerunt, & in ipſum abierunt. Etiam quartus cervicalis nervus,

infra

infra illum tertii rami priorem locum, & quidem breviori via, notabilem ramum detulit, eumque ganglio pariter laudato tribuit, donec major, ſed tanto brevior, & duplex viſa ſexti propago nervi, cum vix in collo prolata deductaque eſſet, in thoracicum ganglion, ejusque ſuperiorem partem, deſierit. Nihilominus ab eodem ſexto & quinto cervicis nervo, præterea alii mittuntur duo, teneriores quidem viſi, ſed poſt vertebralem arteriam, locoque exteriore & profundiore retegendi ſurculi; unde factus loco conſpicuo e duobus hisce filis communis nervus, jam ad minimum cervicale ganglion, quale ab hoc latere inter id ganglion cervicale inferius & thoracicum, ſed aliter, quam ab ſiniſtris res patet, interponitur, demum attingit; & ita potius inter alios nervos, quos deinde commemorabimus, iſte ad ſuperiorem mediaſtini locum, & ante jugularem quidem venam, ſuo tractu pergit. Tandem ſeptimus cervicis nervus ramum brevem, trium circiter linearum longitudine, educit, thoracicoque ganglio, ab latere externo, eum impertit. Poſtquam ramos hac noſtra anatome obvios propoſuimus, quotquot notari ab externa parte intercoſtalis nervi merentur, jam ab interno latere ab ſe redditos pariter declaraturi ſumus. Sed mittimus ſuperiorem illum vagi nervi & intercoſtalis ganglii arctiorem nexum & communicationem, qualem alia occaſione jam ſupra commemoravimus. Neque vero tenuiores quoscunque ejus generis laterales ramos exquiſiturus Anatomicus membranam temere incidet, quæ cum ſtrictioribus hac colli parte obviis muſculis etiam intercoſtalem nervum preſſius tenet: quandoquidem per hanc transparentem obductionem veſtigia nervorum, & veluti inſularum, atque communicationum, ab ſe deinde curatius retegendarum, magnam partem quaſi legere is poterit. Quare ab olivari tumore ſupremi ganglii cervicalis duo naſcuntur rami, cum intermedio teneriore filo. Ex his primus, qui craſſior pro modo ſuo, ac brevior eſt, ſtatim in tres ſurculos dividitur, quorum unus præ ceteris notari meretur. Nam hic pollicis longitudine & diſtantia ab ceteris progreſſus, ad ramum tertium vagi, & quidem parte ſui una recurvus fertur, & cum eo communi-

municat; nihilominus reliquum nervi, quod ab hac communicatione eſt, id continuatur, & propinqui ex ganglio nati alterius rami una alteraque acceſſione augetur, hinc vero ad thyroidæam glandulam tendit: verum altera illius ſurculi præcipui pars, juxta truncum intercoſtalem, & quidem digiti intervallo progreditur; ubi cum ganglii inferiore ramo, & propinquo filo, de quo medio ante diximus, ſcilicet duorum circiter transverſorum digitorum, ab communi fere omnium origine, intervallo jungitur; & inde novus longiorque nervus prodit. Jam hic novus nervus, etiam in progreſſu ſuo, cum intercoſtali, quippe itineris ſocio, propinquove trunco, & quidem alio intermedio quodam transverſo filo, communicavit; ſed porro, ab hoc laterali ita ſeorſim viſo nervo, ſurculus unus ad propinquum poſterius thyroidææ latus & laryngem conceſſit, ipſeque demum reliquus nervus ſub carotidis arteriæ externo latere, ac ſenſim verſus recurrentem vagi nervi partem appropinquavit, atque in poſterius mediaſtinum, quod ita vocant, ſub arteria aorta deſiit. Præter ea, quæ modo declaravimus, haud plures in exemplo, ab interno latere conſpicui ſurculi ſunt, qui ab intercoſtali quidem trunco, & ſub longiori parte colli, exeunt; etiamſi hæc atque plura apud Cl. *Winslovium* aliter relata legantur, vel ſaltem accipi aliter ab lectore poſſint. Nam pluribus demum Anatomicorum obſervationibus, ac deſcriptarum ſectionum exemplis, & varietates naturæ cognoſci, & abſolutiorem reddi debere doctrinam, id jam ſupra monuimus. Igitur ad ſextæ circiter colli vertebræ locum, & quidem ab latere, incipit ſeptem circiter linearum ganglion; ſed ita mediæ longitudinis & magnitudinis, in gangliorum hujus nervi cervicalium numero viſum. Quod præter unum alterumque tenerum nec memorabile filum, quod vaſis propinquis conceditur, ramum porro ſatis notabilem edit. Is ſuo ad angulum arteriæ carotidis & ſubclaviæ deſcenſu, in duas modo partes dividitur; quandoquidem una, & inferior, ante arteriam aſperam, ſcilicet cum ſub arteria ſubclavia ea pars prorepit, ad teneriorem fert plexum, qualem occaſione ſiniſtri lateris etiam declaraturi

turi ſumus: at minor & altera ejus rami pars, cum nervo, quem recurrentem vocant, pollicis circiter ab hujus origine intervallo coaleſcit. Itaque ab illo cervicali ganglio, quod diximus, intercoſtalis ipſe nervus, vel lineæ longitudine tantum continuatus, ſtatim partem ſui ferme alteram, & anſæ inſtar, circum arteriam ſubclaviam agi jubet; quæ nihilominus intra pectus luculentius viſa thoracico ganglio redditur. Inde vero reliquus, licet, pro hoc diviſionis modo, multo tenerior factus fuerit truncus, tamen, verſus locum pharyngis vicinum, exilem ramum ablegat, qualis vero in pectore, cardiaco inferiori nervo, & deinceps deſcribendo, ſub arteria ſubclavia reſtituitur: de reliquo, ſuperſtes idem truncus ad minimum infimumque cervicale aliud ganglion adhæret. Ab hoc tertio colli ganglio, jam ita in pectoris limine viſo, ſuperior inſignis cardiacus prodit ramus; & is recta primum via, & aliquouſque ad locum thoracici ganglii in ſummo pectore pergit, ubi etiam alter, ac ſimilis quidem cardiacus nervus ab hoc maximæ notæ ganglio pronaſcitur; ut quis propemodum exiſtimaret, inde quoque cardiacum iſtum ſuperiorem, neque ex minimo ganglio, ortum eſſe; ſed de utriſque cardiacis nervis non ita multo poſt dicemus. Tantum eos obſervavimus propinquos factos, inter ſe medium, & quidem juxta ganglion tranſire ramum jubere, quem antea ab cervicali ſexto & quinto nervo verſus mediaſtinum promitti, & ita poſterius ad arteriam aortam procedere docuimus. Quare jam in thorace, & ab proprio hujus ganglii loco, quoad idem ad primæ coſtæ, & ſubjectæ ſecundæ, extremitatem attenditur, ubi neque quodam ſui in collo exceſſu, id inclinari verſus ſeptimum & ſextum colli nervum videtur, imo vero ſuperiore magis loco, quam commemoratam ante nervi intercoſtalis anſam, redire ad præſens ganglion obſervavimus, tum duo illi cardiaci nervi, quos modo explicavimus, & quidem duobus circiter transverſis digitis, ac propemodum ad uſque recurrentis nervi diſceſſum ab vago nervo, divertunt. Sed ante hujus vagi trunci & recurrentis nervi angulum, ipſe illis propior factus vagus, duos

duos breviſſimos ramos ad utrumque intercoſtalem cardiacumque nervum ſub ſpecie incipientis plexus cardiaci veluti retromittere viſitur; deinde demum, & porro priori loco, magnum quoque cardiacum ramum, ſub illo, quem diximus, angulo, ex ſe edit. Tam vero hic vagi truncus, quam novus cardiacus ejus ramus, porro, & juxta aſperam arteriam, cum utroque intercoſtali cardiaco, mediante nervo intermedio communicant; & poſt ganglion exile, quod hoc loco obvium eſt, in unum nervum priorem utrique intercoſtales cardiaci coaluerunt; ſcilicet, ut ita verſus cor, ac notabili quidem longitudine, nobiliores ex hoc omni plexu, quem modo deſcripſimus, tandem non niſi tres demitterentur nervi, & magis diſtinguendi. Ex his humilior & anterior ille ſingulus eſt, qui ex compactis duobus iſtis intercoſtalibus conſtat; dum ex duobus reliquis nervis ſuperior, & exterior tantum continuatio prioris cardiaci vagi nervi fuit: alter vero poſt intercoſtalium propaginum priorem ac novam, veluti majorem inſulam & communicnem, maximam partem ab eodem cardiaco vagi ramo oriri, ſed loco medio, in illorum trium nervorum numero demitti videtur. Qui igitur præſtantiſſimus nervorum plexus ſuperioribus locis ſurculos ad mediaſtinum ablegat; ſed poſtea, & ad cor inde delatis tribus illis melioris notæ nervis, tum laudatus vagi ramus duplex ad partem dextræ auriculæ externam, dexterioremque pulmonem; ſed paulo ſuperior intercoſtalis uterque, licet ſingulus denuo viſus, atque conjunctus, ad vicinam aortæ in corde radicem, auriculæque dextræ partem alteram, demittitur, & pericardium ita luculentius pertranſire viſitur. Eum nervorum plexum, quem modo, utcunque agere expedit, deſcripſimus, appellare cardiaco-pnevmonicum, id doctrinæ cauſa commodum & æquum eſſe exiſtimamus. Et vagi nervi truncus, poſtquam ramum cordis principem ſuppeditavit, jam porro aſperæ arteriæ, bronchiisque, mox in pulmonem dextrum abeuntibus, cum valide adhæret, tum pnevmonicum plexum fibris pluribus ramisque ab ſe demiſſis parat: fine eo, ut, hoc exteriore & poſteriore bronchiorum loco, intercoſtalis nervi quidem conſpicui ſurcu-

 li

li huc convenirent. Neque vero tales ab trunco intercostali, sub secundæ tertiæque costæ, deinde sub tertiæ & quartæ altitudine promitti ad partes in medio thorace extantes observatur; nihilominus sub altitudine duarum sequentium costarum intervallorum surculi prodeunt, quales ad medias vertebras & gulam omnino concedunt. Verum inter sextæ & septimæ costæ postremam partem, & ubi tales ad transversos vertebrarum processus alligantur, novus & luculentus provenit ex intercostalis trunco nervus, imo similes inde ex altero & tertio quartoque viso intervallo reddit ipse truncus, quo magis in toto pectore ramorum spinalium surculis, & in omnibus intervallis costarum, auctior is prodiit. Quibus ita ex se editis & acceptis, hic suffecit, ut plurium coalitione fierent, & tandem ex thorace duo in abdomen insigniores nervi deferrentur, qui ganglia & plexus ibi præcipue efficerent, quæ alia quidem occasione & tempore nos describemus. Postquam nervi vagi truncus ab pnevmonico plexu evasit, atque porro hoc dextro corporis latere jam progreditur, tum ramum gulæ minorem, deinde majorem, reddit; de quibus agere commodum magis erit, cum abdominis nervos pariter adjiciemus.

Jam ad loca revertimur, quæ ab sinistris proxime sub capite sunt; qua parte sinisterior intercostalis nervus, superiores quoque externos ramos, sicut dextri lateris nervus accepit. Tantum inter hos accessorios ab quarto cervicali nervo duo surculi nati fuere, & quidem in sinu inter longi musculi colli radices, quo vertebralis arteria in hoc exemplo solito altius surrexit, & colli vertebrarum quintum foramen demum subiit, isti deducebantur; & ipsi surculi, in laterali ac prorsus exiguo remotiorique ganglio, quod eodem pariter in sinu hærebat, convenerunt; unde ex plexu laterali tenerioreque, & obscuriore loco viso, demum rami duo, ac magis conspicui, facti fuerunt, qui ad intercostalis nervi ganglion cervicale, quod fere loco simili, sicut mediæ magnitudinis ganglium ab dextris habebatur, descenderunt. Id ganglion haud ita oblongum, sed potius præ illo ab dextris viso minus, tamen magis rotundum erat; ac vix notabili ab sequente alio

gan-

ganglio idem diſtabat intervallo. Nam huic ſupponebatur minimum cervicale ganglion, quod propemodum cum thoracico continuum viſebatur; & hoc ita thoracicum ganglion, cum extra limites thoracis, parteque inſigni in collo eminuit, tum ipſum flexuoſum & horizontali ſitu, in imo collo eadem ſui parte viſum, jam in reliquam majorem paulo partem, quæ in thorace ſupererat, ad angulos rectos deſiit; ut etiam præfixam quaſi appendicem minimum ganglion utcunque repræſentaret. Quod ita parte ſui, qua inclinabatur, longe aliter ac de ſiniſtri lateris thoracico ganglio diximus, factum & viſum cum eſſet, hinc ſuperius quoque recepit notabilem ſexti cervicalis nervi ſobolem, deinde ab ſeptimo id ramum duplicem ſibi acquiſivit; ſiquidem unam brevemque, ſupra flexum, alteram vero propaginem infra eundem, & ab externo latere accedentem ſibi junxit. Etiam ab ſeptimo nervo ad pectoris cavum dilapſus quidam ſurculus eſt; qui cum ramo primi dorſi nervi cunjunctus, ſtatim ſub ganglio, intercoſtalis nervi trunco redditus fuit. Quorum de gangliorum interioribus ramis antequam loquamur, potius de nervi intercoſtalis ipſius ſuperioribus propaginibus, quas ille ab parte colli interim, & inter deſcendendum, reddidit, verba faciemus; ut differentia illarum, in altero latere viſarum, clarius elucеſcat. Nam non niſi ſingulum ramum cervicale ſuperius ganglion ex majori tumore promiſit. Et is vices tripartiti & ſequentium, ſcilicet in lătere dexteriori ab ganglio delatorum nervorum haud prorſus ſuſtinuit, ſed præter communicationem cum tertio vagi ramo, quam etiam ſiniſtri hujus ſimilis rami ſurculus ſtabilivit, uti ſupra diximus, tantum pharynx inde participavit; quippe nervoſis filis, his ſuperioribus locis, fere ſicut ab dextris porro partitis. Verum in ſupplementum novus, non quidem ab latere ganglii interno, ſed ab trunco, jam prodiit notabilior ramus. Quanquam enim ſatis inſignem, ſub media circiter colli altitudine, truncus nervi intercoſtalis reddiderit ramum; tamen indiviſum ipſum pergere, & perforare colli longum muſculum, anſæque inſtar ita recurvum verſus ſuperiorem & priorem locum ferri

ri & abſcondi obſervavimus. Quare ſub quintæ demum colli vertebræ altitudine, quaſi ad compenſandum qualemcunque defectum, natura ramum, ſurculis diſtribuendum, inſignemque alterum modo largitur: & hic parte magis interna thyroidææ glandulæ, & pharyngi, his locis deductus proſpicit; ſed inter hæc ſurculum cum recurrente communicantem promiſit, dum continuata ipſius rami pars altera & longior, ad medium pectus, ſicut deinde dicemus, delata fuit; quemadmodum ab dextris fere ſimilia nervorum fila, ſed aliis ex principiis nata, ferri declaravimus. Verum ab ganglio, quale jam ab ſiniſtris, & quidem loco, quem ab dextris mediæ magnitudinis ganglion occupaverat, modo delatum nobiliorem tertiumque ramum internum vidimus; de quo plura jam dicenda erunt. Tantum prævia ratione obſervamus, quod pone hunc ramum, illa pectoralis propago, quam ab ſiniſtris quoque explicavimus, jam ab jugulo verſus pharyngem, & ita porro uſque ad arteriæ aortæ arcum, ac poſterius, ſeu inferius mediaſtinum pergat. Deinde monemus, quod ſub hoc ganglio, & quidem ab proximo, ſed præ dexteriori minus diſtincto, ganglio ſcilicet cervicali hujus lateris minimo, nihilo minus rami inde digreſſi anſa, circum arteriam ſubclaviam, ſed brevior multo pronata fuerit, quam quæ ab dextris paulo aliter cognoſcebatur. Verum ille nobilior ramus, quem ganglion cervicale præcedens & medium ſuppeditaverat, jam una ſui parte ante arteriæ aortæ arcum truncumque progreditur, atque ad hunc preſſe annexum, teneriorem plexum, ſed ab cardiaco vero ſatis diſtantem, & inferiorem, cum ſimili oppoſito nervo finxit, quem quoque nervum ab dextris animadvertimus; verum altera ejus rami pars ſuperiorem cardiacum nervum conſtituit, ſociumque viæ, ad cordis plagam ferentis, inferiorem, alterumque cardiacum, ſcicicet ex thoracico ganglio pronatum, accepit. Qui alter cardiacus, & inferior ramus, ſurculum ſtatim demittit, qualis nervo recurrenti, poſt breves ambages, hinc denuo redditur. At illi duo cardiaci rami, quippe facti itineris longioris & magis declivis viæ comites, quam quidem ab dextris id ita viſum erat;

erat, jam porro verſus humiliorem arteriæ aortæ arcus locum, & ubi juxta aſperam arteriam recurrens prodit nervus, imo ad inferiorem uſque ſedem, quam ea eſt, ubi recurrens nervus ab vagi trunco oritur, jugiter tendunt. Eo in memorabili intervallo uterque nervus, qua parte coaleſcit, deinde iterum unus ab altero ſecernitur, & ipſe ramus exterior magis pulmoni ſiniſtro, interior vero cordi potius tribuitur. Verum pollicis inferiore loco, quam quidem ab dextris vagus cardiacum ediderat nervum, hinc ab ſiniſtris, propinquo ad illam novam utriusque intercoſtalis cardiaci diviſionem loco, recurrens demum nervus inſignem cardiacum, & præ ſingulo ex iſtis duobus nervi intercoſtalis ramis paulo craſſiorem reddidit; ſed ita præ dexteriore, qualem ſupra ab vagi trunco ortum vidimus, quodammodo tenuiorem ac breviorem eundem ipſis nihilominus adjunxit. Quibus omnibus verſus proximum cordis atque pulmonis nexum, & quidem ſecus, atque ab dextris, ſcilicet ſine ulteriori plexus nota demiſſis, & ad hæc viſcera deductis, ante tranſitum per pericardium ad atras illas glandulas iſti ſubinde adhæſerunt, quales inter hos nobiliores nervos, ipſumque plexum vagi pnevmonicum, & factum hoc in latere prorſus vicinum, interponuntur, ut ita etiam utriusque generis propagines, ſurculis, qui per has glandulas tranſeant, invicem communicare videantur. Nam nervus recurrens porro etiam ad glandularum hanc compaginem, ſed ſtatim poſt ſui ab vago diſceſſum, qui duobus transverſis digitis, illa ab dextris viſa recurrentis origine inferior eſt, jam alterum cardiaco-pnevmonicum ramum, & quidem via perbrevi, demiſit; nihilo minus, loco nonnihil priori, etiam unum alterumque ſurculum tenerum ad auriculam ſiniſtram, quæ proxime ſubjicitur, ille recurrens delegavit. Quibus ita viſis, jam vagi nervi truncus plexum pnevmonicum, ſub recens facta aſperæ arteriæ diviſione, & quidem paulo luculentioribus ramis diſperſis, quam ab dextris res viſitur, ſtruit; deinde, & ubi quis facile opinari poſſet, quaſi vero ab plexu pnevmonico vagi truncus ſuperſtes, jam porro recta mediaque potius via per thoracem ſit deducendus: nihilo minus is ſtatim

tim, cum ab bronchiorum nexu ſolvitur, oblique ad gulam deflectit, &, quaſi circumire eandem deberet, inde abit, & divertit. Id ubi accidit, tum ramum, eundemque ſe ipſo paulo minorem, in proprium locum interim ſubſtituit; & hic ab ſiniſtro latere truncum hac ratione veluti mentitur*; quod omne nihilominus ab dextris minime ita fieri obſervatur. Atque ex omnibus, quæ adhuc propoſita fuerunt, major varietas dexteriorum ſiniſteriorumque nervorum, quos in noſtro exemplo inquiſivimus, apparet, quam ut plura neque addi ad ea mereantur, quæ quidem ſatis egregie Cl. *Winslow* expoſuit. Alteram partem Obſervationis nos alio tempore exhibebimus, qua de vagi nervi ramis, qui in collo ſunt, alia ſupplere, alia vero, ſub media pectoris altitudine, in vago & intercoſtali reliquo utrinque viſa adjicere, integrum nobis erit.

GODOFREDI SELLII, J. U. D. EX SOCIETATE Regia Londinenſi, Hiſtoria Naturalis Teredinis, ſeu Xylophagi marini, Tubulo Conchoidis, ſpeciatim Belgici, cum Tabulis, ad vivum coloratis.

Trajecti ad Rhenum, apud Hermannum Beſſeling, 1734. 4. Alph. 2.

Deſideratiſſimum huncce ingenii ſui, bono publico nati, fœtum tandem enixus Autor, expectationi omnium ſatisfaciens, &, quam de ipſo conceperamus, ſpem prolixiſſime adimplens, Reipublicæ literariæ plurimum, famæ ſuæ multum inſervit, ita, ut, cum ſua ſponte lecturis non poſſit non placere, reticere partem laudis, quam meritus eſt, ne modeſtiæ Doctiſſimi Viri graves ſimus, conſtituerimus, certo confiſi, neminem, ſi ſapit, unam alteramve paginam, quod ſi etiam longum ipſi ſit, totum Opus legendo conſumere, luſtraturum, quin noſtræ ſententiæ, quam deliberato conſilio pronuntiamus, lubens ſubſcribat. Commendabilis eſt Latini ſermonis elegantia & puritate, & ſelectiſſimorum ex optimis quibuscunque Autoribus florum copia dives, liber; nec antiqua ſaltim Græcorum

&

Digitized by Google

& Latinorum, ſed hodierna etiam Anglorum, Gallorum, Italorum, Batavorum, literatura ſuperbit, quorum omnium unico hoc volumine Commentatorem egit, ita, ut dubium ſit, an rerum apparatum, an, quo omnia diſponuntur, ordinem, mirari debeamus. Analytica uſus eſt methodo, &, quouſque cogitando & abſtrahendo mentis humanæ acumen tendere valet, progreſſus, in pauperculo verme quater centum & octo, quot paragraphi Operi inſunt, invenit ideas, non interrupto ordine ſibi manum porrigentes, quarum una ex altera, legitima & Dialecticis uſitata via, fluat; &, cum mirum eſſe quibusdam poſſet, qui factum, ut in ſterili viſa materia tantam dicendorum ſupellectilem invenerit Autor, deprehendimus, pro augendo Operis volumine peregrini aut a ſcopo alieni nihil admixtum eſſe, imo vero haud raro, ut prolixitatis tædium evitaret, reliquiſſe Autorem in medio ſuſpectas quasdam, vix prævisas, & quas moveri poſſe aliquis dubitaſſet, quæſtiones, eo directas, ut de œconomia & fine animalculi conjecturis, demonſtrationi proximis, certi aliquid conſtare poſſet & definiri. Orditur ab ipſius objecti declaratione, probe gnarus, docente optimo *Bœrhaavio* in Inſtit. med. Prol. *p. 11, oportere incipi a ſimpliciſſimis, cognitu facillimis atque certiſſimis, a quibus deinde pergendum ad ea ſemper, quæ proximo gradu harum conditionum prægreſſa attingunt, atque ita accurate progrediendum ad compoſita, obſcura, difficilia.* Inde externam teredinis ſuæ faciem primo loco exponit: capitis ſingularem fabricam & loricatum robur cum proboſcide ſanguiſugæ æmulo, cornibusque velut ex continuata teſta productis, luculenter tradit, quo intelligi iconum ad calcem Operis adjectarum ſignificatus plenius poſſet. Magnopere vero delectatur motu folliculari animalis, in ore ejus conſpecto, id quod ſententiæ ejus de conformatione teredinis hydraulica inſigne robur addit. Quod loricato corporis initio proximum eſt collum, robore muſculorum prævalidum agnovit, corporis reliqui cute pellucida, per quam non tantum abdominis contenta plena luce tranſparuerint, ſed & data ſit armato oculo plura, his magis curioſa, videndi atque examinandi commoditas. A qua parte inteſtina deſinunt, longior reliquo

 cor-

corpore cauda initium trahit, in medio depreſſior, ad latera pulvinata, & ad corpus uſque calloſum, quod ultima corporis pars eſt, infarcita, ſed inæqualiter, conceſſo aliquo in eadem, ſed indeterminato, vacuo. Media hæc eſt inter duo corpuſcula teſtacea, pinnæ ſoleæformes Autori dicta. Magnitudo teredinis aliquando unius puncti, ſi recens excluſa ovulo fuerit, aliquando unius pedis fuit, quo tempore ad ἀκμὴν deveniſſe videbitur. Curioſior longe eſt interiorum partium anatomia; detracta oris cute, cum profluente lympha, glutinis ſumme pellucidi portiuncula, formam ampullulæ vitreæ efferens, conſpecta fuit. Muſculi colli propemodum calloſi & duritie reliquas corporis partes multum ſuperantis, facta diviſione, ductum quendam inſignem manifeſtant, ori & inteſtino flavo, quod ventriculus eſt, continuum, ſiquidem, quod proximum huic eſt ad dextram ſitum, pro inteſtinorum canali, corpora vero albicantia pro ovariis, vaſa bina pyramidalia, motum ſyſtalticum ac diaſtalticum exercentia, pro corde animalculi agnoſci haud difficulter poterunt. Curioſiſſima ſunt & lectu prorſus jucunda, quæ Capite ſecundo de numero ovulorum & animalculorum infinite parvorum per teredinem itineribus, familiis, œconomia, differit. Ea fuit Autoris in obſervando induſtria, in numerando exactitudo & felicitas, ut, deprehenſis in cubulo definitæ capacitatis ſexcentis ovulis, in portione caudæ teredinis, quæ pollicis lati menſuram vix adæquet, judicet inveniri plura ovula, quam homines in octo illis præcipuis orbis chriſtiani emporiis, Londino, Luteriis, Amſtelodamo, Venetiis, Roma, Dublino, Briſtolio atque Rhotomago. Computum ſic inſtituit. Materiæ ovula continentis cubulus ſexcenta ovula viſui clare exponit. Sint duodecim cubuli pro latitudine parallelipedi, quinque pro ejus altitudine, ſit longitudo quinquaginta cubulorum Autoris, ſoliditas parallelipedi erit cubulorum 3000, id eſt, ovulorum 1874000. Non ſufficit infinitus in tam parvo nobis viſo corpuſculo ſubſtantiarum numerus, ſed & in ſingulis peculiarem deprehendit animalculorum rempublicam, quæ in bullula, ovulum dicta, libere fluctuent, & de loco in locum moveantur,

Digitized by Google

tur, multo magis, ſi de toto teredinis corpore ſermo ſit; illud enim non vermem, ſed mundum, dixeris, in quo myriades animalculorum definitæ figuræ per inteſtinorum canalem peregrinantur, conſtitutis inter ſe rebuspublicis, ſiquidem glomeratim circa ſe ipſa volvi, imo & ad ſeries ſtriatim diſponi, haud dubitatis ſignis oculatiſſimus Autor cognovit, exploſa penitus ſententia, qua quis inductus, non animalculi, ſed ligni abraſi, portiunculas has eſſe contendere poſſet. Quibus egregie declaratis, immenſitatis rerum & noſtræ mediocritatis memores nos eſſe jubet. Domiciliorum rationem & habitandi modum, quo teredines mutuæ ſocietatis vinculum in detrimentum lignorum ſubeunt, eleganti ordine & perſpicuo ſermone exponit. Ligna palorum, aut navium trabes, hac lue male habitæ, extus nullam manifeſtam morbi & teredinis latentis faciem præ ſe ferunt, nec niſi inflicto lignis vulnere hoſtium caſtra deteguntur. Sunt tamen prominulæ minutis foraminibus membrulorum extremitates, quas cornua dixeris, rubicundæ admodum, quas ad tactum retrahit teredo, & paulo poſt denuo in lucem emittit. Ab hoc puncto, anguſta ſatis porta, ordiuntur tramitum canales illi, cruſta perlacea veſtiti, qui teredinem continent, de quorum menſura diſputationem cum Cl. *Maſſueto*, uti ſolet, modeſte inſtituit. Neque vero vel ligno, vel corpori teredinis, perlacea illa cutis, quæ anfractus exeſi ligni inveſtire ſolet, prorſus adhærere deprehenditur, ſed ſpatium ſupereſt animali, quo moveri & opus perficere poſſit, imo vero, quo aquæ marinæ ambire undique valeant, pro exercenda illa hydraulica actione, qua teredo finem ſuum intendit. Rationi vero conſentaneum, tubulum huncce intus, qua parte corpus contentum reſpicit, glaberrimum, extus aſperiorem eſſe debere, &, cum arbitrari cum *Maſſueto* quis poſſet, debere adultorum cruſtas duriores, juniorum molliores eſſe, contrariam Autor defendit ſententiam. Annulis conſtant integumenta illa animalculorum teſtacea, ſed æquales inter ſe diſtantias vix obſervantibus. Ea eſt animalculorum in opere ſapientia, ut, cum reſpublica ſint, nolint ſibi mutuas inferre injurias, adeoque ſancitam inter ſe legem, *de non perfringendis*

 vici-

vicinarum domuum parietibus, religioſe ſervent, ab irruptione in contiguam domum ſedulo abſtinentes. Inde eſt quod, quam maxime etiam, alvearis apum in modum, exeſum ſit lignum, nullibi tamen manifeſtus ſit de canali in canalem tranſitus. Ad eam tamen tenuitatem redacta eſt interdiſtinguens tubulos vicinos paries, ut lamellam, non lignum, diceres, quam equidem hinc inde leviter admorſam deprehendas, quaſi perumpere tentaverit in vicinæ domum teredo, ſed nihilominus integram, ſentiente errorem verme, &, quantum illæſa vicini pariete, cui parcit, poteſt, abſumente. Inde non una eademque eſt tubulorum directio. Cum enim, ne ſeſe mutuo attingant, caveant, quamprimum nimiam ſui viciniam ſentiunt, retroflectunt, & inter fila lignorum delati, *ibant qua poterant, qua non poterant, ibi ſtabant*. Quodſi cui dubium ſit, qui fieri poſſit, ut totius ligni ſubſtantia excavetur, quandoquidem tranſitus ex tubulo in tubulum nullus ſit, animadvertat cum Autore, ſuperficiei lignorum ab extra affigi ovula, quibus excluſa unius puncti animalcula in lignum iras exercere ſuſcipiant, inde minutula foramina circa aliquod magnum detegi ſolent, neque inficiandum eſt, plures teredines, ſi, occupato jam loco inter duos tubulos, progredi non poſſint, labori immorituras, quod mortem oppetere, quam violare legem *de non lædendis vicinarum parietibus*, præoptent. Neque vero una eademque eſt tubuli teredinem continentis capacitas; amplior eſt, qua parte caput latet, aut qua parte pinnæ ſoleæformes ſitæ ſunt, quod utriusque organi pro œconomia animali maxima debeat eſſe libertas. Jam fieri aliter non poteſt, quam ut corruant ad nimiam exilitatem reductæ palorum marinorum fibræ, quo fluctuum impetus, aut ſui ipſius molem ſuſtinere nequeant. Multum tamen intereſt, quibus lignorum ſpeciebus naſcantur teredines, ſiquidem non æquali undique ſucceſſu graſſantur; ad majorem excreſcunt ſtaturam in abietinis alneisque lignis, pumilæ ſunt & male nutritæ quernarum trabium incolæ, quod durities fibrarum lignearum proventum animalculorum mirum quantum impediat, inde & colorum, pro ratione ligni ſuſcipientis, in tubulo quædam obſervari

ſolet

Digitized by Google

ſolet diverſitas. Nempe aliunde, quam ex ligni ſubſtantia, vix nutriuntur, neque unquam, extra carceres ſuos, libero mari fluctuaſſe vivam & integram teredinem, obſervatum eſt; quam naſcentes ſibi ipſis formaverant domum, eidem immoriuntur, ipſa morte felices, quod, ſicuti ad littora portio ligni teredine exeſi iners jacet, muſcæ genus intra alveolos teredinum, ovula ponat, quibus pronaſcitur vermis annularibus interſectionibus diviſus, quarum ultima duobus cornubus limarum æmulis, progreſſivis & retrogradis, ornatur. Mira eſt muſcæ conditio, in quam vermis, rubente mutatus nympha, degenerat, ſiquidem folle naturali ad os appenſo, quem per vices inflare deprehenſa eſt, ab Autore depingitur. Si ſcire volupe ſit, qualis ſit mechanica lignum ſic artificioſe excavandi ratio, & quibus potiſſimum inſtrumentis ad opus perficiendum utatur beſtiola, magnam lucem fœnerabitur ex Capite quarto, quod curioſiſſimis de cælatura teredinis obſervationibus luxuriat. Videri quibusdam poterat galeatum, & bene munitum, fortibusque hunc in finem muſculis ſuffultum, teredinis caput terebrando & perfodiendo ampliare canalem, verum, cum eadem ligni durities non poſſit ab omnis ætatis teredine juniore æque ac adulta corrodi, inſignis etiam ſit inter laborem & inſtrumentum diſproportio, lubricam hanc ſententiam pronuntiat Autor. Liquoris cujusdam corroſivi exiſtentiam, quamvis videatur a Cl. *Reaumur* in trochis mytulum emollientibus admitti, clarum etiam ſit, ab inſecto lupo non corrodi, ſed emolliri, grana, penitus negat, imo etiam, a circumflua marina aqua, qua tubuli, teredinem continentes, ſemper madent, hunc effectum provenire non poſſe, declarat; inde in eo totus eſt Autor, ut ipſius teredinis vi atque efficacia alveolos ampliari & produci demonſtret, ad legem & normam doctrinæ hydraulicæ, quandoquidem teredo nihil aliud ſit, quam machina hydraulica, quæ aquam marinam alveolis contentam continua ingurgitatione & contra fibras ligneas ejaculatione, pro effodiendo & ampliando tubulo ſuo, applicet, ſiquidem ampullula glutinoſa ore detenta eum ſaltim in finem adſit, quo tenaciter ligneæ fi-

bræ adhærere teredo poſſit; continuo hoc aquarum appulſu, ſi quæ ſunt lignorum venæ, arteriæ, aut tracheæ, eluuntur, ab alburno liberantur, quo, conceſſo vacuo, incrementum beſtiolæ ſuo modo procedere, ſicque altius penetrare in ligna poſſit; cujus incrementi tempore, ſi quæ oſſa lignorum ſunt, aut clavi etiam, prout ex obſervatione *Rouſſeti* elucet, niſi detur ad latera effugium, non deſiſtere a labore & ſufflandis aquis teredinem, donec, quæ eſt aquarum in corpus ſolidum efficacia, ceſſerit induſtriæ durities; de cetero, niſi jam occupatum ſit a ſociis omne ſpatium, adeoque neceſſario contra duriora in lignis oſſa ſævire debeat teredo, quo tempore, effluente in alveolum reſina, vitæ terminum invenit, plerumque, non deſerit alburnum teredo, maxime ſi junior minoriſque voluminis fuerit. Quærenti, quid fiat cum ſcobe ligni exeſi, utrum in nutrimentum cedat teredini, reſpondebit Autor, abſonum hoc non eſſe, quamvis contra Clariſſimos Viros, *Valiſnierum* & *Rouſſetum*, quibus contenta abdominis, ſi quæ ſunt, ſcobs ligneus eſſe videtur, declamet, nova uſus demonſtrationis methodo. Nempe, quicquid in inteſtinis deprehenditur teredinis, jam non vermis, ſed immanis belluæ, id omne, animalcula, motu arbitrario locali gaudentia, eſſe declarat, quæ in ſui nutritionis gratiam commeare huc ex mari, tanquam in diverſorium, ſoleant, iterumque egredi, adeoque tot in commoditatem innumerorum hoſpitum eſſe promtuaria, quot ſtriæ in œſophago, glomeres in inteſtinis, obſervatur. Senſibus equidem orbas declarat teredines, interim, branchiarum in capite ſitarum uſum in aliquali reſpiratione conſiſtere, aſſerit, quibus, dubium non eſt, animalculorum introitum exitumque, ne gravis nimis ſit corpori exercitus, inſigniter adjuvari. Hujus ejaculandarum aquarum peritiæ gnaras eſſe juniores, etiam ovulo vix egreſſas teredines, aſſerit, cum alia lege aditus ad penetralia lignorum ipſis concedi nequeat; neque uſus omnino expertes ſunt pinnæ illæ ſoleæformes duriuſculæ & ad corneam indolem accedentes, ſiquidem ampliandorum canalium officium iisdem tribuitur, quandoquidem hunc in finem conceſſum ſit teredini perlaceum illud munimentum

rum, quod laxe ambit, quo interfluens teſtæ & ligno aqua emollire fibras & ad reſiſtendum moli corporis creſcentis ineptas reddere valeat; quo in negotio, maxime, quod annulos conchæ attinet, ſicut in omni conchyliorum genere, tranſpirationi animalis aliquid largiendum eſſe contendit. Jam cum uberrimus ſit teredinis proventus, qua lege generatio contingat, jucundo ſermonis genere exponit. Androgynas omnes pronuntiat eſſe teredines, quod promiſcue & lactes & ovula in ſingulis haud raro detexerit, fieri etiam aliter non poſſit, quam ut unaquæque ſibi ſufficiat; quandoquidem communicari inter ſeſe nequeant, nec coitus inter vicinas, mediante caudula, ex mente *Rouſſeti*, celebrari commode poſſit. Majo & Junio uberrimus ovulorum proventus eſt, quæ per membrum callinoſum foras egreſſa, parietibus lignorum fortiter affiguntur, nullo exiſtente metu, ne a fluctibus marinis abripiantur, quandoquidem aliqua ſui parte & in determinato aliquo puncto glutine munita ſint naturali, quo vel in propiore parenti ſuæ loco adhæreant, vel in liberum mare emiſſa, ligna quæcunque obvia arripiant, & in eadem graſſentur. In hoc mechaniſmo infectionis formam conſiſtere arbitratur. Jam in memoriam revocata immenſa ovulorum unius ſaltim teredinis multitudine, cum impoſſibile ſit, vegetare omnia poſſe, potiorem eorundem partem pro nutriendis parvulis & ob voluminis raritatem inviſibilibus piſciculis, in mare emitti largitur. Liceat, quos fines aſſequi conſtituerit creator, formata teredine, propriis Autoris verbis p. 210 declarare: *Prout nobis innotuerunt, ea fere ſunt eſſentialia: quod ligna ſubmarina reſolvendi gratia creata ſit, quod eadem omnia ſibi vindicet, quod ex iisdem victum ſibi paret, quod eadem ad victum incolat, quod ab iisdem indiſſolubilis exiſtat, quod ipſis ſolis deſtinata, quod ex ſubſtantia ligni alat animalcula, quod ovulis in uſum piſciculorum mare repleat.* Interim, cum non niſi lignis infeſta ſit beſtiola teredo, qui id fieri poſſit, ex peculiari quodam inſtinctu marinorum, his aliisve corporibus data opera adhærendi, declarat, id quod balanorum, mytulorum, oſtrearum, ſolenumque exemplis luculenter demonſtrat,

quo

quo ipſo infert, ſi vel maxime velit, non poſſe niſi lignis adhærere teredinem, cujus adhæſionis modum in glutine naturali, quo ovuli definitum aliquod punctum armatum ſit, collocat, non obſtante, quod fortuitus ovuli in lignum aliquod illapſus videatur impedire, quo minus, id quod tamen maxime neceſſarium eſt, caput teredinis in centro ipſo adhæſionis collocetur, cum demonſtratum ſit, immerſionem in ligna prono teredinis capite fieri, quandoquidem, ſi vel maxime juſtum ſitum non indeptum ſit ovulum, nihilo ſecius contentum intus animalculum ligna verſus inclinari poſſit, imo vero non poſſit non debito modo collocari, ſi provida natura & mechaniſmi neceſſitas competentem capiti in ovulo plagam, glutine poſtulato, notaſſe ſupponatur. Inſigni ſolertia & magna ingenii felicitate, expoſitis, quæcunque ad œconomiam, vitam, partiumque uſum in teredine ullo modo pertinere poterant, ita, ut plurium ſaltim poſſibilium etiam quæſtionum de hac materia cumulum adduxerit, de onomatologia animalculi ſui operoſas admodum commendationes inſtituit, collectis ex omni Autorum ætate, rerum, ſi quæ de teredine explicari poterant, teſtimoniis, quo ipſo famæ ſuæ non levius, gratum literatis, officium præſtitit. De Thripum familia, quorum coelatura antiquis, annulorum ſigillorumque loco, uſitata fuit, de Termitum medullas arborum exedentium indole, de Coſſis, Ligniperdis, aut Xylophtoris, ſic bene commentatus eſt, ut ultra non poſſet, maxime vero allaborat, quo clariſſimum ex *Theophraſto* locum: *Quæ mari putreſcere aptæ ſunt arbores, erodi & Teredine ſolent. Teredo enim non niſi mari enaſci poteſt*: de ſua teredine interpretetur. Ut vero in re dubia & incerta, ad quam marinorum claſſem referenda teredo, quoque potiſſimum nomine claſſico inſignienda, ſcientiæ conſuleret, primum eandem ex vermium claſſe eximit, inde ab exſanguibus & zoophytis parum abeſſe, quod localem motum exercere non poſſit, declarat; maxime vero conchylii ſpeciem eandem eſſe contendit; inde, quo appareat conveniens eidem in ſyſtemate conchyliorum locus, de methodo inſtruendi eorum ordines eleganter perorat, & ultimo

loco,

loco, ex familia ſolenum eſſe, decernit, quorum claſſem digrediendo illuſtrat, de ſolene arenario & lignorum ſermonem inſtituens, ſiquidem, cum & teredo ſolen lignorum ſit, primus ille pater ſeptem, quem eruditus *Kleinius* deſcripſit, adeoque tubulis congener, conchæ etiam in capite lateribusque teredinis genus tantiſper immutare videantur, collectis in faſciculum, quæ laxe diſputaverat, nomen teredinis *Conchylium marinum tubulo Concboides* eſſe debere, pronuntiat. Peculiaris inde laboris negotium eſſe arbitratus, exponere, qui fiat, ut improviſo adventu beſtiola hæc quandoque ingruat, inſignem cladem, ſtrage lignorum, edat, incerta hujus ſubitaneæ irruptionis cauſa, ſolicite inquirit in tumultuariam hancce teredinis geneſin; generationem ejus æquivocam, ac ſi ex putredine lignorum ſuboriri poſſit, explodit, multo minus in ea verſatur ſententia, ac ſi ex ovulis aliorum inſectorum marinorum prognaſci teredo poſſit, quamvis videatur ſquillulæ marinæ ligna teredine infecta communiter ſuperhabitanti, aliquid commercii cum xylophago marino intercedere; ſed ſubitanei obortus cauſam in eo quærit, quod demonſtret, minorem eſſe in maribus Batavis hac tempeſtate piſculorum illorum quantitatem, quæ ovula teredinis depaſcere ſolent, adeoque majorem inſecti proventum impedire; huc accedere, quod mutata marium conditio, bitumine, quam aliis retro annis fuerat, nunc abundantior, efficiat, ut ovula, bitumine hoc ſubmarino inducta, facillime adhæreant lignis, id quod alio tempore, ſicubi vel a piſciculis ova conſumantur, vel bituminis marini ſit penuria, contingere non poſſit. Hac data occaſione, ad mentem Comitis *Marſilii* de fluminibus bituminoſis ſubmarinis, itidemque de novo piſcium ortu, multa curioſe admodum diſſerit, certo perſuaſum ſibi habens, potuiſſe ex portubus Galliæ, teredine jam dudum vexatis, ſubterraneo itinere cum fluminibus ingreſſam eandem ad Batavum æquor delatam eſſe, neque, ex arcticis ſaltim maribus, ad mentem *Rouſſeti*, acceſſiſſe hanc beſtiolam, arbitrandum. Jam, perſpecta morbi hujus lignorum indole, & mira ſagacia evolutis rei cauſis, de remediis mali cogitare ſuſcipit, formatis, pro cauſarum differentia,

non aliter, ac medici ſolent, indicationibus. Quodſi deprehenſum ſit, bituminis in aqua marina abundantiam, quo ſcilicet adhæſioni apta reddantur ovula, proventus teredinis cauſam eſſe, aquarum dulcium rivos ad ligni affecti baſin adducendos eſſe ſuſpicatur, imo vero, ſi fieri poſſet, de quo tamen magnopere dubitat, augendos eſſe piſciculorum minutiſſimorum, qui ovula teredinis abſumere ſolent, exercitus, auxiliaribus eorundem copiis non levem fiduciam eſſe poſſe perſuaſum habens. Certos eſſe etiam declaratos teredinis inimicos, ſcolopendram marinam, in teredinis tubulo nidulari ſolitam, ſquillulam marinam, *Springertie* appellatam, ſetam marinam, pulmones marinos *Zeequal*, quibus aliquam teredinem deſtruendi efficaciam largiri videtur. Verum parum hæc omnia in re dubia profectura opinatur. Inde univerſalis cujusdam remedii inveniendi opportunitatem quærit in unguento quodam lethali, quo ſuperficies lignorum inungenda ſit. Verum enim vero, cum metus ſit, ne, quod teredini paratur toxicum, piſcibus etiam, imo hominibus, lethale evadat, tale quid remedii ſuadet, quod teredini ſaltim ſolubile ſit, &, cum vel querni pulveris uſum in britannicis portubus, vel aromatum injectorum medicinam, inutilem prorſus fuiſſe compertum ſit, ſuadet, unguentum craſſius, ſtuppa vel crinibus mixtum, & cura prophylactica palis aut navium lateribus applicandum, ne, fuſa a radiis ſolaribus reſina, inanis ſit & ſterilis laboris ſucceſſus. Uſtulationem lignorum, quo ab infectione immunes eſſe poſſint, nihil profeciſſe declarat; miram tamen in præſervandis a quacunque corruptela lignis virtutem in balſamo Prænobiliſſimæ familiæ *H* * * prædicat, cujus effectum in exſtirpanda teredine non obſcurum fore pollicetur. Quodſi quis annulo ferreo, plumbo munito, vel coriaceo, ad alvei marini ſuperficiem palis circumdato, uti, vel cutem etiam metallicam inducere, ſuſcipiat, nec ſucceſſus ſui expertem fore hanc medicinam, ſpem facit, multo magis, ſi ſelectus quidam lignorum, maxime vero amarorum, habeatur, quibus deprehenſæ ſunt abſtinere teredines. Si quid unquam auxilii, certe a mixtura quadam calcis, olei, ful-

TAB.

II

ſulphuris, ſalium, picis, olei ceti, corticis viridis nucis, colocynthidis, abſinthii, ſperandum erit. Hæc omnia prophylactica ſunt conſilia, therapevtica nulla, aut certe non declarata, niſi forte pali, machinæ cujusdam auxilio pulſibus crebrioribus afflicti, eo nomine liberari poſſint, quod tremor ligni infringere tubulorum corticem valeat, quo ſic moriendi neceſſitas teredini inferatur. Interim, cum periodicum videatur hoc malum, &, uti ſolent inſectorum illuvies, tranſitorium, quandoquidem conſtans aliquod præſervandi ligni remedium ſuppeditari nequeat, conſultum eſſe videtur Cl. Autori, lapide potius, quam ligno, firmare aggeres. Quamvis enim nec ſaxa ſuis hoſtibus deſtituantur, ſintque, quæ ruinam eorum machinantur, pholades ſaxorum, minus tamen intercidunt. Sic felici fine laudabile opus coronat Autor, cui, perennitatem aggeribus reipublicæ ſuæ conciliare annitenti, de nominis perennitate, quam ſibi his aliisque monumentis peperit, gratulamur, avidi occaſionis, qua denuo felicia eidem publice augurari valeamus. Ita quidem magnifice de nobis non ſentimus, ut ex noſtro, doctiſſimis Autoris annotationibus accedere aliquid poſſe arbitremur, interim facere non potuimus, quin pro illuſtranda quæſtione, utrum aliquot retro ſeculis teredo in portubus Europæ naves aut ligna deſtruxerit, materiam nec inutilem, nec injucundam, calcis loco adderemus. Accepit haud ita pridem ex Anglia prope *Richmond* Clariſſimus & ſolertiſſimus naturæ indagator, *Linckius*, de quo Lipſia noſtra gloriatur, petrefactum, tubulo conchoides, verum Xylophagum marinum, intra alveolos ſuos cum ligni portione lapideſcentem, id quod nemo, niſi qui teredinis favos nunquam vidit, inficiabitur. Luculentum admodum & pro inſtruendo aptum, lapidis fragmentum, dignum nobis viſum eſt, quod impetrata Domini Poſſeſſoris venia, ære exſculperetur. Utrum navis, utrum pali fuerit portio, parum refert; ligni ſane luculenta extant veſtigia, fibris ligneis cum intermedio alburno manifeſte conſpicuis Fig. 1 A, ſed transverſim excurrentibus. Neque enim ſemper fila lignea ſequuntur teredines, ſed, prout lex de non lædendis vici- **TAB. II Fig. 1.**

 niæ

niæ parietibus id poſtulaverit, per eadem irrumpentes huc illuc deflectunt. Alveoli hinc inde denudati, intra quos Xylophagus delituerat B), cruſta ſua perlacea & lævigatiſſima veſtiti, adhuc dum ſuperbiunt, ita, ut & annulorum veſtigia haud obſcure deprehendas C). Ipſa teredo pro ſua pelluciditate non poterat niſi in ſimilem ſui ſubſtantiam verti, inde belemnitis colorem referens tubulum ſuum D) non tantum undique replet, ſed & cruſtam, quæ eidem & ligno intereſt, diſtincte ob oculos ponit E). Corporis in teredine capacitas modo impleta eſt F), modo vacua G); cute tamen poſt cruſtam altera, quæ pellucida eſt, dum vivit, in analogi coloris lapidem mutata H); quodſi velis imaginationi tantiſper largiri, videre ovula ſimilem in modum petrefacta tibi videberis I); quod mirum videri nemini poteſt, qui numerum ovulorum in teredine conſiderabit. Propius ſe invicem attingunt tubulorum canales, qua parte ſine dubio irruptionem in lignum fecerant teredines juniores, inde laxius metiuntur iter, prope ſe ipſas ingreſſæ, imo etiam circumvolutæ K); Addimus alteram curioſiſſimi lapidis figuram, eo nomine, ut ipſius teredinis portio quædam viſceris interna affabre efficta, in alveolo ſuo deliteſcens, ipſa luce clarior appareat cum duabus eminentiis inſtar vaſculorum pyramidalium L); quæ ab Autore in teredine deſcribuntur. Si malis pro verme habere, qui a muſca, depaſta teredine, gignitur, quo tempore tubercula prædicta fingenda tibi erunt cornua limacum æmula eſſe, ad mentem Autoris, per nos licet. Quotusquisque eſt, qui, conſpecto lapide, deprehenſis manifeſtis in eodem ligni ſignis & teredinis tubulis, cum vivo exemplari collatis, quo ipſo dubitari nequit, tubulo conchoidem eſſe, nec mere tubularem, non in eam ſententiam incidat, a diluviano tempore, eadem peſte ligna corrupta & deſtructa in portubus Europæ fuiſſe. Manifeſte enim declarat lapis, ligni, ex qua degeneravit, portionem tunc multis in locis ſic deſtructam eſſe, ut vix tenuiſſima parietum inter contiguos tubulos veſti-

TAB. II Fig. 2.

Digitized by Google

veſtigia M) ſuperſint. Quæ cum ita ſint, eo magis veriſimilis eſt Autoris ſententia, poſſe maris conditionem, ejusdemque bitumine abundantiam, proventum teredinis inſigniter adjuvare, adeoque cum ſuas viciſſitudines mare patiatur, eodem modo & ceſſare malum & recrudeſcere, quod, ne fiat, utque Reipublicæ tam civili, quam literariæ ſemper bene ſit, Deum precamur.

CAUSES CELEBRES ET INTERESSANTES &c.

h. e.

*CAUSÆ FORENSES CELEBRIORES & UTILES dijudicatæ, una cum Sententiis; exhibitæ a M** Advocato Parlamenti.*

Tomi II.

Pariſiis, apud Guil. Cavelier, 1734, 12.

Tom. I Alph. 1 pl. 1, Tom. II Alph. 1.

Ex Præfatione, huic Opuſculo præmiſſa, conſtat, Autorem conſtituiſſe varios exhibere caſus, (ita enim vocantur vulgo cauſæ litigioſæ,) in foro ventilatos, ac ſententias de his a Parlamentis latas, ſubjungere. Qua opera ita defunctus, eſt, ut hinc multa convertere in rem ſuam poſſint homines in judiciis verſantes. In hoc quippe Opuſculo integri ſiſtuntur proceſſus, narratur cauſa, inſimul, quid partes ligitantes in foro adduxerint, & denique ſententia, quæ huic liti finem impoſuit, proponitur. Librum in *duos* dividere *Tomos* Autori libuit. In *primo* ſubſequentes cauſæ ſiſtuntur: 1) Aliquis, qui ſe per mendacium pro *Martino Gerrio* venditaverat, exhibetur; 2) mendicans quidam, in prima pueritia adhuc conſtitutus, & pro filio honeſtiſſimæ cujusdam fœminæ civilis ordinis reputatus, ſiſtitur; 3) fœmina quædam in medium adducitur, quæ facundia ſua eum, in quem tenerrimo amoris affectu ferebatur, a capitali ſententia liberavit; 4) alia quædam ſiſtitur fœmina, convicta de veneficio in patrem & duos fratres commiſſo, inſimulque parricidio in ſororem ſuam attentato. Quæſtio hic excutitur, an confeſſio, eo conſilio in ſcripturam redacta, ut ad confeſſionarium deferatur, convincere queat reum delicti ipſi imputati. 7) Exemplum proponitur infantis cujusdam, a duabus matri-

Digitized by Google

bus ſimul vindicati. 8) Narratur, maritum quendam, una cum uxore furti inſimulatum, tandem tamen innocentem deprehenſum. *Tomus ſecundus* duas exhibet cauſas, 1) militis cujusdam, a diverſis Parlamentis diverſa ratione conſiderati; 2) alicujus, propter crimen magiæ ipſi imputatum condemnati.

MISCELLANEA DUISBURGENSIA, AD incrementum rei literariæ omnis, præcipue vero eruditionis Theologicæ, publicata.

Tomi I Faſciculus I & II.

Amſtelodami & Duisburgi, apud A. Wor & J. G. Bœttigerum, 8.

Alph. 1 plag. 1½.

Anno 1732, cujus mentio typographi incuria in utriusque libri titulo eſt omiſſa, edi cœperunt hæc Miſcellanea, quorum editionem, quamdiu poterit, continuaturus eſt Celeberrimus Duisburgenſis Academiæ Theologus, *Daniel Gerdeſius*, qui *p. 129* eorum ſe profitetur Editorem. Accedit hæc Sylloge pluribus illis variarum, earumque doctiſſimarum, Diſſertatiuncularum Collectionibus, quas noſtro huic ſeculo dedit literata Germania. Habes igitur, Lector, primo in Faſciculo 1) *Jo. Chriſt. Loerſii*, Theologi Duisburgenſis, Schediaſma *de Choſchen, ſive pectorali Pontificis Romani*, ad *Ezech. XXVIII, 12, 13*; 2) *Jo. Henr. Hottingeri*, Theologi Heidelbergenſis, *Notas Theologico-Philologicas in Exodi Caput ſextum*; 3) *H. Reinh. Pauli* Schediaſma hiſtoricum *de Eccleſia Cenchreenſi*; 4) *Frid. Adolph. Lampii* Analyſin exegeticam parabolæ Paulinæ *1 Cor. III, 1-17*; 5) *D. Gerdeſii* Obſervationem exegeticam ad *Phil. II, 17*; 6) Ejusdem Excerpta ex *Alb. Schultens Originibus Hebræis*; 7) Ejusdem Deſcriptionem ſtatus præſentis, ſive Profeſſorum hodiernorum, Academiæ Duisburgenſis, quorum & ſcripta commemorantur ſingula; 8) denique ejusdem *Memoriam Jo. Jac. Huldrici*, Theologi Tigurini, A. 1731 rebus humanis erepti.

Si

Si quis forte hac noſtra recenſione nondum eſt contentus, is ſciat, *prima* in Diſſertatione verba illa Dei *Ezech. XXVIII, 12 ſeq.* capi de Papa Romano, omniaque ibi dicta ingenioſe ad eum applicari: novam etiam *p. 26 ſeq.* proferri interpretationem *numeri beſtiæ 666*, de quo *Apoc. XIII, 18.* In *ſecunda* inter alia docetur, *Exodi VI, 3*, verba capienda eſſe ſenſu interrogativo, atque ita reddenda: *Nonne nomine meo Jehova illis innotui?* In *tertia* oſtenditur, *Cenchreas*, *Actor. XVIII, 18*, & *Rom. XVI, 1*, memoratas, fuiſſe oppidulum Corintho proximum, eique adjacuiſſe portum percelebrem: deinde probabile redditur, Chriſtianos, Corinthi viventes, egiſſe hic conventus ſuos ſacros, in urbe quippe Corinthiaca non ſatis tutos. In *quarta 1 Cor. III, 13*, per *diem* ſignificari *Lampio* videtur dies extremi judicii; *v. 15* per *ignem* vis purgans & exurens, ut is, qui in doctrina titubaverat, errorem ac ſtultitiam agnoſcat, atque ab iſtis præjudiciis ſanetur. In *quinta* Cl. *Gerdeſius* putat, *Phil. II, 17*, non apparere cohærentiam cum verbis præcedentibus, ideoque plerorumque interpretum expoſitiones hujus loci a vero aberrare ſcopo. Exiſtimat igitur, verba *Pauli* a *Cap. I, 27*, uſque ad *Cap. II, 17*, eſſe parentheſin: quod ſi concedatur, connexionem verſus 17 Capitis ſecundi cum Capitis primi verſu 26 eſſe in propatulo. Jam totum hunc verſum docte explicat ex Antiquitatibus Judaicis.

Cetera hujus Faciſculi mittimus, atque ad alterum adimus, in quo deprehendimus 1) *G. C. Offerhauſii* Diſquiſitionem *de Alpha Apocalyptico*; 2) *Jo. Frid. Miegii* Diſputationem *de Baptiſmo Flaminis*; 3) *Guil. de Water* Diſſertationem *ad Lucæ XII, 58, de Archonte, litium arbitro apud Judæos*; 4) *Jo. Henr. Schrammii* Specimen *Hieroglyphicorum Propheticorum* in vocibus *ablactatus* & *abſinthium*; 5) *Joannis ab Hamm* Obſervationes aliquot Biblicas ad *Geneſin* & *Leviticum*; 6) *Dan. Gerdeſii* Obſervationem exegeticam ad *1 Petr. IV, 6*; 7) Ejusdem Origines Evangelicas inter Salzburgenſes ante *Lutherum*; 8) *Jo. Hornii*, Confeſſoris Bohemi, Præfationem ad Cantica Bohemorum fratrum; 9) Nova literaria Theologica; 10) Ca-

Digitized by Google

10) Catalogum librorum Theologicorum, maxime exegeticorum, a Proteſtantibus ſuperiori biennio editorum. *Primæ* igitur Diſſertationis Autor diſquirit, cur Chriſtus in *Apocalypſi* vocetur *Alpha*. Tres autem producit ſimilitudines Chriſti cum *Alpha*. Primo, ait, Alpha eſt litera per ſe ſubſiſtens, nec ulla alia litera indiget ad formandum ſonum. Sic & Chriſtus ſua exiſtit virtute, ſuaque ſe ſuſtinet vi, & ſemper fuit, ſemper erit. Deinde Alpha eſt literarum Græcarum prima. Pari modo Chriſtus eſt primus natura, ſermone, operatione, dignitate, cognitione, & loco. Tertio Alpha eſt quaſi vita & anima ejus literæ, cui adjungitur. Ita etiam Chriſtus eſt vita omnium electorum, & ſpiritus totius Sacræ Scripturæ. De ſimili ſignificatu myſtico τȣ ω (vocatur enim Chriſtus α & ω,) alibi ſe dicturum, ſimul promittit Autor Doctiſſimus. Diſſertationis *tertiæ* Autor ſe præbet nobis doctorem novæ interpretationis erudititiſſimum. Scilicet, cum, quis ſit ille ἄρχων, *Lucæ XII, 58*, memoratus, neque *Sigonius*, neque *Goodwinus*, neque *Ligtfootus*, neque alius quisquam, ad liquidum perduxerit, Noſter docet, ſignificari *Archi-Synagogum*, idque pulchre probat, ſimul interpretans veterem quandam Inſcriptionem, quæ *Gudio* videbatur monſtroſa. In ea enim hæc verba reperiuntur: ALFIVS IVDA ARGON ARCOSINAGOGVS. Quæ Noſter prave ſcripta eſſe arbitratur pro ALFIVS IVDÆVS ARCHON ARCHISYNAGOGVS. In *ſexta* locus ille tot interpretibus tantisque obſcurus *Petri* de *Evangelio mortuis annuntiato* expenditur, ſtatuiturque, hoc ſibi velle Apoſtolum, hominibus beate defunctis, coram throno ſupremi judicis in judicio particulari comparentibus, hoc Evangelium, hoc eſt, lætiſſimum hunc nuntium, contigiſſe, remiſſa ipſis eſſe peccata omnia, & vitam æternam ipſis conceſſam eſſe in fidei & laborum præmium. *Septima* in Diſſertatione docetur, in terris Salzburgenſibus jam dudum verſatos fuiſſe teſtes veritatis Evangelicæ. E decimo tertio Seculo adducitur Oratio *Eberhardi II*, Archi-Epiſcopi Salzburgenſis, in qua graviter invehitur in Papam, ejusque dominatum, ac mores Babylonicos. Sed cetera præterimus, quippe, ut ipſe Cl. Autor ingenue fatetur, petita pleraque e Cl. *Schelhornii* libello ejusdem argumenti.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCCXXXIV.

CHRONICON GOTWICENSE, SEU ANnales liberi & exempti Monasterii Gotwicensis, Ordinis S. Benedicti Inferioris Austriæ, faciem Austriæ antiquæ & mediæ usque ad nostra tempora, deinde ejusdem Monasterii fundationem, statumque hodiernum, exhibens, ex Codicibus antiquis, membranis, & instrumentis, tum domesticis, tum extraneis, depromtum; pro quorum faciliori intellectu Tomus prodromus, de Codicibus antiquis MStis, de Imperatorum ac Regum Germaniæ Diplomatibus, de eorundem palatiis, villis, & curtibus Regiis, atque de Germaniæ medii ævi pagis, præmittitur, & ea, quæ ad Cæsareorum Regiorumque Germaniæ Diplomatum antiquitatem, materiam, stilum, scripturam, monogrammata, sigilla, subscriptiones, notasque Chronologicas, atque ad palatiorum & villarum Regiarum pagorumque Germaniæ mediæ situm, pertinent, explicantur, & adjectis speciminibus, Tabulisque æri incisis, illustrantur.

Typis Monasterii Tegernseensis O. S. Benedicti, 1732, fol. maj. Alph. 5 plag. 21, cum Tabb. æn. 42.

Post renatas meliores literas, jam diu Viri eruditi in excutiendis Græcorum Romanorumque antiquitatibus, studio

neque inutili, neque injucundo, verſati fuere. Quis vero neget, multo majore cum utilitate pariter atque jucunditate operam conferri ad cognoſcenda etiam atque illuſtranda communis patriæ vetuſta monumenta atque jura? Ac ſane hodie felicibus auſpiciis in orbe erudito, & inprimis apud Germanos, floret hiſtoria, ad teſtium idoneorum tabularumque antiquarum fidem repurgata; in rebus memorandis temporis ordo diligentius indagatur; illuſtrium familiarum origines propaginesque, remotis fabularum commentis, traduntur exquiſitius; omnis ævi, ac præcipue medii, Geographia, nec minus inſignium gentilitiorum diſciplina, quam *Heraldicam* dicimus, in majore collocatur luce, ac Juris Germanici prudentia in dies magis a tenebris & erroribus vindicatur. Ad quæ omnia luculentius illuſtranda, dici non poteſt, quantum conferant antiqua Diplomata & ſigilla; quibus, ſi qua alia natio, certe Germania noſtra, poſt tot temporum rerumque converſiones, nihilo minus adhuc abundat. Tantummodo opus eſt certis quibusdam præceptis criticis, ut vera a ſpuriis documentis accuratius diſcernantur. Cui ſtudio, præter aliorum quorundam conatus, inſigne lumen prætulit *Jo. Mabillonius*, immortali Opere *de re diplomatica* edito. Sed, ſicuti Scriptoris hujus labores utiliſſimi fere intra limites Diplomatum a *Merovingicæ* & *Carolingicæ* ſtirpis Regibus conceſſorum, intraque documenta res Gallicas duntaxat ſpectantia, ſubſtitere, ita dudum Viri quidam eruditi deſiderarunt adhuc in Germania noſtra *Diplomaticæ artis Syſtema*, *Mabilloniano* ſimile, aut majus. Ex eodem ergo S. Benedicti Ordine, præſtantium ingeniorum ferace, cui adſcriptus erat *Mabillonius*, nunc auſpicato etiam prodit, ejusque veſtigiis inſiſtit, Reverendiſſimus *Godefridus*, Abbas Gotwicenſis; in quo, dubites, an exquiſitæ eruditionis apparatum, præſidiorumque copiam, an induſtriam incredibilem, an ſingularem modeſtiam, itemque luculentum ſcribendi genus, magis admireris? Hic, etſi ab initio ſecum conſtituiſſet, tantummodo *Chronicon liberi Monaſterii Gotwicenſis*, in Auſtria inferiore ſiti, cui laudabiliſſime præeſt, conſcribere, attamen deinde magno conſilio, & acri confirmatoque animo, huic Operi præmittendam

duxit

Digitized by Google

duxit diffuſiorem, eamque criticam, Codicum MStorum & Diplomatum antiquorum diſquiſitionem, in qua eam rei diplomaticæ partem, quæ tempora *Carolingica* excepit, neque ab aliis adhuc ex inſtituto occupata eſt, illuſtrandam & ad artis criticæ regulas exigendam, ſuſcepit. Quo fine non tantum Diplomata multa, ex avtographis deſcripta, æriqueincisa, Operi ſuo inſeruit, ſed eadem etiam ad certas accuratioris Critices regulas expenſa ita interpretari & dijudicare ſtuduit, ut tam externa Diplomatum per ſingula Secula facies oculis conſpicienda ſiſtatur, quam ipſa quoque eorum viſcera, imperii videlicet noſtri compages, Jurisprudentia Germaniæ domeſtica, aliqua his affinia, facili negotio deprehendi poſſint, adeoque non ſolum ad faciliorem *Chronici Gotwicenſis* proxime evulgandi intelligentiam atque uſum, ſed & generatim ad evidentiorem univerſæ diplomaticæ, præſertim Germanicæ, doctrinæ cognitionem, via muniatur. Hæc enim Autor & dignitate & eruditione illuſtris in hoc ipſo *Tomo I*, tanquam *Prodromo* totius Operis, unice & magna cum cura ſibi pertractanda ſumſit. Id autem ſplendidiſſimum Opus Auguſtiſſimo Romanorum Imperatori, *Carolo VI*, orbis Chriſtiani amplificatori, pacatorique Europæ glorioſiſſimo, eo æquius dedicavit, quo verius memoratuque dignius refert, Imperatorem clementiſſimum *de veris Hiſtoriæ Germanicæ fontibus, de Diplomatum veterum uſu, vi, & autoritate, de inſtaurandis denique provehendisque optimarum artium ſtudiis, ſecum, ubi plus vice ſimplici admiſſus fuerit, tam docte diſſerere dignatum eſſe, ut nunquam, niſi cum maxima animi voluptate atque admiratione, recordari poſſit, ea ex ſummo orbis terrarum Monarcha audiviſſe, quæ non tantum in Principibus ad id faſtigii evectis rariſſima & vix unquam audita ſint, ſed ab iis etiam, qui e literatorum cœtu eruditi exiſtimari velint, vix ſciantur.* In *Præfatione ad Lectorem* Autor inſtituti ſui rationes, & totius Operis futuri ordinem, atque argumenta, itemque alia quædam ad hiſtoriam rei diplomaticæ facientia, copioſe eleganterque exponit, ſimulque docet, cur viam, quam tenuerit *Mabillonius*, quodammodo duxerit deſerendam. Cum enim ille artis diplomati- Pag. 1-36.

Digitized by Google

cæ præcepta ſparſerit longius, quam Lectoris commodum ferat, hic e contrario omnes regulas, ad quas uniuscujusque Regis, vel Imperatoris Germanici, a *Conrado I* uſque ad *Fridericum II*, Diplomata ſint exploranda, proprio & uno loco cognoſcendas propoſuit. Ad extremum vero eorum etiam nomina non ſine gratæ mentis ſignificatione commemorat, quorum ope, ſtudio, ac benevolentia, in tanti moliminis opere fuerit adjutus: nominatimque Celſiſſimæ Illuſtriſſimæque Domus *Schœnborniæ* magna in ſe ſuumque Opus merita dignis laudibus prædicat.

Quemadmodum vero Autor univerſum Opus ſuum in *tres Tomos* partitus eſt; ita horum *primum*, veluti *prodromum*, nunc exhibet, eumque literata partitione in *quatuor Libros* ſic dividit, ut duo priores Libri *primam Partem*, ſive *Volumen*, reliqui duo *Partem alteram*, conſtituere poſſint. In *Libro primo Codicum antiquorum*, eorumque manu exaratorum, & adhuc in Germaniæ Bibliothecis extantium, luſtricum criticum præmittit, adjectis ſecundum Seculorum ordinem variis vetuſtæ ſcripturæ ſpeciminibus, in æs inciſis, additoque ubivis loco, ſive Bibliotheca, unde iſti libri cum Autore

Pag. 1 ſeq. fuerint communicati. Hic itaque, prooemii loco, differit de neceſſitate & utilitate criticæ cognitionis Codicum MStorum, deinde inquirit in cauſas & origines mendorum, quibus identidem inquinati fuere antiqui Codices, ac ſatagit exculpare Monachos, quos *Clericus*, aliique, incuſarunt, quod humaniorum literarum imperiti, in Codices MStos menda innumera admiſerint. Præterquam enim, quod ſiniſtra hæc nota, pro eo, ac par erat, huc uſque probari haud potuerit, negari non poſſe, Monachis Ordinis S. Benedicti emendatos & correctos plurimos deberi libros. Tum notat *Germonium*, & maxime *Harduinum*, qui, contra characteriſtica, eaque admodum probabilia, cujusque Seculi indicia, omnem vetuſtorum Codicum ætatem vacillantem dubiamque reddere conati ſint. Ut ergo ſuppeditet notas quasdam atque argumenta ætatis conditionisque Codicum MStorum veriſimili ratione cognoſcendæ

8. dijudicandæque; primum, *Caput I hujus Libri* generatim agit

agit de facie exteriore Codicum MStorum, nempe de materia & forma ſcribendi, ac more librorum compingendorum, aliisque characteriſmis. Sic, ubi de varia literarum forma & flexu exponit, inter alia commemorat, ſupereſſe adhuc varios libros, *majuſculis Romanis*, iis tamen plerumque ſemiuncialibus, literis perſcriptos; Romano Imperio ad fata ſua quaſi properante, præcipue Seculo ſexto, inductum fuiſſe *Gothicarum literarum* genus; Gothis Italiæ regno exutis, ſucceſſiſſe Longobardos, qui Codicibus Seculi ſeptimi & octavi *literas Longobardicas* intulerint; Imperio Romano ad Francos delato, *ſcripturam Francicam*, ſeu *Franco-Gallicam*, eamque paulo nitidiorem, in Codicibus Seculi noni invaluiſſe; aliud porro antiquitus uſurpatum fuiſſe literarum, earumque tortuoſarum, minutarumque, & mire connexarum, genus, apud *Anglo-Saxones*; cujusmodi characteribus Codices a Monachis Anglo-Saxonicis, in Germania commorantibus, deſcriptos foveat *Cathedralis Bibliotheca Herbipolenſis*, v. g. *Collectanea moralia de virtutibus*, & *Sententiolas ſanctorum Patrum*, aliosque. Unde recte ab *Hikeſio* refutatum eſſe ait *Harduinum*, ſtatuentem, iſtiusmodi characteres haud re vera in vulgari uſu fuiſſe, ſed tantum ab artifice quodam eſſe excogitatos. Ceterum commonſtrat, literas majores aliam plane formam in Codicibus, quam in Diplomatibus, ſcripturaque forenſi, præ ſe ferre. Cum de *compendiis ſcribendi* agit Autor, e Codice aliquo Gotwicenſi Seculi XII. profert *notas Grammaticas*, atque *Criticas*, item & *Juridicas*, atque *Militares*; multoque plura de cultu & ornatu Codicum veterum annotat, quæ hic repetere nihil attinet. Poſtea deſcendit ad ſpecialiora, & Codices per ſua Secula diſpeſcit, ac cujusque Seculi characteres proprios, exemplo *Mabilloniano*, indagat, ita quidem, ut, ſcripturis exteris & peregrinis, maxime ſeptentrionalibus, jam prætermiſſis, antiquiſſimas tantum Germaniæ ſcripturas, easque Latinas, in lucem protrahere, atque Codices in Bibliothecis Germanicis ſepultos ſpeciminibus quibusdam illuſtrare, aggreſſus ſit. Itaque *Cap. II* ſub examen vocat Codices quosdam ante Seculum IX ſcriptos; ac nominatim agit de

Pag. 24.

34.

Digitized by Google

Codicibus *Evangeliorum S. Chiliani*; *Canonum Apostolorum*; *Epistolarum S. Pauli*; *variorum Sermonum & Homiliarum*; *& Sententiolarum sanctorum Patrum*, qui omnes Codices pervetusti in *Cathedrali sacrario* & *Bibliotheca Herbipolensi* asservantur, & quorum singulorum externam pariter atque internam formam Autor curate describit, atque quinque speciminibus scripturæ *Tabula I* ære exscripta illustrat. Sic
Pag. 36. *Tabula II* alia exhibet specimina, v. g. ex Codice venerandæ antiquitatis Bibliothecæ Tegernseensis Monasterii in Bavaria, qui *Pastorale S. Gregorii, Papæ*, complectitur; præterea e Codice *Homiliarum S. Gregorii, Papæ, in Ezechielem, per B. Hildigrimum I, Episcopum Halberstadiensem*, Seculo VIII conscripto; item e *Libro Moralium S. Gregorii super Jobum Prophetam*, ac *Libro Evangeliorum*, qui habet involucrum, inauratis laminis, iisque antiquissimis, lapillisque variegatis, obductum: quos Codices, aliosque plures, magnæ antiquitatis nomine commendabiles, servat Bibliotheca Monasterii Weridinensis Ordinis Benedictini. Adhæc *Tabulam III* assignavit Autor duobus speciminibus Seculi VIII, ex Bibliotheca *San-Petrensi* Salisburgensium secum communicatis: quorum alterum e *Congesto Arnoniano*, alterum ex *Hieronymi Commentario in tres libros Salomonis*, depromtum est. Illud præclarum vetustatis monumentum, quod dicitur *Congestum Arnonianum*, sive *Donationum Breviarium*, exaratum est ab *Arnone*, Episcopo, anno, quo *Carolus M.* Boica regione potitus est; idemque descriptum *Canisius*, *Gewoldus*, *Dukerus*, & ambo *Mezgeri*, jam evulgarunt. Monumentum hoc Autor ait conscriptum esse in membrana, binis in qualibet facie columnis, liquore atramentario, & in prima pagina ab una tantum membranæ facie consutum esse ad formam rotuli, existente in superiore parte cylindro, in quo membrana ad normam veteribus usitatam possit circumvolvi; utque hujus *Congesti* forma & magnitudo eo accuratius intelligatur, mensuram Archi-
39. tectonicam pedis Salisburgensis eidem apposuit. Hinc *Cap. III* a rudioribus temporibus accedit Autor ad Seculum paulo nitidius, idque IX, utpote in quo & artibus & generi scri-

ſcribendi nonnihil curæ impendi cœperat. Varia hujus Se-
culi ſpecimina Tabulis ære exſcriptis prodit; ac *Tabula I*
quidem e quatuor inſignioribus Codicibus *Bibliothecæ Cathe-
dralis Herbipolenſis*, nempe e *Synodo Nicæna ſecunda*, tem-
pore *Caroli M.* celebrata, ſed ab ea, quæ jam edita eſt, ali-
quantum diverſa; item e *Conſtitutionibus pro Monialibus
in ſacro conventu Aquisgrani* A. 816 perſcriptis; porro ex
Martyrologio Bedæ; tum ex *Homiliis Cæſarii*, Epiſcopi Are-
latenſis; e cujus Codicis primo folio ſimul *Formulam Con-
feſſionis veteris*, Theodiſco ſermone ſcriptam, Autor profert.
Præter hæc, in eadem Tabula ſpecimen prodit ex *Commen-
tatione D. Hieronymi ſuper Matthæum*, quæ extat in Biblio-
theca Monaſterii Salisburgenſis S. Petri, item ex *Epiſtola S. Jo-
annis Apoſtoli*, A. 823 ſcripta, quam ſervat *Abbatia Emmera-
menſis*. *Tabula II* ex Bibliotheca Gotwicenſi ſcripturam Pag. 43.
Pſalterii Davidici cum Annotationibus B. Hieronymi repræ-
ſentat conſpiciendam; e quo Codice etiam produxit *Lita-
niam*, quæ in multis ab hodierno *Litaniarum* ritu recedit.
Tabula III ex celeberrimo *Arnulphiano Codice Evangeliorum*, 47.
A. 870 ſcripto, qui eſt Abbatiæ Emmeramenſis Ratisbonæ,
ſplendidius ſpecimen expromit; neque minus per ſequentia
tria Capita examinat Codices Seculi X, XII & XIII; ſin-
gulorumque formam, & ductus literarum, interpunctiones, ac
ſcribendi compendia, multo ſtudio deſcribit, particulasque
& figuras quasdam, inde excerptas, Tabulis ære exſcriptis de-
lineat, docteque illuſtrat. Inter hæc, dum Autor agit de duo-
bus Codicibus Monaſterii Petrini Salisburgenſium, e Seculo
XI, in quibus textus quidam *notis muſicis*, ſupra ſingulas ſyl- 55.
labas ſcriptis, inſigniuntur, eximiam facit digreſſionem de *an-
tiqua Muſica*, inprimis apud Latinos, & in Occidente; quam,
quod ad uſum ſacrum attinet, a S. *Gregorio*, Papa, docet eſſe
ordinatam, & a *Carolo M.* emendatam, notasque muſicas
primum per literas Alphabeti, deinde per varias punctorum
& virgularum figuras, ſyllabis ſingulis ſuperne adſcriptas, ar-
temque illam muſicam ſubſequenti tempore rurſus in dete-
rius prolapſam, ſed a *Guidone Aretino*, Ordinis Benedictini
Mo-

Monacho, reparatam, demum Seculo XIV in *choralem & figuralem* dividi cœpisse.

Pag. 73. Sequitur *Tomi primi Liber secundus*, de *Diplomatibus Imperatorum ac Regum Germaniæ*. Ubi quidem, prooemii loco, generatim de *antiquitate*, *avthentia*, *ac varietate*, *veterum Diplomatum*, Autor differit, commemoratque primum, uti apud omnes cultiores populos, ita & apud Franco-Germanos, fuisse *armaria*, sive *scrinia*, & *archiva*, recondendis Tabulis & Diplomatibus adaptata. Hinc *Balthasaris Bonifacii* Opusculum, de *Archivis* editum, variis, iisque antiquioribus, exemplis & testimoniis supplet, ac contra *Germonium* ostendit, complura omnino de eadem re instrumenta fuisse conscripta. Deinde contra eundem demonstrat, esse utique legitimas antiquitatis notas, quibus collectis & inter se conspirantibus, vera & genuina Diplomatum *avthentia* possit cogno-
82. sci. Quod ad exteriores Diplomatum characteres attinet, observat Autor, usitatam Regibus & Imperatoribus Germanicis scribendi materiam *membranam* extitisse; nusquam inveniri chartam Ægyptiacam, aut aliam materiam; neque vulgo alium liquorem, quam *atramentum*, ab iis esse usurpatum: nisi quod ob majorem Regiæ Majestatis splendorem aliquando *aureus liquor* reperiatur, non in *capitalibus* tantum literis, sed & integris perscriptis Diplomatibus, v. g. in quodam *Ottonis I* Diplomate, quo Ecclesiæ Romanæ jura confirmat, & in *Ottonis II Constitutione dotis* pro Imperatrice *Theophania*; in quodam Diplomate *Henriciano* A. 1014, & *Fridericiano* A. 1152; in literis *Conradi III*, A. 1147 membranæ purpureæ auro inscriptis. Porro annotat, *minii* rarissimum in Diplomatibus apud Francos fuisse usum; apud Germanos nullum prorsus animadverti; *sigilla* utplurimum *cerea*, &, exeunte Seculo X, jam majestatis plena: quamvis & bullas plumbeas aureasque invenire liceat. Quod vero pertinet ad interiora Diplomatum argumenta, ait, antiquam Imperii nostri compagem, & Majestatem Cæsaream, undique in iis conspici, neque commenta quorundam de magnis illis *Archi-Principatibus* in Germania, de *feudis oblatis*, de *jurisdi-*

Digitized by Google

riſdictione territoriali, de *clauſis & non clauſis territoriis* in priſcis temporibus, fide Diplomatum veterum adjuvari; ſed patere, præter Ducem, in provinciis extitiſſe proceres alios, *immediate* Imperatori ſubjectos, qui hujus nomine judicium ac juriſdictionem exercuerint. Id quod deinceps ſigillatim exemplis Franconiæ, Sueciæ, Bavariæ, Saxoniæ, comprobat. Pag. 89.

Jam peculiares characteres Diplomatum Regum & Imperatorum Germaniæ Autor eruditiſſimus inveſtigat deſcribitque. *Capite* quidem *II Libri II*, a *Conrado I*, Franciæ veræ, nempe Germaniæ, Rege, tractationem auſpicatur; cujus Diplomata quinque, unum ſcilicet Corbejenſe, & duo Emmeramenſia, totidemque San-Gallenſia, ex avtographis ære delineata oculis ſubjicit, &, in critico horum examine, exteriora primum contemplatur. In his, cum expendit literarum formam, duplices obſervat, majores videlicet, ſive unciales, & minores. Uncialibus primus verſus, ſive *linea*, abſolvitur. Hæ literæ, oblongis ductibus exaratæ, ſunt tenues, acutæ, & minus, quam in poſterioribus Diplomatibus, criſpatæ. Minutiores literæ, quibus reliquus Diplomatis contextus perſcriptus eſt, itidem ſubtiles, & calamo ſatis acuto pictæ apparent, eadem conſpicuæ forma, quam alias refert character Romanus minutus. Conſiderata fere ſingularum literarum figura, notat porro, in his *Conradinis* Diplomatibus crebrius occurrere *interpunctionem*, deſignarique per unum duntaxat punctum, poſt ſententiæ finem ad mediam ultimam literam verbi poſitum; in uno tamen loco tria puncta collocari; literam *i* nunquam notari ſuperne punctulo; literam *y* aliquando ſine puncto, aliquando cum puncto, conſpici; adhæc compendia ſcribendi, quæ vulgo *abbreviationes* dicuntur, hic ſatis frequentes occurrere; neque tamen ſuperius lineola, ſed criſpato quodam inflexu, plerumque inſigniri; diphthongum *ae* in binis Emmeramenſibus Diplomatibus nunquam ſic conjunctam, *æ*, nec per *e* ſimplex, aut caudatum ę, ſcribi; in Corbejenſi aliquando ſeparatis literis *ae*, aliquando *e* ſimplici, exprimi. Allatis aliis quibusdam obſervationibus, quæ ad orthographiam pertinent, antiquitatem & uſum *Monogrammatum* exponit, notatque, monagramma, ſeu nomen Regis certis literarum im- 95.

plexionibus concinnatum, in subscriptione Diplomatum *Conradinorum* semper in formam crucis effictum conspici, & huic nullas alias, nisi *Conradi* nomen exprimentes, literas adjici; ipsum vero hujus Regis monogramma, Carolingico more, hic etiam immediate poni post vocem, *signum*; & hinc reliquum subscriptionis contextum, *Serenissimi*, vel *Piissimi Regis*, sequi; subscriptioni autem & monogrammati Regis proximam esse *Notarii*, seu *Cancellarii*, subscriptionem, quæ easdem, quas Regia, literas majusculas exhibeat, simulque Cancellarii *signum* referat. A subscriptione transit ad *Sigillum Regium*, de cujus antiquo usu ubi non pauca generatim disseruit, tum sigillatim narrat, sigilla bina *Conradina*, in Corbejensi nempe & Emmeramensi Diplomatibus, *cerea* esse, & quidem ex *cera alba;* quanquam hæc ex diuturnitate temporis lutea esse videatur; ipsa vero hæc sigilla ad dextram membranæ esse annexa, membrana quidem ita incisa, ut decussatim posita videatur integra, deinde cera intrinsecus & extrinsecus scissuræ illi cruciformi, & sigillum intrinsecus ceræ sit impositum, sic, ut cera adversæ & aversæ membranæ cohæreat, ceræ autem in antica parte impressum sit sigillum, relicto aliquo in ceræ περιφερεία circulo, seu potius limbo, aut margine. Ratione formæ, *Conradina* sigilla, ut alia omnia antiquiora Teutonica, ait esse orbicularia, seu rotunda, eaque mediocris magnitudinis, quæ *floreni* ambitum vix, vel modice saltem, excedant; referre autem hæc sigilla *effigiem Conradi I*, Regis, & dimidiatam quidem, ac sigillatim in Corbejensi Regem hunc capite nudo, sine lauro, diademate, & corona, imberbem itidem, repræsentari, hastamque regiam gerere, facie oblique in sinistrum latus conversa; in aliis sigillis coronam & vultum hujus Regis paulo aliter exprimi. Similiter Autor e binis sigillis *Conradinis* depingit *Regalia indumenta*, pallium scilicet humeris in dextra parte fibula quadam alligatum, tanquam *veterem chlamydem Regum*, ubi *Wittichindo* appellatur, & tunicam regiam, eamque strictam; itemque lanceam, cum appensa fascia, ac scutum oblongum, & in uno Emmeramensi striis nonnullis variegatum, tanquam

Pag. 99.

Regia

Regia illius temporis ornamenta atque insignia; denique ipsam *inscriptionem*, in sigillis apparentem, perlustrat, docetque, eam literis Romanis, qualibus usa sit aurea ætas, nomen Regis exprimere. Tandem ab exterioribus Diplomatum *Conradinorum* ad interiora conversus, primo loco horum stilum expendit, ab *invocationis formula*, istis ipsis Diplomatibus præposita, exorsus; in quibus non aliam, quam hanc, reperit: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis.* Dehinc, consideratis Regiorum honorum nominibus, sive *titulis*, observavit, pro vera *Conradi* hujus Diplomatum characteristica nota regulaque posse statui, eundem solo Regis titulo cum additamento, *Dei gratia, divina favente clementia, &c.* nunquam vero titulo *Imperatoris*, vel *Regis Romanorum*, *Francorum*, *Germaniæ*, vel *Alemanniæ*, neque pronomine *Nos*, nomini præmisso, usum esse. De *formula denuntiandi*, seu *intimandi*, qua Principes sub ingressum Diplomatis fidelibus suis publice indicant, & *notum faciunt*, quod decrevere, notat Abbas Illustris, etiam *Conradum* hunc, more aliorum Regum, prævio aliquo proœmio, unicum liberalitatis suæ scopum designasse *æternam animæ mercedem*, *prosperitatemque regni sui*, v. g. *Noverit omnium, tam præsentium, quam futurorum, industria*, vel *solertia, &c.* Sequuntur *tituli honorifici*, quos *Conradus I* cum sibi ipsi, tum aliis, tribuit: dum idem in medio contextu de persona sua locutus, semper numero multitudinis, in Abrinsbergensi vero Diplomate modo plurali, modo singulari, numero utitur, sibique ipse elogium *majestatis*, *regalis celsitudinis*, & *clementiæ*, adscribit: Episcopos & Abbates, itemque Comites, honorifice appellat *venerabiles*, aut *fideles*; non vero *reverendissimos*, & *illustres.* Nec porro idem Rex in Diplomatibus appellasse alios reperitur *Principes*, quatenus sic dicuntur magni territoriorum domini; quamvis extra Diplomata ab Historicis illius ævi *Principes regni* dicantur. Posthæc Autor de reliquis Diplomatum *Conradinorum* argumentis, nempe de rebus, quæ traduntur, præcipiuntur, indulgentur, vel confirmantur, & aliis illius ætatis ritibus juribusque, agit, sigillatimque docet, nec

Pag. 115. 121. 123.

Carolingicis, nec *Conradinis* temporibus, occurrere Diploma genuinum, in quo integer quidam Ducatus, vel Comitatus, in jus proprium alicui concedatur: cum illo ævo Ducatus Comitatusque nondum extiterint hæreditarii. At non sustinet cum *Papebrochio* negare, jam tunc Ecclesiis Monasteriisque
Pag. 126. jus cudendæ monetæ delatum fuisse. Quod ad modum rerum concedendarum eo tempore usitatum attinet, observat Autor, in *Conradinis* Diplomatibus semper primo pagum, deinde Comitatum, & Comitem, tum locum ipsum, seu rem concessam, denominari, in denominatione autem longam fieri seriem & enumerationem *appendiciarum*. Præterimus alias observationes de singularibus quibusdam vocibus, itemque de formula inhibendi, ad Comites Judicesque directa, ac, quæ exulant e *Conradinis* Diplomatibus, de formulis dirarum, multisque pecuniariis, quæ voluntati Principis repugnare au-
128. suris aliquando denuntiabantur. Tandem occurrit ipsa clausula, *subscriptionem* & *sigillationem* exprimens; qualis e. g. hæc est: *idem scriptum nominis nostri signo, nostraque imaginis sigillo, cum manus nostræ scriptione firmavimus, &c.* In cujusmodi formulis *Conradinis* modo *Sigilli*, crebrius *Annuli*, vox adhibetur. Clausulam excipit ipsa *Regis subscriptio*, qua Regis nomen cum vocabulo *Signi* exprimitur; v. g. *Signum Domini Chuonradi, Serenissimi Regis*, &c. *Chounradus* adeo tunc vocabulo *Domni*, seu *Domini*, *Piissimi*, *Serenissimi Claris-*
130. *simique Regis*, compellatur. Regiæ subscriptioni subjecta statim est *Cancellarii Archi-Capellanique subscriptio.* Sic in *Conradinis* chartis, ubi semper *Archi-Capellanus*, non *Archi-Cancellarius*, nominatur *Pilgrinus*, seu *Piligrimus*, seu *Piligramus*; at *Cancellarius*, sive *Notarius*, A. 912, cum *Salomon*, tum alicubi *Wodelfridus*, sive *Walafridus*, & *Odalfridus*; A. 913 & 914 rursus *Salomon* designatur hunc in modum: *Salomon Cancellarius ad vicem Pilgrimi Archi-Capellani recognovi.* Fuit autem *Piligrimus* ille Archi-Episcopus Salisburgensis, fatisque concessit A. 915. At *Salomon* fuit Episcopus Constantiensis, & Abbas S. Galli, vita functus A. 919; cui aliquando absenti, vel aliis rebus impedito, substitutus videtur

Wala-

Walafridus. Denique in ſigilli inſcriptione ſimplici nomine deſignatur *Chuonradus Rex*, nullo addito crucis ſigno, nec expreſſa formula: *Dei gratia.* Supereſt *Chronologia*, tanquam principalis genuini Diplomatis character, quæ continet deſignationem *anni & diei*, quo res geſta & expedita fuit. Ac in *Conradinis* quidem documentis, haud ſecus ac in reliquis Germaniæ Diplomatibus, anni ab *incarnatione*, ſive *nativitate Domini*, computantur, additis numeris *Indictionis*, ſecundum Conſtantinopolitanam conſuetudinem ab VIII Cal. Octobr. deductis, notatisque annis Regiminis Regii, ſub variis quidem, ſed in unum congruentibus formulis. Poſtremo nonnihil exponitur de diſtinctione inter *Actum & Datum;* quæ voces notis Chronologicis adjiciuntur; itemque de *apprecatione*, ſive *voto finali*, horum Diplomatum, quæ varie exprimi ſolent, v. g. *Actum -- in Dei nomine feliciter, Amen;* vel: *in nomine Domini feliciter, Amen.* &c.

Pag. 132.

136.

Hæc fere contra morem noſtrum copioſius ex tam præclaro Opere excerpere, & quaſi promulſidis loco proponere, voluimus, nihil dubitantes, Lectores curioſos ad reliquas partes evolvendas ſua ſponte excitatum iri. Hanc enim, quam de *Conradinis* Diplomatibus breviter indicavimus, rationem in cenſendis & interpretandis omnium Regum atque Imperatorum Germanicorum Diplomatibus a *Conrado I* uſque ad fatale interregnum, quo poſt obitum *Friderici II* Germania fuit afflicta, in reliquis hujus Libri Capitibus XVI perſequitur Autor Venerabilis, ac Diplomatum cujusvis Imperatoris characteres, tum communes, tum proprios, cum Diplomatibus ceterorum Imperatorum temporumque ſic contendit, ut Lector ſtudioſus omnes eas notas collectas quaſi uno intuitu conſpiciat, quibus genuina ac legitima Diplomata, ante Seculum XIII promulgata, a falſis internoſcantur. Adhæc *Archi-Cancellarios* & *Cancellarios* cujusvis temporis diligenter annotat, prætermiſſos a *Mallincrotio* ſupplet, neque omittit errores oſtendere, ſi qui in nonnulla Diplomata, vel in nomine, vel in ordine Archi-Cancellariorum, vel in notis Chronologicis, irrepſerint. *Diverſa inſuper Diplomata*, (utimur ipſius Autoris verbis,) *quibus ſana; alia*

autem, in quibus vel perplexa, vel omnino falſa, ineſt temporum ratio, de induſtria repræſentat, ac, ne cui liberum ſit, per cauſam vitiatæ in quibusdam Chronologiæ, aut alio quocunque inani prætextu, qualibet ſine diſcrimine Diplomata invadere, regulas quasdam ſtatuit, quarum ope vel integritas male affectis reſtituatur, vel ſaltem venia concilietur.

Sic, *Parte I Tomi Prodromi* abſoluta, ſequitur *Pars II*, quæ, duos reliquos complexa Libros, alterum conſtituit Volumen.
Pag. 441 ſeq. Scilicet *Libro III* exhibetur *Commentatio de palatiis & villis Regum atque Imperatorum Germanicorum*, quæ Alphabeti ordine, a numero I uſque ad CXXVI, recenſentur: ut nempe de iis quoque locis in poſterum conſtaret, in quibus Reges & Imperatores noſtri ſua impertiri Diplomata conſueverint; quorum ſitus ad veteris Hiſtoriæ & Geographiæ leges in Tabula depictus, atque in æs inciſus, repræſentatur.

527 - 881 ſeq. Ne vero ad pleniorem Germanicorum Diplomatum illuſtrationem quidquam deeſſet, *Libro IV* Autor vaſtam illam, ut ipſe in Præfatione loquitur, & ſexcentis difficultatibus obſeptam ſylvam, amplam ſcilicet *de Germaniæ mediæ pagis* perquiſitionem, aggreditur. Horum enim nomina, quæ in veteribus Diplomatibus ſcriptoribusque occurrunt, cum ob ingens diſcrimen, quod inter linguæ Germanicæ dialectos, veteres pariter atque hodiernas, intercedit, vix etiam a doctiſſimis hominibus intelligantur; graviſſimo huic incommodo ut mederetur Autor, antiqua *pagorum* nomina diligenter interpretari, eaque notioribus reddere ſtuduit, ut ſingulorum ſitus, conditio, & fata, ſecundum Alphabeti ſeriem facile inveniri, & plena Germaniæ, in ſuas olim provincias, Ducatus, Comitatus, pagosque, tam majores, quam minores, diſtributæ, cognitio comparari, eaque e Charta ære expreſſa penitius hauriri poſſit. Cum vero ob maximam locorum multitudinem *Generalis hac Germaniæ mediæ Charta* omnibus locis accurate deſignandis haud ſufficeret; ſingulos illius ævi Ducatus, certe majores, ac ſcitu magis neceſſarios, ſingulis Chartis mandare conſtituit; ejusque induſtriæ ſpecimen ad finem Libri III dedit, ubi *Auſtraſiæ*, ſeu *Franciæ Orientalis*, *Ducatum*, diſtincte repræſentavit, reliquos ſequentibus duobus Tomis inſerturus.

Ut

Digitized by Google

Ut vero conſtet, quid adhuc expectandum ſit a tam eruditi & de rebus Germaniæ bene merentiſſimi Autoris induſtria; quantum quidem e Præfatione hujus Operis intelligimus, id paucis adhuc indicamus. *Tomo* nimirum *ſecundo* is redivivam veluti repræſentabit ***antiquam*** & ***mediam Auſtriam***, una cum terminis & limitibus, quibus Styriam verſus, reliquasque confines provincias, circumſcripta eſt, addetque vetus fragmentum *Hieronymi Megiſeri*, itemque *Chartam Geographicam Marchiæ Orientalis medii ævi*; hinc originem omnemque ſtatum *Monaſterii Gotwicenſis*, neque minus vitam *Altmanni*, conditoris & fundatoris, & *Chartam Geographicam Bajoariæ*, ſive *Noricorum Ducatus*, una cum *Marchiis ſeptentrionalibus ſupra Aneſum & Atheſin*; pariterque *Ducatum Alemannorum*, ære expreſſum proferet; ſubjicietque his *Abbatum Gotwicenſium* Hiſtoriam; hisque omnibus intexet *Hiſtoriam Auſtriæ*, qua parte ea obſcurior adhuc & involutior extat.

Tertius tandem *Tomus Probationes*, h. e. Bullas Pontificias, Imperatorum ac Regum Diplomata, aliorumque chartas, ac vetera documenta, plusquam mille trecenta, complectetur. *Mantiſſæ* loco, *Sigillorum* ἐκγραφαὶ, ad ſeptingenta, ſumma fide in æs inciſa, ad artem *Heraldicam Germaniæ* illuſtrandam proferentur. Conſtituerat quidem Autor etiam nunc ad antiqua *linguæ Theodiſcæ* monumenta ſtudium ſuum convertere, ad recludendas linguæ Germanicæ origines, ejusque cum Sueco-Gothica, Anglo-Saxonica, Runica, & Francica antiqua, aliisque, affinitatem demonſtrandam, eumque in finem plura diverſorum Seculorum *Gloſſaria Theodiſca*, aliaque monumenta, congeſſerat, verum, cum hæc tractatio uberior eſſet, quam ut nunc expediri poſſet, eam eo uſque differet, dum ſimul *Nummophylacium Gotwicenſe*, & in eo *Nummos* a *Carolo M.* ac ſequentibus Regibus & Imperatoribus uſque ad *Magnum Carolum VI*, cuſos, typis committet. Sed & in Præfatione ſpem facit, fore, ut Codicem *Traditionum Lauriſheimenſium*, ex antiquiſſimo avtographo deſcriptum, adjuncto *Chronico Lauriſheimenſi*, a *Freheriano* multis in locis diverſo, evulget. Neminem a rebus patriæ communis tam alienum fore putamus,

mus, quin tam illustre de Germania bene merendi studium Autoris Reverendissimi maximopere comprobet, & Seculo nostro de tam eximio immortalique Opere gratuletur, idque, ut feliciter absolutum integrumque quam proxime in lucem publicam prodeat, vehementer optet: cum facile intelligamus, hunc Autorem non minus luminis decorisque allaturum esse Historiæ reique diplomaticæ Germanicæ, quam Francicæ, sive Gallicæ, antehac attulit *Mabillonius*.

JOANNIS LAUNOJI, CONSTANTIENSIS, Parisiensis Theologi, Socii Navarræi, Opera omnia, ad selectum ordinem revocata, ineditis Opusculis aliquot, Notis nonnullis Dogmaticis, Historicis & Criticis, Autoris Vita, variis monumentis, tum ad LAUNOJUM, tum ad Scripta ipsius pertinentibus, Præfationibus, cuique Volumini affixis, Indicibus locupletissimis, aucta & illustrata. Accessit Tractatus de varia LAUNOJI Librorum fortuna.

Tomi II Pars I & II.

Coloniæ Allobrogum, sumtibus Fabri & Barrillon, Sociorum, & Marci Michaelis Bousquet, & Sociorum, 1731, fol.

P. I Alph. 9 pl. 1, P. II Alph. 8 pl. 22.

Certi sumus, *Launoji* Opera omnium, quotquot rerum in orbe Christiano gestarum studio ducuntur, jam pridem promeruisse calculum. Quocirca fidem nostram, A. 1731 horum *Actorum p. 441* datam, in præsenti liberabimus, *Tomi II* utramque *Partem*, more nostro, commemoraturi. Invenimus in hoc etiam Tomo lites in Gallia quondam agitatas, quas eadem accuratione & tractandi modo ponderavit *Launojus*, &, quid vera lupinis distent, ante oculos exposuit omnium. Tam vero multa, tamque varia hoc loco nobis exhibentur Opuscula, ut in infinitum nostra processura sit recensio, si ad minu-

minutiſſima quæque eſſet deſcendendum. Idem jam ante nos agnovit ac faſſus eſt Cl. Editor in Præfatione: quæ cum elegans rebusque valde accommodata ſit, multum nos adjuvabit. Occurrit ſtatim initio ampliſſima Diſſertatio *de negantis argumenti autoritate*. Sunt, qui ex negantibus nihil colligi poſſe affirmant. At poſcit ſibi dari *Launojus*, in iis, quæ ex conditione facti, ex uſu, & traditione, pendeant, rationem iſtam maxima valere virtute. In omni, quæ inſtituitur, quæſtione de antiquitate ac novitate rei diſceptatur, &, ſi abſit antiquitas, argumenta negantia proferuntur. Atque hac neganti, ut dicitur, ratiocinatione, tota, quanta quanta eſt, *Launojani* ædificii moles, tanquam cardine volvitur & revolvitur. Nec ad res tantum hiſtoricas, ſed etiam ad dogmata fidei, accommodat eam. Tota hæc Diſſertatio exemplis e Sacra Scriptura, Conciliis, Partibus ac Theologis, illuſtrata eſt, quibus manifeſtum redditur, e neganti propoſitione modo ajentem, modo negantem, non invita ratiocinandi arte, duci poſſe concluſionem. Per duodecim annos nemo ſe huic objecit ſcriptioni; tum vero A. 1661 *Joannes Baptiſta Thierſius* eam ſumſit convellendam. Sed nihil attulit, quod arcem rei *Launojanæ* moveret. Dum vero toties Autori diem dicit, ac ſi ſolis ſcriptoribus æqualibus, aut tantum non paribus, aſſentiendum contendat, in eo verba ſibi dedit. Gravius enim eſt ac majus aliquid, quod poſtulavit *Launojus*, *ſilentium* nimirum, quod *ducentorum plus minus annorum æſtimari* poſſit. At, juvenum more, exultat *Thierſius*, mala fide agit, ſecum ipſe pugnat, jocis & calumniis inſectatur *Launojum*, id quod hic pluribus verbis in oppoſita illi. & A. 1662 evulgata Diſſertatione luculenter commonſtravit. Nec vero ſiluit *Thierſius*, ſed biennio poſt *Defenſionem* edidit *adverſus Launoji Appendicem*, quam vero *Philippicam* in *Launojum* dixeris. Quocirca hic ſprevit leviores *Thierſii* rationes, & vanas ſine viribus iras, quas in ipſum in ſingulis fere paginis evomuerat.

Sequuntur varia Opuſcula, quæ de origine fidei Chriſtianæ apud Gallos, de utroque *Dionyſio*, Athenienſi & Pariſino, de *Maria* item *Magdalena* & *Lazaro*, & aliis, quæ huc per-

Digitized by Google

tinent, rebus, conſcripſit Autor Celeberrimus. In quibus eo, quod multos variis temporibus adverſarios nactus erat, eadem ſæpius inculcare coactus eſt. Noſtrum erit, quo mens *Launoji* valeat, verbis non ita multis ſignificare. Quod attinet ad *Originem Fidei in Galliis*, non exeunte primo Seculo, quæ *Irenæi & Tertulliani*, aliorumque, opinio eſt, ſed tertio medio Seculo, enatam eam *Launojus* arbitratur, celebre iſtud Turonenſis *Gregorii* ac *Sulpicii Severi* eam in rem excitans teſtimonium. Eo quoque conſilio *Cypriani* Epiſtolam ad *Stephanum*, & libellum Epiſcoporum Provinciæ ad *Leonem*, tanquam ſpuria ſcripta, rejecit. Verum ad priorem ſententiam Clariſſimus acceſſit Editor, eamque multis, iisque haud ſane contemnendis, corroboravit argumentis, quorum meditatam lectionem curioſo Lectori commendamus.

Præf. pag. 4 ſeq.

Ex Opuſculis, quæ *Magdalenæ, Marthæ, Lazari, Maximini*, in provinciam appulſum declarant, id, quod caput cauſæ eſt, excerpere juvat. Hos nave, ſine remigio, incluſos in Provinciam appuliſſe, ante inventam reliquiarum epocham, nullum certum ſupereſt, quo probetur, monumentum. Dominicani hujus Autores traditionis ſunt, eamque, quo placeret populo, multis exornarunt fabulis. Hic cum *Launojus* Sanctorum reliquias haud ſatis reveritus eſſe videretur, ad calcem librorum de *Magdalena* Tractatum adjecit *de Cura Eccleſiæ pro Sanctis & Sanctorum reliquiis, ac ſacris officiis ab omni falſitate vindicandis*. Hac in re quemadmodum vera a falſis ſegreganda ſint, eum docere, res ipſa loquitur. Inprimis lectu digna ſunt, quæ de duabus reliquiarum capſis Roma advectis, ac in xenodochium Petræ-Salinæ Pariſiis
205. transferendis A. 1668 enarrantur. Variæ hic exſtant *de duobus Dionyſiis, Athenienſi ac Pariſino*, Diſſertationes, in quibus plurima occurrunt, Eccleſiarum Gallicanarum origines declarantia. Negavit *Jacobus Sirmondus*, hunc utrumque *Dionyſium* pro uno eodemque habendum eſſe, idoneis eam in rem uſus rationibus, cujus & ipſa Diſſertatio hic præfigitur. Sed multos in alia omnia abeuntes, præter opinionem, nactus *Sirmondus*, ſilendi demum conſilium cepit. Itaque conſultum

ratus

ratus *Launojus* eſt, amici eruditi orare cauſam. In eorum, quos adverſarios *Sirmondus* habuit, tum fuit numero *Milletus*, aut, neſcimus quis, larvatus *Benedictinus*, A. 1642. Huic autem *Launojus* eodem ſatisfecit anno. *Milletum* tuitus eſt A. 1643 *Hugo Menardus*, quem vero *Launojus*, formis denuo deſcripta A. 1660 diſcuſſione *Milletiana*, ſatis acriter caſtigavit. Quibus locis uti fidei in Gallis ſuſceptæ originem præclare declaravit, ita, dum Epiſtolam inter *Cyprianicas* 68, ad *Stephanum* A. 254, ſecundum *Pearſonii* calculos, aut A. 256, ſi major fides *Petro de Marca* in Epiſt. ad *Valeſium p. 31*, exaratam, ſpuriam eſſe ait, hæc eum fefellit opinio; id quod & Cl. Editoris indicat Præfatio. Pag. 457. 21 ſeq.

His deſcriptis ac fuſius explanatis, quatuor alia occurrunt Opuſcula. *Primum Vitam Dionyſii Areopagitæ* exponit. Unum hic loci docte monet Editor, Thracem ab *Launojo Areopagitam* minus recte vocari. 24. Is enim *Cæſareus*, cujus autoritate nititur, *Nazianzeni Gregorii* frater non videtur viris eruditis nonnullis; quanquam ita opinetur *Launojus*. *Chryſoſtomus* Athenarum civem eum diſerte appellat, cui magis in hac cauſa credendum; præſertim cum Senatoria ipſius dignitas iſtam confirmet opinionem. *Alterum* de *libris ejus* fert judicium. Conſtat hodie inter doctos homines, *Dionyſii*, Areopagitæ, haud eſſe libros, qui ipſius nomine honeſtantur. Citantur in iis *Ignatii* Epiſtolæ, & Apocalypſis, ut Canonicus liber, adducitur. Sed *Areopagita* ſub *Domitiano* Martyrii palmam obtinuit. Itaque *Ignatianas* non potuit legiſſe Epiſtolas, anno quippe decimo *Trajani* ſcriptas. Apocalypſis vero multo ſerius inter Canonicos libros relata fuit. In his iisdem Codicibus publica ſolennisque Baptiſmi adminiſtratio, ſæviente tunc Imperatorum furore, commemoratur, & fumantia per Miſſæ ſacrificium conſpiciuntur altaria; id quod per tria priora Secula ignotum fuit: quin etiam Monachi longo poſt tempore nati recenſentur. *Tertio Vita & Miracula Dionyſii Pariſini* continentur. In Diſputatione *de Veteribus Baſilicis Pariſienſibus*, quæ *quartum* occupat locum, multa leguntur egregia, quæ ad Hiſtoriam pertinent Gallicanam.

nam. Etſi *Hadrianus Valeſius* eam referendam ſuſcepit, *Henricus* tamen *Salvalla* in Gallicum convertit ſermonem. In animo forſitan habuit in ſuis Antiquitatibus illam Pariſienſibus inſerere, typographi autem, qui eas edendas curarunt, mutilam ac truncam ediderunt. In *judicio ſuper Chifſletii Diſſertationem de uno Dionyſio* nihil novi dixit *Launojus*, idque faſſus eſt ipſe. Argumentum Diſſertationis *de Victorino, Epiſcopo & Martyre*, levius eſt, quam ut ampliorem deſideret enarrationem. Explorat hic enim, utrum *Victorinus*, cujus veneratio in Eccleſiam Pictavienſem circa A. 1630 introducta eſt, Pictavienſis, an Petavionenſis, ſeu Pitabionenſis in Pannonia, dici debeat. Appendicis loco adjecit nonnulla *de quinque Victorinis*, nimirum de *Victorino, Praxeanæ* hæreſeos defenſore, Petavienſi, Afro, Maſſilienſi, ac denique *Victorino Lampadio*, Oratore. At vero Maſſilienſis Rhetor non eſt *Victorinus* nominandus, ſed *Claudius Marius Victor*; ut ex *Riveti*, Benedictini, Specimine Hiſtoriæ Literariæ Galliarum, in decimo Volumine Bibliothecæ Gallicæ *p. 199* edito, præclare monet Cl. Editor in ampla, quam præmiſit, Præfatione.

Pag. 27. Duplex hinc ſequitur Diſſertatio *de Autore vitæ S. Maurilii, Andegavenſis Epiſcopi*, e MSto Andegavenſi erutæ, & *de S. Renati Hiſtoria. Gregorio* vitam *Maurilii* haud eſſe aſſignandam, multis idoneis rationibus firmavit *Launojus*, in quibus altera, ſexta & octava, præ ceteris alicujus numeri ſunt. *Renatum Andegavenſem* uſquam exſtitiſſe, aperte negare non auſus eſt, ſed rationes tamen ejusmodi attulit, ut nemo non videat, hunc pro fictitio ab eo habitum. Subjicitur *Apologia* pro *Neſingo*, primo hujus nominis Andegavenſi Antiſtite. Ac denique Judicium *de Hadriani Valeſii* Diſceptatione, quæ de *Baſilicis* inſcribitur, hanc finit *Partem*.

In *ſecunda* hujus ipſius Tomi *Parte* cum nimis multæ recenſeantur controverſiæ a *Launojo* diſceptatæ, has quidem ex iis ſingulares daturi ſumus. Exſtat hic ejus *Diſſertatio de Recta Nicæni Canonis VI, prout a Rufino explicatur, intelligentia*. Scilicet ſextus Nicænæ I Synodi Canon a multis

tis jam inde annis magnas inter cœleſtes animos lites movit. *Rufinus* eum explicuit, isque *Lib. X* Hiſtoriæ *Cap. VI* ita ſe habuit: *Ut apud Alexandriam & in orbe Romæ vetuſta conſuetudo ſervetur, ut vel ille Ægypti, vel hic ſuburbicariarum Eccleſiarum ſolicitudinem gerat.* Condendi Canonis *Meletius*, Lycopolitanus Epiſcopus, præbuit occaſionem. Erat olim Alexandriæ receptum, ut civitatis Antiſtes per Ægyptum, Lybiam & Pentapolin, Epiſcopos, Presbyteros, ac Miniſtros alios, inſtitueret, aut certe inſtituendos permitteret. Hunc autem morem pervertit *Meletius*, & in ſingulis Provinciis ac regionibus Epiſcopos & alios Miniſtros, invito & recuſante *Petro*, Alexandrino Præſule, auſus eſt ordinare. Schiſma hoc *Meletianum* Synodus deletura Nicæna eum ſanxit Canonem, qui, ſi rem bene putes, nihil eſt aliud, niſi exceptio Canonis quarti & quinti, in quo Metropolitarum jura ſuis finibus circumſcribuntur; unaquæque Provincia ſuum habere Metropolitam, quisque autem Metropolita unam tantum Provinciam ſortiri debet. Sextus igitur Nicænus Canon docet, hanc communem regulam ad illuſtriores tres Metropolitas, Romanum, Alexandrinum & Antiochenum, haudquaquam pertinere. Atque hanc etiam opinionem tuetur *Launojus.* Alexandrinum inprimis atque Romanum Pontificem Nicæna Synodus I inter ſe componit. Romanus Epiſcopus Metropolitæ jura in Eccleſias exercebat ſuburbicarias, quæ a regionibus ſuburbicariis, intra quarum fines Eccleſiæ ditioni ejus ſubjectæ continebantur, ducebant nomen. Ex his igitur Provincia efflorеſcebat Romana, quæ Metropolitam unum, Romanum Antiſtitem, agnoſcebat. In ea ſolus Epiſcopos aliosque Miniſtros ordinabat, aut ordinari permittebat. Extra Romanam vero Provinciam civitates quædam, ut Theſſalonica & Salona, ita Romano Epiſcopo ſubjiciebantur, ut vel Præfecturam in iis haberet vicariam, vel Epiſcopos crearet. Quod ad Alexandrinum attinet Antiſtitem, is per Ægyptum, Lybiam, Pentapolin, Epiſcopos & alios Miniſtros ordinabat, aut ordinandos curabat. Extra has Provincias, nonnullæ quoque civitates erant, in quibus Alexandrinus Epiſcopus Metro-

politæ obibat munia; at intra Romanam Provinciam Metropolitæ Romani continebantur jura. Deinde Alexandrinus Metropolitanos ſibi ſubjectos habuit, ſed nomine tantum, quia, inconſulto Alexandrino Præſule, Epiſcopos conſecrare haud poterant, & Alexandrinus Antiſtes, inconſultis Metropolitanis, Epiſcopos, &, inconſultis Epiſcopis, Presbyteros ac Diaconos conſecrare & inſtituere potuit. Romanus autem nullos habuit Metropolitas, quibus inconſultis, Epiſcopos in ſua Provincia inſtitueret, ſed plures habuit Epiſcopos, quibus inconſultis, Presbyteros ac Diaconos creare poterat.

Perſpicuum eſt, conſtatque inter omnes, *Auguſtinum* de *Concilio Plenario* ſæpiſſime locutum, in quo collatum ab hæreticis Baptiſmum probatum, ejusque repetitionem interdictam eſſe, contendit. Hoc igitur *Concilii Plenarii* nomine Arelatenſe, A. 314 habitum, deſignari, *Launojus*, *Sirmondo* duce, arbitratur, quorum & *Albaſpinæus* & *Petrus de Marca* adoptarunt opinionem, cui Diſſertationem ſuam *de vera notione Plenarii apud Auguſtinum Concilii in cauſa rebaptizantium* inſcripſit *Launojus*. Ab his etiam Editores Benedictini Operum *Auguſtini* ſuam haud ſejunxerunt ſententiam. Cum vero inter univerſalia Concilia Arelatenſe I non poſſit numerari, variis *Launojus* exemplis probat, univerſale ac *plenarium* dici poſſe eo, quod fere omnes Occidentis Epiſcopi ad illud conveniſſent. Jam vero nihil erat uſitatius, quam ut Africani Concilii univerſalis ac plenarii appellationem cuique tribuerent Concilio, quod Provinciali numeroſius erat. Ubi tamen cum cura penſandum erit, id quod Clariſſimus oſtendit Editor, nec Arelatenſe nec Nicænum Concilium eam definiiſſe controverſiam de recipiendo omnium Baptiſmo hæreticorum, qui Trinitatem invocant, & ſacro fonte utuntur. In Nicænam vero Synodum I nomen illud *plenarii Concilii* commodiſſime quadrare, vero eſt ſimile. *Joannes Nicolajus* in hanc *Launojanam* debacchatus eſt Diſſertationem, Nicænæ Synodi cauſam acturus. Sed ejus furorem ac petulantiam *Launojus* nova ea de re conſcripta coercuit Diſſertatione. In has duas, quas in gratiam Arelatenſis Concilii edidit ille, ſcriptiones

Præf. pag. 35 ſeq.

nes

Digitized by Google

nes *Jo. David Occitanus* Obſervationes haud ſane ſpernendas luci expoſuit publicæ. Sed *Launojus* nil intentatum reliquit, quo eidem ſatis faceret. In Diſſ. *de Autore vero Profeſſionis Fidei* probat, eam *Hieronymo* & *Auguſtino* perperam tribui, & uni vindicat *Pelagio*. Antiqua fabula eſt, *Brunonem*, Carthuſiani Ordinis conditorem, voce cujusdam Canonici & Doctoris Pariſini mortui & in feretro decumbentis perterrefactum, in ſolitudinem abiiſſe. *Launojus* hanc decimo quinto Seculo natam fabulam, & a *Gerſone* confictam, judicavit. Sed majorem veri ſpeciem ea, quam Cl. Editor aperit, fabulæ habet origo. Hanc ortam Coloniæ, conjectura ducitur. Namque A. 1070 ſanctus Anno, Colonienſis Epiſcopus, accepto ab *Alexandro II Cæſarii*, Martyris, brachio, Colonienſibus narravit, *Andream* quendam Romæ jam mortuum, & in feretro jacentem, exclamaſſe, ſe debere piæ erga *Cæſarium* venerationi, quod pœnas alternas effugiſſet. At vero A. 1084 Carthuſianus Ordo cepit initium. Itaque probabile eſt, portentum iſtud Coloniæ vulgatum, poſtea novis coloribus exornatum, ita, ut, quod Romæ geſtum erat, Pariſiis accidiſſe fama tulerit, quo *Brunoni* in ſolitudinem ſecedenti miraculi rumor accederet. Pag. 40.

Adſunt porro *de Simonis Stochii viſo, de Sabbathinæ Bullæ privilegio*, & *de Scapularis Carmelitani Sodalitate*, quinque Diſſertationes. Fingitur nempe, virginem *Mariam*, præ manibus Carmelitarum veſtem geſtantem, *obtuliſſe ſe Simoni Stochio, eique dixiſſe, hoc erit tibi & cunctis Carmelitis privilegium. In hoc moriens, non patietur incendium.* Hanc narratiunculam, una cum ipſa celeberrima *Bulla Sabbathina*, ab *Joanne* XXII conceſſa, inter fabulas retulit *Launojus*. Verum *Scapularis Carmelitani* ſodalitatem cautius deſcribit, atque haud ſegniter exponit, quid *Clementis VII* Diploma quoddam, ac *Pauli V* Decretum, præſcribant. Diſſertationem illam, A. 1675 editam, in qua eximia *antiquitatis ſacræ* & *ſacrorum Canonum* elucet peritia, *electa* item *Romanorum Pontificum quinquaginta duo Decreta, quibus, in divini juris & Synodi Chalcedonenſis Obſervationem, Simoniam confinxerunt*, magni ſemper Viri fecerunt eruditi. Inſertus eſt Tractatus lectu perquam

quam utilis *de Cura Eccleſiæ pro miſeris & pauperibus*, Pariſiis 1663 in lucem editus. Oſtendit *Launojus*, antiquam fuiſſe celebrem illam bonorum Eccleſiaſticorum diviſionem, quarum una Epiſcopo, altera Presbyteris & Clericis reliquis, tertia pauperibus, quarta denique inſtaurandis reſerendisque Baſilicis, tribuitur. Diſſertationi *de vetere ciborum delectu in jejuniis Chriſtianorum*, hiſtoria quædam cauſam dedit. A. 1649, intercluſis Sequanæ, Matronæ atque Oeſiæ, portubus, accidit, ut initio quadrageſimæ, rerum celebrando jejunio neceſſariarum penuria creverit. Ob eam cauſam Pariſinus Epiſcopus Lutetiæ A. 1649 d. 18 Febr. Diploma confecit, quo certis quibusdam diebus carnium uſum conceſſit. Cum autem non declararet, ſe jejunii lege eos ſolvere, qui carnibus uterentur, quæſtio inter multos coorta eſt, utrum, ex quo in locum quadrageſimalium ciborum carnem ſubſtituit, jejunii lege ſolvantur carne ſobrie uſi. Hos jejunii lege teneri, *Launojus* cenſuit. Ad finem hujus ſcriptionis duo expendit, *quæ* nimirum *olim fuerit in omnibus Eccleſiis Judæos & infideles ſacro ritu abluendi diſciplina*, Si quis ea ponderet, quæ *Chilperici*, *Ziſebuti*, Hiſpaniarum Regis, & *Caroli M.* ætate geſta ſunt, patet inde, invitos ſacro fonte tinctos eſſe. Ultimo denique loco *de Eccleſiæ traditione circa ſolenniores Baptiſmi dies* exponit *Launojus*. Varias hujus moris aſſignat epochas. Baptiſmus tum Romæ, tum in Galliis, ſacris tantum Paſchæ & Pentecoſtes diebus, adminiſtratus eſt publice ſolenniterque. In Africa vero etiam Epiphaniorum die ſuſceptus eſt, in Oriente apud Germanos; Natali Domini die apud Hibernos & Hiſpanos; in Galliis etiam die Joanni Baptiſtæ ſacro. Has omnes Diſſertationes refutandas ſuſcepit *Nicolajus*, ſed, ſi ab iis diſceſſeris, quæ de Baptiſmo Judæis & infidelibus invitis non dando commentatus eſt, nihil fere, quod alicujus ſit momenti, in medium protulit.

RADULPHI CUDWORTHI, THEOL. D. & in Academia Cantabrigienſi Profeſſoris, Syſtema Intellectuale hujus Univerſi, ſeu de Veris naturæ rerum

rum Originibus Commentarii, quibus omnis eorum Philoſophia, qui Deum eſſe negant, funditus evertitur. Accedunt reliqua ejus Opuſcula. JO. LAURENTIUS MOSHEMIUS, Theol. D. Sereniſſ. Ducis Brunſu. a Conſiliis rerum Sanctiorum, Abbas Cœnobiorum Vallis S. Mariæ & Lapidis S. Michaelis, reliqua, omnia ex Anglico Latine vertit, recenſuit, variisque Obſervationibus & Diſſertationibus illuſtravit & auxit.

Tomi II.

Jenæ, ſumtu Viduæ Meyeri, 1733, fol.
T. I Alph. 13 pl. 19, T. II Alph. 7.

Quem ſua lingua veſtitum, ſimul ut editus eſt, mirifice adamarunt Britanni, quem aliæ cultioris Europæ gentes certatim ſuſpexerunt & veneratæ ſunt, quem denique omnes, quotquot eruditam ornant civitatem, ſermonis Anglici minus periti, latine vertendum tot ferventibus votis exoptarunt, *Cudworthum*, eum nuper illo indutum habitu in lucem prodire juſſit Ven. *Moshemius*, Theologus longe celeberrimus, cui ob excellentioris doctrinæ apparatum, acrem judicandi vim, indefeſſamque induſtriam, antefertur hodie nemo, pauci pares putantur. Dignus omnino erat *Cudworthus* tanto interprete; dignus vero & hic tam eximio Viro, quem interpretaretur. Nos jam, partibus noſtris rite functuri, in eo elaborabimus, ut &, quæ ad ipſum *Cudworthi* Volumen pertinent, & quæ de Latina verſione atque acceſſionibus dici merentur, commemoremus, quo ex ingenua recenſione noſtra, qui judicio arte limato valent, cum fiducia perſpicere queant, qualenam huic Operi pretium ſtatuendum eſſe videatur. Ætas *Cudworthi*, qui ſuperiori Seculo de Academia Cantabrigienſi & univerſa Eccleſia Britannica præclare inſigniterque promeritus eſt, in ea incidit tempora, quibus *Thomas Hobbeſius*, homo acutus, at ſubdolus, vafer, & erga Deum resque divinas impius ac profanus, arcem religionis

Q per

per cuniculos movere & ſubruere connitebatur. Magnam ſibi hic homo exiſtimationem apud aulicos & rerum non nimis gnaros loquacitate ſua ingeniique ſubtilitate collegerat. *Cudworthus* igitur id ſibi potiſſimum credebat eſſe datum, ut pernicioſum hunc & capitalem pietatis omnis hoſtem omnibus nudaret præſidiis, atque de fama iſta dejiceret & deturbaret. Multos tum *Hobbeſius* expertus eſt adverſarios, eosque egregios & ingenioſos, in quibus *Jo. Bramhallus* præ ceteris commemorandus eſt: ſed doctiorem num habuerit, qui & eruditionis copia, & ratiocinationum robore hominis coercere valuerit petulantiam, meritô dubitatur. Fato & neceſſitati inter Britannos omnia iſta ætate tribuebat *Hobbeſius*. Ad hujus igitur hominis, & eorum, qui ab eo ſunt, & una cum religione Deum eſſe ſublatum volunt, perfidiam debellandam & enervandam, hoc Opus exaravit *Cudworthus*, & *Syſtema Intellectuale hujus univerſi*, vocabulis ex ſchola, quam magni fecit, *Platonica* ſumtis, inſcripſit. Abſolvitur iſtud *quinque Capitibus*, magna do-
Pag. 1 ſeq. ctrinæ copia elaboratis. In *primo* de illo Philoſophiæ genere diſputatur, quod corpuſculis individuis utitur; ex quo qui fataliter omnia, quæ fiunt, definita eſſe volunt, & neceſſitatem rerum omnium ex ipſa materiæ conſtitutione eliciunt, athei
68 ſeq. homines opinionis ſuæ præſidia petunt. In *ſecundo* cuncta, quæ ex Philoſophia petere ſolent athei ad confirmandam & ſtabiliendam impietatem ſuam, præſidia & argumenta expli-
96 ſeq. cantur. In *tertio* exhibetur introductio ad confutationem argumentorum, quibus pugnare ſolent, qui Deum eſſe negant: in qua variæ Atheiſmi formæ ac ſpecies ſigillatim enarrantur, atque de natura genitrice diſputatio inſtituitur.
197 ſeq. *Caput quartum* notionem Dei declarat, atque multis docet, eos, qui hanc notionem Dei, quatenus unitatem etiam Dei continet, propterea natura omnibus innatam eſſe negant, quoniam tot olim populi plures Deos coluerunt, vehementer falli. Hinc ſapientes olim omnes unum ſummum Deum profeſſos eſſe, oſtenditur ibidem, veterumque populorum religio & Deorum cultus uberius explicatur, quo Chriſtianæ religionis natura tanto poſtea melius declarari queat. *Caput* denique

Digitized by Google

que *quintum*, idemque ultimum, & in quinque *Sectiones* diſtinctum, confutationem exhibet ampliſſimam Philoſophiæ eorum, qui Deum eſſe negant. Elucet in hoc Opere immenſa tam antiquitatum Hebræarum, quam Græcarum, linguarum eruditarum, Hiſtoriæ veterum Philoſophorum & Chriſtianorum, aliarumque rerum, hiſce cognatarum, ſcientia. *Cudworthus* interiorem Philoſophiæ, artium Mathematicarum, Metaphyſices, & artis ratiocinandi, peritiam, quam ſibi comparaverat, ad cauſam religionis agendam excellenter convertit, & nodos ab impiis hominibus objectos ſolerter ingenioſeque explicavit. In Philoſophia partes eorum conſectabatur, qui *mechanici* atque *corpuſculares* vocantur, quorum opes variis modis auxit & confirmavit. De Deo vero, de mentibus, de geniis, de primis rerum notionibus & exemplis, de omnis denique humanæ ſapientiæ initiis, *Platonis*, atque eorum, qui recentiori ab eo erant ætate, philoſophabatur more. His ita deditus addictusque erat, ut eorum non ſolum in opiniones, ſed & ipſa verba, juraſſe videatur. Id vero ſeculi, quo in Britannia erudita vixit, unice attribuendum vitio erat. Ejus enim ætate, qui in Academia Cantabrigienſi *Hobbeſii* ſententiis omni ingenii viriumque contentione ſeſe objiciebant, omnes *Platonis* accenſi erant amore, ipſiusque Philoſophia nihil iis carius ſanctiusque erat. Ex libris ſcriptisque *Cudworthi* difficulter probabit *Thomas Burnetus*, ipſum in Theologia partes eorum juviſſe, qui *Latitudinarii* appellantur, & quorum princeps facile eſt *Guilielmus Chillingworthus*. Is enim, placere ſibi communem & receptam doctrinam, ſemel, iterum, ac ſæpius fatetur, atque etiam profitetur, & præ ſe fert. Vulgaris Reformatorum dogmatis de abſolutis Dei decretis odium tanto altius in animum ejus ſeſe inſinuaverat, quod *Hobbeſium*, cujus fundere copias moliebatur, videret eo ad nefarias ſuas & omni pietati ac religioni noxias doctrinas valde abuti. Duæ inprimis partes hujus Operis criminationibus & variis litibus atque controverſiis occaſionem dederunt. Altera eſt *de natura genitrice* Diſſertatio. Cum *Petrus Baylius* aptam hanc magis ad Atheorum cauſam

Pag. 737. 1206.

ſam juvandam & fulciendam, quam debilitandam & convellendam, nil dubitaret affirmare; *Jo. Clericus* ei ſemel & iterum occurrendum eſſe ratus eſt. Altera *de Trinitate Chriſtiana & Platonica Digreſſio*, quo ſanctior & excelſior eſt, eo plus Viro invidiæ paſſim creavit. *Sociniani*, & *Sabelliani* recentiores, quin illi etiam inprimis, qui *ſubordinationem*, quam vocant, in divina Trinitate tuentur, ex *Cudworthianis* opibus nuditatem ſuam tegere laborarunt. His autem ſatisfecit *Thomas Wiſe*, Anglus; cujus quidem laudandum conſilium, quod caſte, nec invitis ſacris literis, de tribus in Deo perſonis & ſenſiſſe & docuiſſe *Cudworthum*, copioſe disputavit: at hoc tamen lectoribus haud plane ſtupidis & inertibus apparebit, propendiſſe ipſum in partes eorum, qui gradu tres in divina natura perſonas ſejungunt. Ut adeo eadem ipſi ſententia fuerit de Trinitate, quæ noſtra memoria *Samueli* fuit *Clarckio*, inclyto magnæ Britanniæ Theologo & Mathematico. Induxit, id quod evidens eſt, in hunc errorem magnum hominem nimius *Platonici* dogmatis amor. Hæc brevis, at illuſtris, commemoratio ſufficiet haud dubie, ut, qui eruditione plane ſingulari & incomparabili confertum *Cudworthi* Syſtema nondum norunt, ſanum hinc ferre judicium valeant. Iſto autem labore tanto libentius defuncti ſumus, quanto nos certiores exploratio reddidit, nullum adhuc locum *Cudwortho* in *Actis* hiſce noſtris aſſignatum eſſe.

Jam de Latina Verſione, Emendationibus & Acceſſionibus, quas Venerandi ac Celeberrimi *Moſhemii* curæ atque induſtriæ orbis debet eruditus, quantum ſatis eſt, & omni, qua docet, accuratione dicemus. Exploratum habebat Interpres magnus, per univerſum orbem literatum famam nominis *Cudworthiani* vagatam. *Abrahamus Hinckelmannus, Jo. Alb. Fabricius, Jo. Clericus*, meritis eum laudibus jam diu ornaverant. Quærebant Galli & Germani hominem, qui aut Gallice, aut Latine, verteret Opus. Sed vota diu, quo caderent, non habebant. *Jo. Clericus* vero, cum plane aliquam ejus verſionem in deſperatis haberet, luculentiſſima idcirco & ampliſſima ex eo excerpta Gallico ſermone cum literatis communi-

municare operæ ſibi pretium facturus videbatur. Hoc autem indice cupiditatem magis curioſorum incenderat hominum. Inter Gallos *Franciſcus Bourdelinus*, Academiæ Regiæ Inſcriptionum & elegantiorum literarum Socius, Gallica civitate voluit *Cudworthum* donare. Sed fata virum in medio laboris curſu oppreſſerunt. Ex Germanis *Henricus Ittershagenius*, Scholæ Tennſtadienſis Collega olim quartus, *Cudworthi* librum latine vertendi cepit conſilium: ſed rebus mortalium mature idem exemtus, deſtinata perficere non potuit. Verum flagitavit *Cudworthi* Syſtema interpretem, qui cum eo de copioſa, eaque excellentiori, doctrina certaret. Atque hunc ſane nactum eſt in *Moshemio*. Is omnes, quæ & orationi *Cudworthi*, & rebus ab eo declaratis, adhærent, difficultates feliciter ſuperavit, &, quo literatæ civitati verſionem vere Latinam, hoc eſt, puram, elegantem, perſpicuam, & *Ciceronis, Lucretii, Senecæ, Quintiliani*, quos conſuluit & in auxilium vocavit, dictioni omni ex parte conformem, exhiberet, nil intentatum reliquit. Innumera veterum ſcriptorum, Græcorum & Latinorum, loca ad teſtimonium dicendum citavit *Cudworthus*, libro, capite, pagina, ſilentio prætermiſſis. Hæc exhibuit Venerabilis Interpres in ſubjectis multo ſæpius ampliſſimis annotationibus, loca deſignavit, quin verſiones etiam *Ficini, Serrarii, Beſſarionis, Pacii*, & aliorum, Latinas male compoſitas correxit. Vidit etiam ſagaciſſimus Vir, in multos identidem errores incidiſſe *Cudworthum*, multa item parcius, quam rei gravitas deſideraret, delibaſſe, quædam etiam ex ætatis ſuæ opinionibus, poſterorum poſtea perſpicacitate emendatis, diſſeruiſſe. Quo igitur caveret *Moshemius*, ne magni hominis autoritate laberentur alii, Annotationes uberiores & Diſſertationes adjecit elaboratiſſimas. Huc pertinet ea, in qua ſolvitur hæc quæſtio, num Philoſophorum a vera religione averſorum aliquis mundum a Deo ex nihilo creatum eſſe docuerit? Eodem loco habenda ejusdem de turbata per recentiores *Platonicos* Eccleſia Commentatio, multo, quam antea eſt edita, locupletior & emendatior, quæ inter adjecta minora *Cudworthi* Opuſcula invenitur. Horum nunc dabimus

Pag. 957 ſeq.

mus inſcriptiones. Unum eſt, de æterna & immutabili rei moralis, ſeu juſti & honeſti, natura liber. Alterum, de vera notione cœnæ Domini liber ſingularis. Tertium, de Conjunctione Chriſti Eccleſiæ in typo. Hæc omnia Latine vertit, Notisque ac Præfationibus auxit *Moshemius*, cui & *Joannis Clerici* ad *Cudworthianam* contra eos, qui negant, ex nihilo ulla ratione fieri poſſe aliquid, Sectionem Obſervationes eruditas inſerere viſum fuit. Ut adeo, incredibili *Moshemii* labore effectum ſit, ut antiquæ Philoſophiæ, quam recentiores etiam conſectati ſunt ſapientes, Theologiæ item, Hiſtoriæque tam Philoſophicæ, quam Eccleſiaſticæ, locupletiſſimum in hoc *Syſtemate* theſaurum civitas & erudita & Chriſtiana poſſideat, quod nunc *Cudworthiano-Moshemianum* jure meritoque dicendum. Plus etenim in hoc Opere laboris Venerabilis exhauſit Abbas, quam multis videbitur, atque ipſe initio cogitarat. Dimidia pars ejus eſt, longæque Diſſertationes interjectæ apparent de religione Perſarum, Ægyptiorum, de origine mali ex *Platonis* mente, de *Pythagoræ* ſymbolis, & materiariis antiquis, & aliis rebus ejusdem generis: in quibus haud ſane pauca, quæ præterita ſunt ab aliis, dixit, jamque ſeſe non tantum *Theologum*, ſed *Philoſophum* quoque *eximium*, eſſe, literato declaravit orbi. Legi meretur præmiſſa ab ipſo eruditiſſima Præfatio, in qua de vita, fatis, libris, meritisque *Cudworthi*, nec non de ſuis moleſtiſſimis conatibus, large effuſeque prælocutus eſt. Ex his vero perſpicuum eſt, duplicis generis acceſſiones eſſe illas, quæ ex *Moshemii* manarunt calamo. Emendavit & correxit, quæ *Cudworthus* deliquit. Nemo eruditorum, qui Britanniam, ſigillatim Academiam Cantabrigienſem, hodie illuſtrant, hoc indigne feret ſtudium, non ſine inſigni humanitate atque modeſtia ubivis peractum. Tum vero etiam varia ipſe argumenta ex diverſis humanæ eruditionis partibus omni virtute & copia explicavit & declaravit. Horum nullum ejusmodi eſt, ut inſigni careat utilitate. Docti cujuscunque generis homines quamplurima hic, ſiquidem acumine valent, quæ in uſus convertant ſuos, venabuntur. Nihil in his *Cudworthianis* ac *Moshemia-*

Pag. 952 ſeq.

hemianis cogitationibus ac divinationibus uſquam legitur, quin ſeveriorem rerum ſub ſenſum haud cadentium adjuvet meditationem. Quod & *Cudworthus* & *Mosbemius* minoribus interdum ambagibus cogitata ſua patefacere potuerant, id quidem vacat dubio. Neuter autem rerum, quas pertractat, dignitati conſulturus brevior eſſe potuit. Ampliores *Mosbemii* Obſervationes non in levioris momenti rebus, aut inanibus plane quæſtiunculis enodandis verſantur, verum & ſibi, & haud vulgaribus, de quibus agit, rebus ſatisfacturus ille, currenti ſtilo modum non valuit ponere, & ingenii fœcundiſſimi impetum cohibere. Neque ab eo, quod hodie ornat, munere Theologico hic ſejunctus erat labor, ex quo fructum capiunt literæ tam ſanctiores, quam profanæ. Quid? quod is etiam, qui in profanas inde literas redundat, ſanctiora contingit ſtudia magna affinitate. Rerum, quæ hic proferuntur, eruditarum notitia nemo accuratior Theologus his noſtris carebit temporibus, quibus omnis generis ornamentis inſtructi prodeunt Dei & religionis hoſtes. Hujus igitur cauſam excellenter acturi Theologi, haud vulgaribus præſidiis circumvallati eſſe debent. Sicut autem non ſine ſingulari fructu *Mosbemianæ* leguntur copiæ: ita & ſuavitate & cultu orationis, rerumque varietate, temperatæ & conditæ ſunt eædem. Nullum eſt dubium, quin, ſi res, niſi a neceſſitate & pondere juſſus, augere in lucris excellentiſſimus poſuiſſet Interpres, innumerabilia potuiſſet adjicere. Cenſet poſt *Petrum Gaſſendum* Vir magnus, quem interpretatus eſt, omnes, quotquot inter Philoſophos Orientales, Græcos & Latinos, ſi a paucis quibusdam diſceſſeris, aliquam nominis famam ſibi pepererint, Philoſophiæ illi, quam *corpuſcularem* nominant, addictos fuiſſe, eamque diu ante *Democritum* viguiſſe. Non pauci meritiſſimi Viri eandem receperunt & probarunt ſententiam. At non levis hoc in negotio exoritur difficultas. Veteres tantum non omnes a *Leucippo* & *Democrito* hujus origines Philoſophiæ ducunt: at viciſſim alii ſine negotio citari poſſunt teſtes, iique minime dubii, quorum firmat autoritas, ante hos dudum fuiſſe alios, qui, corpuſculis in auxilium

voca-

vocatis, rerum naturalium cauſas & rationes reddere conati ſint. Hæc disjuncta erudite quidem & ſagaciter in concordiam redegit *Cudworthus.* Sed veriſimilius eſt, eos, qui ante *Leucippum* & *Democritum* rerum naturam in corpuſcula individua partiti ſunt, hiſce atomis qualitates addidiſſe, *Democritum* vero & *Leucippum* principes omnibus qualitatibus iſta nudaſſe corpuſcula, propterea que atomorum primos autores fuiſſe vocatos. Deinde naturarum quoque *plaſticarum* ſeu *genitricium* hiſtoriam contexere ad noſtra uſque tempora pertinentem potuiſſet, quæ ad lites, inter acutiſſimos Viros, *Jo. Clericum* & *Petrum Baylium* acerbe agitatas, & e nobis ſupra memoratis, dirimendas, multum attuliſſet momenti. Nec minor ſe ei de celeberrimis veterum carminibus, quæ *Theogonia* dicuntur, exponendi campus aperuit, in quo copioſiſſimum ejus ingenium excurrere valuiſſet. Graviora reſtabant argumenta, in quibus cum cura quadam & ſolertia ei verſari licuiſſet. *Cudworthus* tria *Platonicorum* principia, &, quousque Chriſtianorum de tribus in Deo perſonis dogmati aut faveant, aut adverſentur, explanavit. Multis ejus placuit opinio: in alia vero omnia permulta abierunt magna in civitate Chriſtiana nomina. Hoc quidem extra litem poſitum eſt, atque cum ex ipſo *Platone*, tum ex recentioribus ejusdem ſectatoribus, enucleate ac diſtincte poteſt demonſtrari, ignaros ſtili *Platonici* celeberrimos homines multa hic ex ingenio ſuo confinxiſſe, maximoque diſcrimine tria *Platonicorum* principia, tresque Chriſtianorum in Deo perſonas, disjungi. Non ſane tres ὑποστάσεις, ſed tres animi ſui notiones, trium principiorum deſignabant appellatione. Ipſi poſteriores *Platonicæ* diſciplinæ receſſus hoc docent, idemque & mos diſputandi & inſolita hujus familiæ corroborat oratio. Peropportuna hic in veram *Nicænorum Patrum* de Trinitate divina ſententiam inquirendi occaſio ſe offerebat. Sunt, qui horum doctorum in ſummam pæne invidiam de Deo adduxerunt opinionem. Hos nimirum exiſtimant non tam tres in uno Deo perſonas, quam tres divinas naturas ſub unum genus ſubjectas, aut tres potius Deos inter ſe æquales, introduxiſſe. Iis, qui ſic

ſic ſentiunt, & ingenio & eruditione præſtantibus Viris, *Dion. Petavius*, *Stephanus Curcellæus*, atque hic noſter inprimis *Cudworthus*, ſe præbuere duces. Sed doctrina quarti & quinti Seculi conſulenda, Philoſophia tum temporis recepta exploranda, ipſi *Patrum* libri accurate legendi, & non quædam tantummodo loca, ſed omnia eorum dicta, quibus cum hoc, tum alia dogmata, explicant, inter ſe diligenter ſtudioſeque conferenda ſunt. Non etenim eo antiqui illi doctores vacant errore, ut ſanas non ubivis dicendi formas adhibeant. Cum in *Arianos* & *Sabellianos* prodeunt armati, paſſim de tribus divinis perſonis ita loquuntur, ut tres ab illis Deos æquales & pares induci credas; iidem, cum adverſus Deorum cultores & alios pugnant, non ſecus ſæpenumero ſe gerunt, ac ſi omnem in divina natura diſtinctionem e medio tollerent, & Chriſtum, Servatorem noſtrum, infra Deum omnium parentem & conditorem locarent. Commune hoc eſt priſcorum hominum vitium, ut iis ſæpiſſime loquendi modis animi ſui ſenſa declarent, quæ vix ſanum admittere ſenſum videntur. Itaque non ante, quam tota eorum cum Philoſophia, tum Theologia accurate inſpecta, decernendum, quamnam illis tribuere doctrinam oporteat. *Patres* tunc *Nicænos* ita deformes haud eſſe, ut recentioribus quibusdam eruditis, nil, niſi quod magni Viri judicant, ratum habentibus, videatur, ii demum optime cognoſcent, qui ſuo dicta ratione officio facient ſatis. Perſpicient hi, rebus omnibus diligenter circumſpectis, veterumque locis cum cura expenſis ponderatisque, *Nicænis Patribus* idem, quod *Auguſtino*, accidiſſe, qui, cum contra *Manichæos* diſputat, ita negligens ſui eſt, ut *Pelagianus* Lectoribus minus cautis videri queat: quoties contra cum *Manichæis* certamen adiit, tam parum in uſu verborum ſuis proſpicit & conſulit rationibus, ut a *Manichæis* propius abeſſe videatur. Hæc ſi, qua virtute & copia fieri debet, perſecutus Venerandus eſſet *Moſhemius*, inſigni omnino beneficio eruditam ſibi devinxiſſet civitatem. Quocirca publico eum nomine imploramus, ut hæc & alia, quæ in Præfatione deſignavit ipſe, argumenta alio tempore, plus otii nactus, elaboret, nec, quæ meditatus eſt de

R illis

illis & obſervavit, terræ ſecum mandari patiatur. Sunt enim hæ res ejusmodi, ut plurimum hinc emolumenti res ſacra & literaria captura ſit. Hoc eidem conſilio cumulatiores & robuſtiores animi corporisque vires, ac diuturnam lucis uſuram, precamur.

Quod reliquum eſt, nitidiſſime deſcriptus fuit liber, & omni cura proviſum, ne operarum incuria deformaretur & ſuis ornamentis ſpoliaretur. Verum, ut vel levior aliqua macula, pulcherrimo corpori adſperſa, facilius incurrit in oculos, quam in deformi corpore craſſiora vitia, ita in hac etiam elegantiſſima Operis vaſtiſſimi forma errores nonnulli, quos diligentia eorum, qui emendationi ejus præfuerunt, non potuit impedire, curioſis & ſagacibus oculis ſine negotio patebunt. Sed his iisdem nihil quoque facilius erit, quam ut eos, ſi qui etiam alicujus momenti eſſe videantur, emendent, & vel hac re, quantum ſtudioſi æquitatis ſint, teſtentur. Laudem interim meretur eximiam *Jo. Fridericus Wucbererus*, S.S. Theol. & Phyſices Profeſſor in Academia Jenenſi longe celeberrimus, quod literis vocabulisque, quibus conſtat Volumen, inſigne præſtitit officium, &, cunctis, antequam formis exprimerentur, cum cura exploratis, nihil eorum temere præterire paſſus eſt, quæ limæ nonnihil deſiderare ipſi viſa ſunt. Librum, id quod poſtremo loco monendum, finiunt contexti Autorum & rerum Indices.

ΔΗΜΟΣΘΕΝΟΥΣ ΛΟΓΟΙ ΕΚΛΕΚΤΟΙ,

h. e.

DEMOSTHENIS SELECTÆ ORATIONES.

Ad Codices MStos recenſuit, textum, Scholiaſten & Verſionem plurimis in locis caſtigavit, Notis inſuper illuſtravit, RICARDUS MOUNTENEY, Coll. Regal. apud Cantabrigienſis. Socius.

Cantabrigiæ, typis Academicis, 1731, 8.
Plag. 18.

Juven-

Juventuti cum *Demoſthenis*, Oratorum facile principis, Orationes quasdam in manus dare conſtituiſſet Cl. *Mounteney*, id ſibi inprimis negotium datum eſſe exiſtimavit, ut faciliorem adoleſcentibus viam brevioremque ſummi Oratoris elegantiam ac gravitatem cognoſcendi aperiret. Nam licet, *Hieronymus Wolſius* egregiam omnino in emendando, interpretando, atque illuſtrando *Demoſthene* operam olim collocaverit, deterret tamen pleroſque juvenes a lectione tanti Oratoris partim *Wolſiani* Voluminis moles, partim ejuſdem in bibliopolarum tabernis raritas. Cumque præterea editionem hanc, a *Wolſio* procuratam, non numeris omnibus abſolutam, ſed ſuis paſſim nævis laborantem deprehenderet Doctiſſ. Editor, huic malo remedium quoddam adhibendum eſſe cenſuit. Eidem quidem rei alii jam mederi ſtuduerunt, & *Demoſthenis* editiones breves & ſuccinctas concinnarunt. At, quoniam illæ brevitate ſua pæne nimia placent magis, quam proſunt, omni deſtitutæ interpretationum Commentariorumque luce perquam neceſſaria, aliam in edendo *Demoſthene* rationem iniit Cl. *Mounteney*, qua dulci etiam utile auſpicato admiſceatur. Quibus de cauſis quatuor tantum Orationes *Demoſthenis*, *Philippicam I*, & tres *Olynthiacas*, ex reliquis ſelectas omnibus, eruditæ juventuti exhibuit, ita quidem, ut nec mole ſua ſtudium legendi reſtinguerent, nec brevitate ſua legentibus negotium faceſſerent. Dedit autem ſedulo operam, ut textum Græcum, quoad fieri poſſet, quam emendatiſſimum ederet, cui ſingulis paginis Scholiaſten antiquum ſubjecit. Et, quanquam *Morellianam* editionem præcipue expreſſit, non tamen dubitavit nonnunquam ab ea recedere. Quam in rem adhibuit Codices MStos quorum unus fuit *Iſaaci Voſſii* olim, & nunc in Leydenſi Bibliotheca aſſervatur. Pag. 271; 281. Duos pariter ex Bibliotheca *Bodlejana*, alterum *Guilielmi Landi*, alterum *Baroccianum*, uſurpavit. Nec illas lectiones, quas tum *Pithæus* Codici ſuo, tum *Benenatus* editionis ſuæ margini ex novem MStis, a *Morellio* collatis adſcripſerat, penitus neglexit, ſed eaſdem hinc inde Annotationibus ſuis inſeruit. Poſt Orationes & Scholia Græce exſcripta locus eſt aſſignatus interpretationi Latinæ. Quam uti

R 2 reti-

retinendam duxit a *Wolſio* adornatam, utpote quæ ſatis fida imperitiorum uſibus commodiſſime omnium inſervire poſſet, ſic eandem plus vice ſimplici vel corrigendam ſibi ſumſit, vel
Pag. 230, illuſtrandam. His denique omnibus ſuccedunt Annotationes
235, 236. in has ipſas Orationes non *Wolfii* ſolum, ſed & *Tourrelli*, quas ex Gallicis fecit Latinas. Ipſe vero Cl. Editor utrisque ſuas Obſervationes partim addidit, partim oppoſuit, ubi id neceſſe viſum fuit. Nam non ſolum ab utroque Viro doctiſſimo nonnunquam in expoſitione diſcedit, ſed etiam ex *Meurſio*, *Sigonio*, aliis, ea adjecit, quæ ad antiquitates accuratius tenendas faciunt. In ipſis autem verbis tam *Demoſthenis* quam Scholiorum antiquorum licet multa autoritate, quos adhibuit, Codicum manu exaratorum a prioribus Editoribus minus accura-
256, 337. te exhibita emendaverit, ſuas tamen conjecturas ſatis habuit in Annotationibus referre, & lectorum judicio ſubjicere. Præeunte etiam eodem *Tourrello*, vulgarem Orationum ordinem ad rationes Chronologicas immutavit, ita, ut primum appareat *Philippica I*, deinde *Olynthiaca*, vulgo ſecunda, tum *Olynthiaca*, vulgo tertia, & denique *Olynthiaca*, vulgo prima. His vero omnibus acceſſerunt Obſervationes Criticæ in Commentarios vulgo *Ulpianeos*, quas cum Editore communicavit *Joannes Chapman*, Colleg. Reg. apud Cantabr. Socius. Duo ſibi inprimis Autor Eruditiſſimus in his Obſervationibus evincere propoſuit, quorum alterum eo redit, ut demonſtret, Commentarios in *Demoſthenem*, qui vulgo *Ulpiano* adſcribuntur, non eſſe *Ulpiani* Rhetoris, ſed multo recentioris ætatis. Alterum autem eo pertinet, ut oſtendat, vitam *Demoſthenis*, quæ *Plutarchi* nomen vulgo præ ſe fert, eundem habere Autorem, quem ipſi illi Commentarii in *Demoſthenis* Orationes. Interim, quamvis in Annotationibus, quæ acceſſerunt, Cl. *Mounteney* pauca ſint, ſi quidem ulla, tradita, quæ ad genium linguæ ex ipſis fontibus aſſerendum valent, multa tamen vel ex aliis repetita, vel ab ipſo Autore addita, in iisdem reperiuntur, quæ ſententiam *Demoſthenis* egregie illuſtrant, viamque adoleſcentibus facere poſſunt, ad ſenſus Oratoris plenius percipiendos.

SE-

Digitized by Google

SECTIONUM CONICARUM ELEMENTA, methodo facillima demonstrata, in usum Juventutis Academicæ, Autore L. TREVIGAR, A. M. Aulæ Clarensis Socio.

Cantabrigiæ, typis Academicis, apud N. Prevost & A. Vandenhoek, & apud J. Crownfield, Bibliopolas Londinenses, 1731, 4 maj.

Alph. 1 pl. 1, cum Tabb. æn. 12.

Quanta sit Sectionum Conicarum in Mathesi utilitas, abunde constat, ut adeo utile sit, prostare quoque Compendia, quibus ad eorum cognitionem absque ambagibus deducantur tyrones. Quamobrem, cum *Philippus de la Hire* Opus præclarum de Sectionibus Conicis edidisset, methodo veterum Geometrarum demonstratum; in usum juventutis Academicæ Compendium inde confecerat *Jacobus Milnes*. Etsi autem demonstrationes, ad methodum veterum compositæ, haud contemnendam afferant Mathematum cultoribus utilitatem; haud tamen negari potest, eas & majore tædio, & longiore temporis impendio addisci, quam si cum recentioribus calculo analytico utaris, quo propositionum subsidiariarum numerus ingens eliminatur, & ad faciliorem intelligentiam reducuntur, quæ alias, a tyronibus præsertim, difficulter intelliguntur. Quamobrem, cum *Hospitalius* in Opere analytico de Sectionibus Conicis methodum geneticam cum analytica conjunxerit, atque adeo doctrinam utilem plurimum facilitaverit; inde Noster excerpsit, quæ ad theoriam hanc faciunt. Ne tamen a tyronibus multo plus temporis in iis addiscendis impendendum sit, quam rei vel natura exigat, vel dignitas postulet; quæ obscurius & confusius ab *Hospitalio* proponuntur, ea meliori ordine Autor disposuit, ut in Geometria vel mediocriter doctus, & in Algebra vel parum versatus, prima & præcipua Sectionum Conicarum Elementa sine nimio sudore percipere possit. Librum sextum *Hospitalii* de Sectionibus Conicis in

 solido

ſolido conſideratis omiſit, quod non alia contineant, quam quæ in anterioribus jam alio modo fuerant demonſtrata. Cum vero deeſſent nonnulla in Opere *Hoſpitaliano*, quæ ad intelligendum Opus Principiorum *Newtoni* ſcitu neceſſaria ſunt; hunc defectum ex *Apollonio*, *Milnio*, aliisque, ſupplevit. Apposuit quoque nova quædam theoremata de circulari Sectionum Conicarum curvatura, quæ apud Scriptores Conicos nullibi leguntur, addiditque methodum latiſſimæ utilitatis, quemadmodum ex *Newtoni* Principiis conſtat, proprietates omnes parabolæ ex ſimilibus ellipſeos vel hyperbolæ proprietatibus derivandi.

M. FRIDERICI WILHELMI STÜBNER Demonſtratio veræ menſuræ virium moventium.

1) Agant vires V v per tempora D d, dum producunt effectus E e. 2) Vis eo eſt major, quo major effectus ab eadem intra idem tempus producitur. Seu: Effectus intra idem tempus præſtiti ſunt viribus producentibus proportionales. Si fuerit $D=d$, erit $V:v=E:e$. 3) Quo majus eſt tempus, per quod vis eadem vel æqualis operatur, eo majorem illa producit effectum. Seu: Effectus ab æqualibus viribus producti ſunt proportionales temporibus, in quibus producuntur. Si fuerit $V=v$, erit $D:d=E:e$. 4) Virium ratio componitur e directa ratione affectuum & inverſe temporum, per quæ agunt, dum effectus ſuos producunt. Seu: Eſt $V:v=Ed:eD$. Nam ſi vis V in tempore D præſtat effectum E *per num. 1*, præſtabit intra idem tempus vis v effectum $Ev:V$ *per num. 2*. Porro ſi vis v in tempore D præſtat effectum $Ev:V$ *ex demonſtratis*, eadem in tempore d præſtabit effectum $dEv:DV$ *per num. 3*. Eſt adeo $e=dEv:DV$ *per num. 1* & $eDV=dEv$: unde patet propoſitum. 5) Effectus virium V v corpora M m celeritatibus C c moventium ſunt motus in his corporibus a viribus iſtis excitati. Hinc, ſi motus ſeu lationes corporum horum dicantur

tur $L\ l$, erit $E : e = L : l$ *per num. 1.* 6) Motuum quantitates ſunt impetibus corporum motorum proportionales. Eſt adeo $L : l = CM : cm = E : e$ *per num. 5.* 7) Eo rapidius agit vis, quo minus tempus conſumit in producendo effectu. Seu: Rapiditates actionum a viribus exercitarum ſunt in ratione reciproca temporum, quæ actionibus impenduntur. Hinc ſi virium $V\ v$ rapiditates in agendo dicantur $R\ r$, erit $R : r = d : D$ *per num. 1.* 8) Quo rapidior celeriorque motus a vi producitur, eo rapidius agit vis movens. Seu: Celeritates motuum productorum ſunt proportionales rapiditatibus actionum a viribus producentibus exercitarum. Hoc eſt: $R : r = C : c = d : D$ *per num. 7.* 9) Tempora, per quæ vires agunt, dum effectus ſuos, motus ſcilicet corporum, producunt, ſunt reciproce proportionalia celeritatibus, quibus corpora mota feruntur. $D : d = c : C$ *per num. 8.* 10) Vires moventes ſunt in ratione compoſita celeritatum productarum & impetuum corporum motorum. Nam $V : v = \overline{E : e} \times \overline{d : D}$ *per num. 4* $= \overline{E : e} \times \overline{C : c}$ *per num. 8 & 9* $= \overline{CM : cm} \times \overline{C : c}$ *per uum. 5 & 6* $= C^2 M : c^2 m$. Id quod erat demonſtrandum.

LEVENSBESCHRYVING VAN BEROEMDE EN geleerde Mannen, &c.

h. e.

BIOGRAPHIÆ VIRORUM ILLUSTRIUM ac eruditorum. Adduntur occaſus hominum celebrium recentiſſimi, & nova memorabiliora alia.

Tomi IV.

Amſtelodami, apud Adrianum Wor & Hæredes Onder de Linden, 1730 & 1731, 8 maj.

Singuli Tomi conſtant Alph. 2, cum Iconibus variis.

Dignam

Dignam certe civium ſuorum & exſpectatione & plauſu, quem meretur, operam ſuſceperunt clariſſimi aliquot in Batavis doctrina ac ingenio Viri, dum animum adjecerunt primum ad elaborandum vernaculo Belgis ſermone partitimque typis vulgandum *Biographias Virorum illuſtrium ac eruditiſſimorum* variorum ordinum, ætatum, terrarum & gentium. Viguit iſta ſemper apud cultiſſimos quosque orbis populos conſuetudo, ut præclaræ mortalium virtutes, in publicos quondam patriæ uſus expromtæ, poſt illorum fata, laudatiſſimo utique inſtituto, literis mandarentur, juſtisque cohoneſtarentur elogiis. Qua re adeo & pietati, ipſorum memoriæ debitæ, ſatisfactum, & poſterorum etiam utilitati, ex præſtantium exemplorum ſedula contemplatione atque imitatione reſultanti, quam maxime conſultum eſſe, nemo diffitebitur temere. Uſurpatum hoc priſca ætate Græcis & Romanis, & frequentatum idem recentiori tempore politiſſimis Europæ nationibus. Uni fere Belgæ ad hunc uſque diem negligentiores fuiſſe deprehenduntur in tradendis ſcripto ſua lingua ſummorum & pietate & literis Virorum Vitis. Quamvis enim negari non poſſit omnino, exſtare Belgico ſermone iſtiusmodi Commentationes, vel primitus ita elaboratas, vel aliunde abs interpretibus traductas, una plures; hæ ipſæ tamen, ſi ad aliarum gentium, Germanorum maxime atque Gallorum, in argumento ſimili induſtriam contendas, pauciſſimæ longe exſiſtunt & vix in numero haberi merentur. Supplere itaque hunc defectum pro virili parte inſtituerunt doctiſſimi hujus *Sylloges Biographicæ* conditores collectoresque, gratiam ſe non plane nullam a gentilibus ſuis inituros confiſi, ſi & illis, qui Græca & Latina, aut exterorum alia quævis idiomata, haud adeo callent, variæ fructuoſæque lectionis, cujus cupidiſſimi ſunt inter Belgas plerique, materiam luculentam ſuppeditarent, vernaculoque ipſis ſermone proponerent non indigenarum tantum, ſed & exterorum, non hujus tantum ævi, ſed & præteritorum temporum, homines meritis atque eruditione inſignes. Inter deliberandum, quonam potiſſimum ævo ſcriptionis telam quam commodiſſime ordirentur, viſum tandem fuit, ab

ab illa inde tempeſtate auſpicium capere, qua, quod ſcribunt ipſi, medias inter ignorantiæ atque impietatis, quibuscum miſerrime conflictari ante aliquot Secula & Eccleſiam & Rempublicam oportuit, tenebras, exorta paulatim ſunt in utraque lumina, quæ emendationi tum doctrinæ divinæ pariter ac humanæ, tum morum, Seculo demum XVI ineunte plenius erumpenti, præluſerunt. Neque tamen in purioris tantum cultus inſtauratoribus vindicibusque Autorum diligentia ſubſiſtet; quin & aliorum ſubinde rationem ſe habituros eſſe promittunt, qui variis, gravioribus pariter atque amœnioribus, ſcientiis illuſtrandis excolendisque perennem nominis famam conſecuti ſunt; immo vero ne illi quidem penitus omittentur, qui ex ipſa veritatis oppugnatione ſui memoriam quodammodo protulerunt. Hujus igitur inſtituti rationes cum ita ſint comparatæ, veluti diximus, quod a nobis hoc loco fieri & ſperare & poſtulare poterunt noſtri Lectores, amplius fere eſt nihil, quam ut curatum illis, quemadmodum de Cl. *Niceronii* ſimili Opere facere identidem conſuevimus, Indicem exhibeamus Virorum, quorum hiſtoria ſingulo quoque Volumine continetur. Hoc iis poterit demum uſui eſſe atque commodo, qui de comparanda ſibi unius atque alterius notitia exquiſitiori curioſi, illam hoc Compendio, curate tamen ac jucunde, expoſitam offendent. Iſtud adhuc monemus in anteceſſum, unumquemque *Tomum* in *quinque* iterum peculiares *Partes* diſpeſci, & ſingulari rerum maxime commemorabilium Elencho concludi, veſtibulum vero cujuslibet elegantiſſima icone, cum ſubjecta ipſi Belgicis verſibus Επιγραφῇ, ingenioſa ut plurimum atque elaborata, exornari.

Age vero, in rem præſentem veniamus. *Tomi* itaque *I Pars I* ſiſtit Vitas *Berengarii*, qui Seculo XI ſua de præſentia non reali, ſed figurata, corporis & ſanguinis Chriſti in S. Cœna ſententia innotuit; *Petri de Bruis*, a quo *Petrobruſianis* odioſum quondam nomen indiderunt Pontificii; *Henrici*, Monachi cujusdam Toloſani, & *Petri* denique *Abælardi*. *Pars II* exhibet Vitas *Arnoldi de Bres*, & *Petri Waldi*, a quo *Waldenſes*, teſtium veritatis, & *Hiſtoriam Inquiſitionis*. Continuatur

nuatur hæc materia *Parte III*, & subjungitur notitia *Roberti Grosthead*, Episcopi Angli, *Lothardi Waltheri* & *Wiclevi*; quod idem fit *Parte IV* de Historia *Joannis Hussi* & *Hieronymi Pragensis*. Concludit hunc Tomum *Pars V*, cum Memoria *Joannis Ziskæ*, cujus virtus bello *Hussitico* innotuit, & *Gobelini Personæ*, testis itidem veritatis.

Tomi II summa hæc est. Scilicet *Partem I* integram absolvit notitia *Laurentii Costeri*, quem primum omnium artis Typographicæ inventorem exstitisse, operose adstruitur, hujusque rei gloria Harlemensibus Belgis contra negantes Germanos & Gallos quomodocunque vindicatur. *Pars II* & *III* destinantur *Historiæ Academiarum*, seu, ut vulgo vocant, *Universitatum*, per universam, qua cultior est, Europam & olim & recentiori tempestate institutarum; quo loco, veluti egregia plurima in medium afferuntur, ita tamen universa non adeo vel liquida, vel firma, deprehendimus, ut acquiescere in singulis momentis possint curiosi argumenti hujus inquisitores. Post hæc *Parte IV* Vitæ *Poggii Bracciolini*, Florentini, *V* autem *Laurentii Vallæ*, studiose recensentur. Ceterum *Tomo* illo *II* & sequentibus in hoc discessum aliquantisper fuit a prioris instituto, quod ad calcem cujusvis Fasciculi subnectantur *Nova Academica*, Dissertationum, Promotionum, & similis generis, in Academiis Belgicis recentissime habitarum enarrationem complexa.

Auspicium *Partis I Tomi III* faciunt Biographiæ *Antonii Panormitæ*, & *Joannis Regiomontani*. Sequuntur *Parte II* Vitæ *Thomæ a Kempis*, & συγχρόνȣ ipsi *Joannis Brugmanni*, Monachi ex Minoritarum Ordine, qui magnas suo tempore turbas Amstelodami excitavit. *Parte III* enarratur Historia Cardinalis *Bessarionis*, & *Julii Pomponii Læti*; *IV Theodori Gazæ* & *Joannis Pici*, Mirandulæ Comitis; & *V* denique *Joannis Joviani Pontani*.

Tomum IV evolventibus primo statim loco occurrit elaboratissima de *Joanne Wesselo*, *Gansfort* cognominato, narratio. Mox *Parte II* legitur Vita *Rudolphi Agricolæ*; *Parte III* Vita

Digitized by Google

Vita *Hieronymi Savanorolæ*; *Parte IV* Vita *Ulrici Zwinglii*; & poſtremum *V* Vita *Martini Lutheri.*

Nova illa memorabiliora, in titulo promiſſa, atque *occaſus hominum illuſtrium*, Principum puta exterorum & ſummorum in Belgarum Republica Virorum, obitus, mutationes item in Statu tum Politico, tum Eccleſiaſtico, ſubinde in eadem factæ, quantumvis grata utraque non poſſint non accidere Lectoribus Belgis, nos tamen, qui *Eruditorum Acta* condimus, minus tangunt. Iſtud interim ſilentio a nobis prætermitti nefas fuerit, paſſim hic etiam ſolerter admodum atque curioſe deſcribi vitas Virorum doctrina ſcriptisque illuſtrium, qui poſtremis demum annis e vita exceſſerunt; quorum elenchum ſimiliter huc referre operæ pretium exiſtimamus. Enimvero leguntur *Tomo I* Vita *Joannis Fabricii, Joannis Harduini, Caroli Schaaf, Gottlieb Wernsdorfii, Chriſtiani Thomaſii, Jo. Caroli Spieſſii, Friderici Adolphi Lampii, & Jacobi Lenfant*; *Tomo II* Vita *Jo. Andreæ Danzii, Jo. Henr. Helcheri*, Medici Vratislavienſis, *Richardi Steele, Nic. Hier. Gundlingii, Jo. Franc. Buddei, Lucæ Schrœckii*, atque *Thomæ Crenii*; *Tomo III Joannis Kanoldi*, Medici Vratislavienſis, qui perperam, licet conſtanter, hic *Ranoldus* ſcribitur: *Joannis a Marck*, Theologi Lugdunenſis, *Danielis Clerici, & Joannis Kahleri*; & *Tomo IV* Vita *Jacobi Fruitier*, Theologi Roterodamenſis, *Iſaaci Newtoni, Jacobi Saurin, Simonis Friderici Hahnii, Friderici Ruyſchii, Joannis Hübneri, & Theodori* denique *Haſæi*; qui omnes fere & ſinguli meritis ſuis in eruditam civitatem ampliſſimi hoc conſecuti ſunt, ut vel nuda nominis appellatione abunde cognoſcantur. Libet, antequam calamum omnino deponamus, ſpeciminis gratia adhuc recenſere, quæ *Tomo II* de *Thoma Crenio* commemoraverunt Viri Clariſſimi, quod paucis inter eruditos illa perſpecta exiſtimemus, qui tamen plus forte vice ſimplici de illo inaudiverunt. Et principio ſtatim incertus eſt admodum ipſius locus natalis. Sunt, qui ex Marchia Brandeburgica ortum duxiſſe perhibeant; cum alii Hungariam *Crenio* patriam adſcribant, quod publice fecit inter alios *Caro-*

lus Arndius, Profeſſor demum Roſtochienſis, in *Bibliotheca Politico-Heraldica Selecta*; quam tamen poſteriorem perſuaſionem falſam eſſe contendunt, qui *Crenio* ſuperſtiti adhuc familiaritate fuerunt conjuncti. Hoc contra exploratum omnino habetur, non verum iſtud ipſi fuiſſe nominis, ſed virili demum ætate adſcitum, & cum *Thomæ Theodori Cruſii* appellatione commutatum. Literis interim mature admodum operam dedit, & linguarum, Latinæ & Græcæ, immo vero etiam Orientis idiomatum, Hiſtoriæ porro, Philoſophiæ, ac doctrinæ ſanctioris, notitiam non omnino proletariam ſibi comparavit. Præter alias Germaniæ Academias, in Vitebergenſi atque Gieſſenſi præcipue ſtudia ipſum coluiſſe, argumentis non inficiandis conſtat, quarum in poſtremam annum circiter 1669 delatus, & *Petri Haberkornii*, Profeſſoris, patrocinio ſuffultus, poſtquam pro more Diſſertationem de *Angelorum intellectione* ex cathedra publica propugnaviſſet, Philoſophiæ & liberalium artium diſciplinas per modicum tempus privatim expoſuit. Inde ad munus ſacrum in pago quodam Ducatus Cellenſis, *Blumenhage*, obeundum vocatus, non multo poſt in Hungariam ſuperiorem abiit, & Rector Scholæ Eperienſis, liberæ & Regiæ illius Provinciæ urbis, a Confeſſioni Auguſtanæ addictis conſtitutus, hanc etiam provinciam poſt breve itidem intervallum, ignotum, qua cauſa, iterum depoſuit. Non ignoramus varia de illo in vulgus ſparſa, a ψευδωνύμῳ etiam ſcriptore, qui *Severini a Clamoribus* larvam ſumſit, (vero autem *Erneſti Martini Plarrii* nomine venit,) ſingulari *ad Amicum de Vita, ſtudiis & moribus Th. C. Epiſtola*, Amſtelodami A. 1706, in 4, impreſſa, acerbius quondam objecta, atque *Crenium* inter alia deſertæ ob alterius femellæ amorem legitimæ uxoris, & hinc fugitivum, accuſatum fuiſſe; quod tamen in medio merito relinquimus. Hoc interim expeditum eſt, *Crenium*, poſtquam Germaniam ultro citroque peragraviſſet, Roterodami primum, & mox Lugduni Batavorum, conſediſſe, victumque ſibi formandis privatim ad humaniora ſtudia puerorum ac juvenum ingeniis comparaviſſe; quo ipſo tempore, quod ſupra jam monitum eſt, avitum cognomentum *Cruſii* in *Crenii* appella-

Digitized by Google

pellationem transmutavit. Hæſit poſteriori loco triginta plus minus annis, vitamque ibi tandem A. 1728 octogenario proximus privatam concluſit. Tranquille hanc & in literario otio transegit inter libros ſuos conſeneſcens, quorum ingentem numerum, minutiorum maxime atque rariorum, undiquaque mira cum ſolertia congeſſerat. Dignum notatu eſt, quod hac occaſione referunt Autores Clariſſimi, *Bibliothecam Crenianam* & numero & delectu præſtantiſſimas quasque & ampliſſimas Bibliothecas, quod quidem minutiora illa, quæ diximus, & rariora Schedia attinet, immo ipſam illam Celeberrimi nuperque defuncti Theologi Bremenſis, *Frid. Adolphi Lampii*, ſuperaviſſe, quæ tamen vix parem in hoc genere habere vulgo exiſtimabatur. Addunt iidem, cum tandem Octobri menſe ejusdem Anni auctio de illa publica Lugduni inſtituenda eſſet, qui Catalogi editionem curaverat, in præmiſſa Præfatione publice *indigeſtam molem Bibliothecam* hanc *Crenianam*, & quidem ex vero, appellitaſſe, quæ & ſordidæ titulum non ſecus promeruiſſet, ſiquidem omnes illius fere libri ſpurciſſimo habitu in emtorum manus perveniſſent. De hoc interim quomodocunque fuerit comparatum, iſtud ipſi denegari laudis nequire arbitrantur, excelluiſſe *Crenium* in cognitione literaria atque libraria; omnigena ſcriptorum lectione polluiſſe; neque demum libros fruſtra collegiſſe, aut ſoli ſibi, quod invidia multorum fit, ſervaſſe, ſed in publicos plurium uſus diffudiſſe liberaliter. Teſtantur hoc vulgatæ ſucceſſive ab ipſo paſſimque propriis Animadverſionibus illuſtratæ, variorum Opuſculorum Συλλογαὶ, tum Roterodami, tum Lugduni editæ. Pertinent ad hunc cenſum *Conſilia & methodi aureæ ſtudiorum optime inſtituendorum*, tribus Tomulis in 4 Roterodami A. 1692, 1696 & 1699 impreſſa, & quinquaginta quinque omnino ſcriptis hujus argumenti conſtantia, quæ inter autem uno plura pretii levioris occurrunt, quæ ſine quodam piaculo, intelligentiorum arbitrio, omitti penitus potuiſſent. Pertinent huc porro *Animadverſiones Philologicæ & Hiſtoricæ, novas librorum editiones, Præfationes, Indices, nonnullasque ſummorum aliquot Virorum labeculas notatas excutientes*,

tes, Roterodami A. 1695, 4. Plus quam ſatis titulo huic ſatisfeciſſe *Crenium* Noſtri judicant, & liberiori quandoque calamo illuſtrium in literis heroum, *Eraſmi*, *Camerarii*, *Bezæ*, *Caſauboni*, *Vorſtii*, *Heinſii*, *Grotii*, *Voſſii*, *Seldeni*, *Gatakeri*, *Huetii*, aliorumque, hallucinationes ac παροράματα annotaviſſe. Pertinent denique huc quinque *Faſces Exercitationum Philologico-Hiſtoricarum*, inter Annos 1697 & 1700 typis exſcripti, & aliud *Syntagma* minoris molis, *Chriſtophori Helvici Elenchos Judaicos*, *M. Antonii Probi Orationem de Monarchia Regni Iſraelis*, & *Raphaelis Eglini*, Tigurini, *Captivitatis Babylonicæ Hiſtoriam*, complexum. Notæ ſunt inſuper in vulgus *Diſſertationes Crenianæ de libris ſcriptorum optimis*, & *de ſingularibus ſcriptorum*, *de furibus* item *literariis*, & *Annotationes in paſſionem Dominicam.* Dum in Germania adhuc commoraretur, edidit *Explicationem trium priorum Pſalmorum*, & ſub nomine *Dorothei Sicuri* (unde literis pauliſper trajectis *Theodori Cruſii* cognomentum apparet,) alia duo Schediaſmata; unum *de Prudentia Eccleſiaſtica*, alterum *de Origine Atheiſmi in Romana & Proteſtantium Eccleſiis*, inſcriptum.

GOTTLOB AUGUSTI JENICHEN, PHIL. & Jur. D. De Priſco Javoleno, JCto incomparabili, & præcipuo Seculi ſui ornamento, Diſſertatio ad FRIDERICUM OTTONEM MENCKENIUM, Jur. & Phil. Doctorem.

Lipſiæ, apud Jo. Chriſtianum Langenhemium, 1734, 4. Plag. 4½.

Nemini cuiquam ex antiquis JCtis profecto magis triſte atque acerbum fatum accidit, quam *Priſco Javoleno*, JCto ſua ætate ſine controverſia doctiſſimo, de quo vel plane nihil conſignarunt literis Viri docti, vel pauca & proletaria comme-

memorarunt, vel ſolum horrendum *Plinii* carmen, quo illum in dubiæ ſanitatis hominum numerum cenſumque retulit, recitarunt. Operæ itaque pretium fecit Cl. *Jenichius*, Collega noſter conjunctiſſimus, qui hac Diſſertatione non ſolum de vita, doctrina, moribus, diſcipulis, & libris *Javoleni* præcepit, verum etiam vindicem calamum ſtrinxit adverſus improbum & maledicum *Plinium*, qui tam immiti & inhumana cenſura *Javolenum* præter jus fasque notavit. Complectitur hæc Diſſertatio, quam *Friderico Ottoni Menckenio*, Amico ſuo, conſecravit Autor, multa nova, ſingularia, & quæ fruſtra quæſiveris apud alios, ut non injucundum fore ſperemus, ſi potiora ſelectioraque Diſſertationis hujus Capita breviter ſtrictimque indicaverimus. Patriam *Javoleni* in Italia quærendam eſſe cenſet, & contra *Hottomannum*, qui ad peregrinos homines eum temere ablegat, diſputat. Magna diligentia recenſet *Priſcos* veteres, qui vel in legibus, vel marmoribus, vel priſcis Autoribus reperiuntur. Sed, qui ſummam induſtriam adhibuit *Priſcis* indicandis, quos leges vel marmora oſtendunt, non eadem ſolicitudine nobis verſatus eſſe videtur in ceteris *Priſcis*, quorum mentionem faciunt antiqui Scriptores. Fallimur, aut ſolos illos *Priſcos* ſua commemoratione dignos judicavit, qui præ aliis majorem excellentioremque nominis gloriam famamque conſecuti fuerunt. Alias profecto non omiſiſſet *Marium Priſcum*, cujus memoriam ſervavit *Plinius L. II Ep. 11 & 12*, *Stillonium Priſcum*, cujus notitiam eidem *Plinio L. III Ep. 9* debemus, *Helvidium Priſcum*, cui diſertam ſapientiam tribuit *Autor Dialogi de Orat. Cap. V n. 7*, & cujus perſæpe in libris ſuis meminit *Tacitus*, *Priſcum Fauſejum*, cujus immoderatam ambitionem perſtringit *Martialis Lib. I Epigr. 112*, cujus avaritiam reprehendit idem *Lib. VII Ep. 47*, & cujus mentionem injicit idem *Lib. VIII Ep. 1*, *Lib. IX Epigr. 5*, & *Lib. XII Ep. 92*, *Terentium Priſcum*, qui Autore *Martiale L. IX Ep. 79* librum de conviviis ſcripſit, & cum quo *Lib. X Ep. 3*, *Lib. XII Præf. Ep. 1, 4 & 14* blande amiceque loquitur, & pro cujus reditu *Lib. VIII Ep. 44*, & *Lib. XII Ep. 62* pia captaque vo-

ta

Digitized by Google

Pag. 15, 17. ta nuncupat *Martialis*. Sed e diverticulo in viam. Jucun-
dæ utilesque Obſervationes ſunt, quibus poſt Ill. *Heinec-
cii* curam *Salvii Juliani*, *Javoleni* diſcipuli, vitam il-
17. luſtrat. Inprimis placuit nobis illa obſervatio, qua *Ju-
lianum* ſub primis Divorum fratrum Imperii annis naturæ
reddidiſſe debitum ſatis clare atque aperte oſtendit. Ne-
que pœnitebit quemquam legere ea, quæ pro integro,
incorrupto, & perpetuo mentis vigore *Javoleni* argu-
20-24. menta protulit *Jenichius*. Nugatur certe *Plinius*, quan-
do *Javolenum* emotæ mentis hominibus improbe & illepi-
de annumerat. Primo unus teſtis *Plinius* hoc dixit.
Secundo ſuſpectæ & ſubleſtæ fidei teſtis eſt *Plinius*, quem
inſanus erga *Paulum Paſſienum* amor, & immane in *Ja-
volenum* odium, ad hanc fabulam excogitandam impulit.
Tertio nequaquam verba *Javoleni*, quibus *Paulianorum*
carminum recitationem deprecatus eſt, inſani quidquam
continent. Nolebat enim Vir gravis, ſeverus, & nego-
tioſus, aliena Carmina, quæ ab aliis immodico pretio redi-
mere, & pro ſuis recitare ſolebat *Paulus*, quemadmo-
dum id ante *Javolenum* jam *Martialis* & *Juvenalis* in-
dicaverant, audire, & augere juvenilem alienis plumis
ſeſe exornare cupientis, libidinem. Quarto & ipſe ſibi
contradicit *Plinius*, illaque officia tribuit *Javoleno*, quæ
profecto nemo adminiſtrare poterit, cujus mens extra
25, 26. ſedes ſuas evagatur. Accurate quoque definit Autor,
quo tempore in aliam vitam ſe receperit *Javolenus*, eun-
demque ſub ultimis *Trajani* Imperii annis fatis con-
ceſſiſſe probat, illorumque ſententiam, qui ipſum ad *An-
tonini Pii* uſque imperium vixiſſe affirmant, argumentis
certiſſimis refellit. Tacemus ceteras, quibus *Javoleni*
ſui vitam ornavit, Obſervationes, Tibique, Lector, Opu-
ſculum bonæ frugis plenum magnopere atque vehemen-
ter commendamus, utque ſimili induſtria aliorum, quos
priſca tulit ætas, ſummæ exiſtimationis JCtorum fata & me-
rita e ſuis protrahere tenebris pergat, ipſum Cl. Auto-
rem modeſte rogamus.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCXXXIV.

EXPEDITIO HISPANICA APOSTOLI S. Jacobi Majoris asserta, & ex S. Paulo Apostolo confirmata, Dissertatio Historico-Critica. Accessere Appendices tres: 1) de Æde Cæsaraugustana, a Columna dicta, per S. Jacobum constructa; 2) de gravissima autoritate Breviarii Romani; 3) Sylloge Autorum omnium gentium omniumque ordinum, qui expeditionem Hispanicam S. Jacobi Majoris asserunt; Autore EMMANUELE CAJETANO SOUSA, Clerico Regulari, Regiæ Majestati a Consiliis, Bullæ Sanctæ Cruciatæ Pro-Commissario Generali Apostolico, & Regalis Academiæ Quinqueviro Censore.

Tomus I.

Ulyssipone Occidentali, ex prelo Joseph. Anton. a Sylva, 1727, fol: Alph. 9 pl. 21.

Musas sacras, literarum & historiæ cumprimis amantissimas, ad ipsa columnarum Hercularum marisque Atlantici confinia domicilium suum renovasse, tum læti intelligimus, tum ex Opere præsenti, quippe locupletissimo teste, edocemur. Genius seculi a Regum Procerumque pendet ac for-

matur arbitrio ſtudioque. Luſitani culturæ literarum ſidus novum ex Auguſtiſſimi Regis clementiſſimo in Muſas amore repetunt, meritoque deducunt. Hoc ipſum agnoſcit Operis hujus Venerabilis Autor, ſiquidem is Diſſertationem ſuam, quæ eſt inſtar copioſi Voluminis, Auguſtiſſimo Principi, *Joanni V*, Luſitanorum Regi, inſcripſit, eidemque initia Evangelii per Luſitanam ſparſi, ac ſumma *Jacobi* merita, exponit. Laudibus ſimul graviſſimis effert *Mariam*, Chriſti matrem, eamque *cæli terræque reginam*, ac patronam, a Rege *Joanne IV* in tutricem regni adſcitam, appellat. *Carolum Magnum* ſingulari religione in *S. Jacobum Majorem* fuiſſe, addit. Si hoc ipſum nititur loco *Turpini*, qui habetur *Cap. III de geſtis Caroli Magni & Rolandi p. 68*, cauſa dicta eſt. Libro præfixæ ſunt approbationes Academicorum Regiorum, & Autoris admonitio, qua docet, ſeſe autoritatem non niſi humanam ſcripto ſuo tribuere. Argumenta pro expeditione *Jacobi* Hiſpanica, plenitſimo de ſinu prolata, effecerunt, ut tres Appendices Tomum Operis conſtituant. Nunc ad rem ipſam properamus. In Præfatione occaſio ſcriptionis, expoſitio tituli, diviſio Operis, & ratio methodi ſtilique, enarrantur. Ven. Pater *D. Hieronymus Contador de Argote*, Clericus Regularis, & Regalis Academiæ Socius,
Pag. 4. A. 1722 edidit *Diſſertationem*, Luſitanice ſcriptam, *de Adventu S. Jacobi in Hiſpaniam, comprobato autoritate Doctoris maximi, S. Hieronymi*, quæ exſtat in Collectione Actorum Regalis Academiæ eodem Anno. Præterea *D. Joannes de Ferreras* ante duodecim annos, & quod excurrit, *Diſſertationem pro*
5. *expeditione Hiſpanica S. Jacobi* juris publici fecit, & pro ea reſumſit arma in *Diſſertatione Apologetica de Prædicatione S. Apoſtoli Jacobi Zebedæi in Hiſpania*. *D. Auguſtinus de la Roca* eodem fine edidit *Diſcurſum circa duas Diſſerta-*
6. *tiones, Ulyſſipone editas, de Adventu S. Jacobi in Hiſpaniam*. Nomen Autoris eſt perſonatum. Alius, qui *D. Andreæ Duranæ* nomen ſibi ſumſit, Opuſculum edidit ejuſdem argumenti, quod eſt inſcriptum: *Defenſa de la venida, y Predicacion de Sant Jago el Mayor en Eſpanna*. Ex horum ſcriptis ſe profeciſſe, Autor, modeſtiæ laudibus ornandus, haud

haud diſſimulat. Poſt prologum deſcendimus ad tractationem ipſam, quæ in tres Partes, ac duo Parerga, Epilogumque; Partes rurſus in Sectiones, Sectiones in Aſſertiones, diſpeſcuntur. Inprimis Lectori Autor perſuadet, expeditionem *Jacobi* Hiſpanicam eſſe honorificam cœlo & terræ, decoram Luſitaniæ & Hiſpaniæ, honorificam Eccleſiæ militanti, cœlo, ipſi Apoſtolo, *S. Paulo*, Eccleſiæ triumphanti, ſanctiſſimæ virgini *Mariæ*, Chriſtoque. Dein oſtenditur, expeditionem illam non obſtare literis ſacris, ſpeciatim Actibus Apoſtolorum, loco martyrii *Jacobi*, Epiſtolæ *Pauli* ad Romanos, tempori diviſionis Apoſtolorum, præcepto Chriſti, *Euſebio*. Præcipue nervos intendit Autor omnes, ut traditionem de mora Apoſtolorum, Hieroſolymis per duodecim annos continuata, evertat, eoque conſilio examinat teſtimonia *S. Thraſeæ*, Martyris, *S. Apollonii*, Martyris, *Clementis Alexandrini*, Pontificum *Leonis I* & *Gregorii I*, *Innocentii I*, *Gregorii VII*, *Clementis VIII*, nec non Patrum, nominatim *Auguſtini*, *Venantii Fortunati*, *Adonis Viennenſis*, *Petri Venerabilis*. Reſpondet porro ad ea, quæ proferri ſolent contra illam *Jacobi* expeditionem Hiſpanicam ex monumentis Hiſpaniæ, MSto Toletano, quod *Garcias Loayſa* produxit, & Cardinalis *Baronius* fide ſua dignatus fuit, ex Magiſtro *Yſia*, ex diſſidio Autorum Hiſpaniæ circa itineris momenta, aliisque capitibus. Hinc regeruntur nonnulla ad ſilentium antiquorum, ſacri Codicis, Conciliorum, Martyrologii Romani, Græcorum, Latinorum, ac ad clamorem recentiorum, expeditionis fidem elevantium. Inprimis ad teſtimonium *Miſſalis Gothici*, quod a *Joſepho Maria Thomaſio*, Cardinali, editum fuit, nonnulla reſpondentur. Hoc ipſo Autor impedimenta ſibi progreſſuro ademta eſſe credit, ac inde argumenta promit ajentia per totam partem tertiam. Hiſpaniam mature Chriſto dediſſe nomen, ex *Irenæi* Libro I adverſus Hæreſes *Cap. III* pateſcit. *Jacobum* in Hiſpania Evangelium Pag. 531.
promulgaſſe, teſtis eſt *Origenes Homil. XII in Geneſin*. Apoſtoli enim ab exceſſu *Stephani* Protomartyris per orbem diſ- 533.
pergi cœperunt, i.e. anno quarto & trigeſimo Æræ vulgaris, Autore *Gregorio Nyſſeno* in Sermone de *S. Stephano*. Autor vi-

Digitized by Google

tæ *S. Heliodori* in Actis Sanctorum *Tom. I* d. 3 Julii *pag. 649 C.*
Pag. 536. Epiſcopos de Galliæ confinibus tradit *Jacobum* vocaſſe ſuum prædicatorem in precibus, ad *Theodoſium Magnum* directis. Reguntur ſimul ab Autore nonnulla ad Objectiones *Conra-*
537. *di Janningi*, *Joannis Baptiſtæ Sollerii*, & *Joannis Pinii*, Continuatorum *Bollandi*, qui Autorem vitæ *Heliodori* fabulis refertum & recentiorem eſſe perhibuerant. *Hieronymus* in *Epiſtola ad Antonium de modeſtia Tom. II Opp. p. 218 edit.*
548. *Froben.* Hiſpaniam ab Apoſtolis Evangelio colluſtratam prædicat. Quod repetit in *Comment. ad Cap. XXXIV Eſ. v. 12.* Octa-
564 ſeq. vum Calendas Auguſti, i. e. 25 Julii, eſſe feſtum translationis oſſium *Jacobi* in Gallæciam diem, Autor comprobare nititur ex *Martyrologio Romano* ad eum diem, ex Autore *Sermonis XXV ad Fratres in eremo*, exhibiti inter Opera *S. Auguſtini* in Appendice *Tom. VI* edit. *S. Maur.* ex Opere *Comitis Sancti Hieronymi pag. 1049*, ex *Martyrologio*, quod *Hieronymi* eſſe tradiderunt *Caſſiodorus*, *Beda*, *Walfridus Notkerus*, aliique, ac edidit *Franciſcus Maria Florentinius* A. 1668 fol. porro ex *Calendario S. Romanæ Eccleſiæ*, edito ab *Edmundo Martene Tom. V Theſauri Anecdotorum*, ac ad Seculi V initia ponendo. Fatendum tamen eſt, in hiſce ne verbum quidem de expeditione *Jacobi* Hiſpanica commemorari. *Paulum* Hiſpanis nuntiaſſe Chriſti doctrinam, vix negari poteſt. Nam id diſtincte habetur in Martyrologio Romano ad
574. diem 22 Martii, ac ipſe obiit ἐλθὼν ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως, uti autor eſt Clemens in *Epiſtola ad Corinthios §. 5 p. 148 ſeq. Tom. I Cotelerii.* *Pearſonus* rite intellexit Hiſpaniam per *occaſus terminum*, reſpectu ad locum, in quo *Clemens* ſcribebat, habito. At hoc non obſtat, quo minus *Jacobus* ibidem Evangelium docuerit, dummodo teſtimoniis id evincatur locupletiſſimis. Hoc ut præſtet Autor, provocat ad locum *Hieronymi*, exponentis *Cap. XI v. 14 Eſaiæ.* Si locum ipſum evolvamus, duo ibi traduntur: unum eſt, quod Apoſtoli, toto orbe diſperſi, Evangelium prædicarint, cummaxime per *plagam Occidentalem, quæ Oceani ambitu clauditur;* alterum eſt, quod *Paulus* ad Hiſpanias quoque delatus ſit navibus. Quid hinc

Digitized by Google

hinc pro *Jacobi* expeditione Hiſpanica colligi queat, Lector facile odoratur. Sed nec hoc Autorem ipſum fugit. Qua de cauſa diligentiam in conquirendis teſtimoniis aliis collocat. Provocat eo nomine ad Autorem, cujus ſcriptum reperitur inter Opera *Chryſoſtomi Tom. II p. 522* edit. Antwerp. A. 1614. Is enim, *Petrum, Joannem,* & *Jacobum* per Occidentem docuiſſe, fatetur. Ne intelligas *Jacobum Alphæi*, timet *Antonius Caracciolus*; quare in *Controverſia de Acceſſu S. Jacobi ad Hiſpaniam n. 26 p. 49* edit. 2 monet, hunc perpetuo Ephoriæ Hieroſolymorum præfuiſſe. Noſter addit, ab *Anonymo* illo dici, *Jacobum* cum *Petro* & *Joanne* ab Orientalibus fuiſſe ejectos, quod in *Jacobum Alphæi* non quadret. Suſpicamur inter hæc, *Anonymum* hypotheſi ſuæ ſerviiſſe, qua inductus, ritum Occidentalium a nonnullis Apoſtolis erat derivaturus. *Caracciolo* tamen ſubſcribit *Michael Erce Ximenes* in libro *de Prædicatione S. Jacobi in Hiſpania P. I Tract. IV Cap. IV n. 2 f. 95*. *Dupinius Anonymum* illum credit fuiſſe *Severianum*, Epiſcopum Gabalitanorum, Gallum. Nam Gabali exſtiterunt in Gallia, Epiſcopatus vero poſtea translatus eſt ad Eccleſiam Mimatenſem, teſtibus *Hadriano Valeſio* & *Dionyſio Sammarthano*. In Concilio Bracharenſi *Cap. III* legitur, *Petrum Ratiaſtenſem*, Apoſtolum Hiſpaniæ, a *Jacobo*, Domini conſanguineo, in Hiſpaniam miſſum. *Macedo* in *Diatriba de adventu Jacobi in Hiſpaniam Cap. XV* de eo Concilio dubitat cum Magdeburgenſibus, *Baronio*, *Natali Alexandro*, & *Sebaſtiano Tilemontio*. Illud contra vindicat *Franciſcus Leitaon Ferreira*, Academicus Luſitanus, in Diſſertatione pro hoc Concilio. Autor tamen largitur, exemplaribus, quæ nunc de illo Concilio habemus, deeſſe antiquitatem debitam. *Licinianus*, diſcipulus *Auguſtini*, in Epiſtola (*) ad *Vincentium*, Epiſcopum, de *Jacobo Majori*: *Ex Hiſpania reverſus eſt Hieroſolymam*. *Leo I Magnus* ab hac ſententia non eſt alienus. *Licinianus* dicitur obiiſſe A. 583. Autor ipſe

Pag. 593. 596. 598. 600.

(*) Apud *Ægidium Gonzales de Avila* in *Theatro Eccleſiaſtico Tom. I p. 305*.

ipſe non fidit ejus teſtimonio, dubitans, an Epiſtola illa ſit genuina. *Iſidorus*, Hiſpalenſis Epiſcopus, præſes Concilii quarti Toletani, expeditionem *Jacobi Majoris* Hiſpanicam pro-
Pag. 602. pugnat in libro *de Ortu & Obitu Patrum Cap. LXXXI.* Librum illum *Iſidoro* abjudicat *Baronius* ad A. 816, adjudicant contra *S. Braulion*, coævus vitæ *Iſidori* Scriptor, & *S. Ildephonſus*, defunctus A. 667, ac Ven. *Beda* (*) cum *Sigeberto Gemblacenſi*. *Bedam* ideo laudavit *Marchio de Mondexar* in Diſſ. *Predicacion de Sant Jago en Eſpanna Cap. II f. 116, Cap. XXII f. 131, & Cap. XXVI*, qui contra *Natalem Alexandrum Iſidoro* librum laudatum aſſignat *Cap. XX.* Eſt, qui *Caput LXXI* ac ſequentia *Iſidoro* aſſuta autumat, ſiquidem eum *Jacobum*, cui tribuit Epiſtolam Catholicam, in Hiſpaniam is tradiderit profectum, cum tamen idem *Iſidorus* eam Epiſtolam
606. tribuerit *Jacobo Minori* in *Etymologiarum Lib. VII Cap. IX.* Varia hic in adverſum admonet Autor Venerabilis, eruditionem ſolidam ſpirantia. Mirum dictu eſt, *Jacobum*, *Iſidoro* teſte *Cap. LXXI* libri *de Ortu & obitu Patrum*, ſepultum fuiſſe in *Marmarica*, cum indubie humatus ſit Hieroſolymis. Et undenam dicuntur oſſa *Jacobi* in Hiſpaniam translata, ni-
609. ſi Hieroſolymis? At Autor erudite oſtendit, exſtitiſſe *Marmaram*, urbem Syriæ Euphratenſis ſeu Comagenæ, cujus Rex *Antiochus Herodi Agrippæ* fuerit amiciſſimus. *Iſidorus* por-
614. ro *Paulum* dicit *vocatione noviſſimum, prædicatione primum.* Sed hoc Noſter de magnitudine laboris exponit. *Iſidorus Cap. LXIX* teſtatur, *Paulum* in Hiſpania nuntiaſſe Chriſti doctrinam. At hæc diluuntur diſtinctione inter prædicationem
615. *Pauli*, nullis regionibus circumſcriptam, & præconium reliquorum Apoſtolorum, certis terris determinatum. Hinc Au-
619. tor producit teſtimonium *S. Braulionis*, defuncti A. 646, ex Vita *Iſidori*. Locum primo urſit *D. Joannes de Salazar* in *Tr. Apologetico de Prædicatione S. Jacobi in Hiſpania Cap. VIII p. 83*, & dein *Fr. Auguſtinus a Sancta Maria* in Diſſ. *de Adventu & prædicatione S. Jacobi n. 41.* *Braulionem* excipit

(*) In *Retractatione ad Acta Apoſtolorum Cap. I.*

Digitized by Google

pit teſtimonium *Juliani*, Archi-Epiſcopi Toletani, defuncti A. 691, e Commentario ſuper *Nahum*, quem Noſter adverſus *Natalem Alexandrum*, & alios, *Juliano* vindicat. Succedit *Beda*, qui in *Excerptionibus Patrum*, *Tom. III Opp. col.* 485 *Jacobo* Hiſpaniam ſortito obtigiſſe refert. At Excerptiones illas *Bellarminus* & *Poſſevinus* indignas *Beda* cenſent ob nænias corraſas & vetularum fabellas. At ſtilus & modus colligendi cadit utique in *Bedam*, plus lectionis & eruditionis, quam judicii & critices habentem, judice *Dupinio*. Addit Noſter vindicias poſt *Dupinium* ampliſſimas. Sequitur *Martyrologium Blumanum*, in Codice Monaſterii *S. Petri Wilembergenſis* ſcriptum, editum a *Franciſco Maria Florentinio* cum Martyrologio Lucenſi, ubi *p.* 1055 legitur: *Jacobus, filius Zebedæi, frater Joannis. Hic ad Spaniam & occidentalia loca prædicat, & ſub Herode gladio caſus occubuit.* Succedunt teſtimonia S. *Beati*, Presbyteri Libanienſis, Martyrologii Gelonenſis, a *Luca d'Acherio Tom. XIII Spicilegii* editi, ubi verba Martyrologii *Blumani* repetuntur; porro *Freculphi Lexovienſis Tom. II Chron. L. II Cap IV*, *Walafridi Strabonis* ex Poemate *de Templo Deiparæ*, *S. Notkeri Balbuli*, A. 912 defuncti, e Martyrologio, quod, cum condiſcipulo *Henbano* in cœnobio *S. Galli* compilavit, *Siſnandi*, Epiſcopi, circa annum 914 viventis, *Calixti II*, evecti ad ſolium ſummi Pontificatus A. 1119, *Ottonis Friſingenſis* Chron. *Lib. III Cap. V*, *Metelli*, Tegerſeenſis, *Tom. III Mabillonii p.* 663. Poſtea Autor depromit teſtimonia ex monumentis a quarto inde Concilio Lateranenſi uſque ad Concilium Tridentinum. Tandem hiſce ſubjicit teſtimonia temporum, quæ a Concilio Tridentino effluxerunt. Recenſentur etiam nomina eorum, qui *contra Hæreticos Magdeburgenſes & lucifugas*, (ita eos vocat Autor,) expeditionem *S. Jacobi* Hiſpanicam propugnaverunt, nominatim *Ambroſii Morales*, *Caſaris Baronii*, *Bartholomæi Laurentii*, qui A. 1591 Cæſarauguſtæ edidit librum, inſcriptum: *Indice de los Autores, que tratan de la venida de Sant Jago a Eſpanna.* His adjunguntur *Petrus Hieronymus Cenedo*, *Jacobus Valdeſius*, *Didacus de la Mota*, qui A. 1604 Pinciæ edidit

Pag. 622. 629. 643. 658 ſeq. 669 ſeq. 681 ſeq.

edidit librum *de Adventu S. Jacobi in Hiſpaniam*, in 8, Hiſpanice, *Chriſtophorus de Caſtro, Franciſcus Padilla*, *Joannes Fernandes de Velaſco*, qui A. 1605 Pinciæ edidit *dos Diſcurſos, en que ſe defiende la venida, y predicacion del Apoſtol Sant Jago en Eſpanna*, *Michael Martines a' Villar*, *D. Didacus de Caſtillo*, *Joannes Mariana*, & *Franciſcus Suarius*, Granatenſis, Jeſuitæ, *D. Maurus de Caſtella Ferrer*, *D. Sancius Davila & Toledo*, *Franciſcus Jeſu & Xodar*, aliique.

Pag. 737. Sectam dubitantium de certioribus quibusvis ab orco erupiſſe Seculo XVI, Autor dictitat, qui robur inſigne traditioni de
743 ſeq. expeditione *S. Jacobi* Hiſpanica promittit ex traditione populari, familiari & pia, Eccleſiaſticaque, nec non ex Breviariis Luſitaniæ, Bracharenſi & Eborenſi, porro Hiſpaniæ, nomina-
769. tim ex officio *Mozarabo* ſeu *Iſidoriano*, Codice officiorum de Sanctis Toletanis, & Breviario Romano Eccleſiarum Galliæ, Italiæ, nominatim Capuanæ, Lucenſis, & Comenſis, ac aliarum. Profecto, ſi teſtimonia primorum quinque Seculorum tam diſtincta, quam poſtremæ ætatis, forent in promtu, lite
833 ſeq. ſuperſederent haud ægre Viri eruditiſſimi. In parergo primo oſtenditur, in Gallæcia eſſe fontem aquæ ſaluberrimæ, decurrentis de ſaxo, quod *S. Jacobus* baculo percuſſerit, ut hoc
843 ſeq. miraculo comprobaret Evangelii doctrinam. Parergo ſecundo inquiritur in criteria traditionis veræ, ſed falſitatem infringentia magis, quam veritati congruentia. Non demimus fidem traditioni, quæ inſtitutis & teſtimoniis locupletiſſimis omnium Seculorum radiat, inprimis ejus, quo res ipſa contigit, imo proximi. Sed, ubi fides Virorum ætate ſuppariorum
850 ſeq. ac propiorum debita deeſt, tum malumus cauti, quam creduli, videri. Habet tamen Autor, quæ hic quoque multa cum veriſimilitudine doceat. Revelationibus privatis porro corroborare ſtudet expeditionem *Jacobi* Hiſpanicam. At, ſi eæ invicem repugnent, cauſa eſt conclamata. Quis? quæſo, ſingulas annotavit, ut de pugna dubitari queat? Suffigitur Epilogus, & ſphalmatum Index, qui, *Callixtum* ſemper eſſe ſcribendum, inter alia commonefacit.

JOAN-

JOANNIS LAUNOJI, CONSTANTIENſis, Pariſienſis Theologi, Socii Navarræi, Opera omnia, in quinque Tomos & decem Volumina diſtributa.

Tomi III Pars I & II.

Coloniæ Allobrogum, ſumtibus Fabri & Barrillot, Sociorum, & Marci-Michaelis Bousquet & Sociorum, 1732, fol.

Alph. 12 pl. 20.

Pergimus in præſtantiſſimis Cel. *Launoji* Operibus brevi recenſendis, quorum hic Indicem quendam exhibebimus *Tomi tertii.* In hunc *Tomum*, qui eſt Operum *tertius*, ea omnia collegit Cl. Editor, quæ *Launojus* de Monachorum Privilegiis ſcripſit. In *Parte prima* hujus *Tomi* primum lo- Pag. 1 ſeq.
cum occupat *Inquiſitio in chartam immunitatis, quam Germanus, Pariſiorum Epiſcopus, ſuburbano monaſterio dediſſe fertur.* Deſcripſit initio hujus Inquiſitionis chartam illam *Launojus*, qua Germanus Monaſterium ſuburbanum *S. Vincentii*, nunc *S. Germani a Pratis*, ab omni Epiſcopali autoritate liberum declaravit, eamque ſpuriam eſſe & adulterinam, viginti quatuor momentis commonſtravit. Quæ quidem argumenta, cum *Robertus Quatremarius*, Benedictinus, confutanda ſibi ſumſiſſet, *Launojus*, adumbrata hujus reſponſionis imagine, preſſius veſtigia adverſarii inſecutus eſt, &, iterum deſcripto *Germani* falſo privilegio, momenta Inquiſitionis novis argumentis ſtabilivit, ac Benedictini Objectiones copioſius refutavit. Ipſa *Aſſertio Inquiſitionis* hujus *quatuor* 25 ſeq.
conſtat *Partibus. Prima* referuntur Privilegia duo, unum *S. Germani*, Pariſienſis, alterum Caſtellienſis Monaſterii, excerptum ex Epiſtola XLII *S. Bernardi*, atque ex Lib. III de Conſideratione. *Parte ſecunda* Aſſertionis momenta Inquiſi- 38 ſeq.
tionis primum, ſextum, ſeptimum, octavum, nonum, decimum tertium, decimum quartum, decimum ſextum, & vigeſimum

U ter-

Digitized by Google

tertium, repetuntur, & variis denuo argumentis munita, ab ex-
Pag. 90 ſeq. ceptionibus adverſarii vindicantur. *Tertia Parte* Aſſertionis momenta Inquiſitionis ſecundum, tertium, quartum, quintum, decimum, undecimum, duodecimum, decimum quintum, decimum ſeptimum, decimum octavum, decimum nonum, vigeſimum, vigeſimum primum, & vigeſimum ſecundum, non referuntur ſolum, ſed magis etiam magisque confirmantur.
115 ſeq. *Quarta* aſſertionis *Parte* alia ac diverſa rerum momenta, quæ ad hanc controverſiam pertinent, pertractantur, & inter alia *Hugonis*, Sangermanenſis Monaſterii Abbatis, teſtimonium pro immunitate ejusdem monaſterii refertur & infirmatur, *Innocentii III* ad *Robertum*, Sangermanenſis Monaſterii Abbatem, Epiſtola exhibetur, & ſubreptionis accuſatur, adſcripta *Chlodoveo primo* immunitas *S. Petri Vivi*, Senonenſis Epiſcopi, Privilegia duo ſubdititia vel ſaltem interpolata eſſe probatur, *Aimoini*, Hiſtoriæ Francorum Autoris, locus & tem-
190 ſeq. pus afferuntur. Hanc Aſſertionem ſequitur *Examen privi-*
320 ſeq. *legii S. Germani, Pariſienſis Epiſcopi*, atque hoc excipit *Inquiſitio in chartam fundationis & privilegia Vindocinenſis Monaſterii*, quod *Gottfridus*, Comes Andegavenſis, condidit A. 1040, quodque Sanctiſſimæ Trinitatis appellatur. Inter invicta, quibus hæc charta ſuppoſititia dicitur, momenta in Præ-
11 ſeq. fatione hæc inprimis refert Cl. Editor: quod in ea *Gottfridus* doceat, ſe Romam profectum fuiſſe, cujus tamen itineris Autores æquales vel ſuppares nullam mentionem fecerint, ſiluiſſe omnino Andegavenſe MSt. & Malleacenſe Chronica, in quibus multa de Comitibus Andegavenſibus referantur: quod ſubſcribant *Benedictus* & *Clemens*, Romani Pontifices, quaſi *Vindonici* fuiſſent, qui tamen in Gallias nunquam ve-
410 ſeq. nerint, &c. Succedunt Obſervationes ſeptendecim in primum *Urbani V* Privilegium *S. Victoris*, Maſſilienſis, Benedictini, quo ab omni Epiſcopali autoritate monaſterium ac territorium immune & liberum credatur, cui ſubjungitur aliud *Urba-*
429 ſeq. *ni V* Privilegium, quod *S. Victorini* Benedictini excogitaſſe in Præfatione dicuntur, ſeptem Obſervationibus a *Launojo* e-
444 ſeq. verſum. Hæc ſubſequitur Inquiſitio in Privilegia Præmonſtratenſis Ordinis, ubi cum ex uno *Alexandri V* Privilegio ab

Epi-

Epiſcopali autoritate libertatem & exemtionem hauriant Præmonſtrantes, in id evertendum maxime *Launojus* incubuit. In Opuſculo, quod inſcribitur: *Capituli Laudunenſis Eccleſiæ jus apertum in Monaſteria Præmonſtrantium Diœceſis*, cum variis argumentis, tum teſtimoniis, demonſtratur, Laudunenſe Capitulum in Præmonſtrantes autoritatem habere. *Pars ſecunda* hujus *Tomi* continet Examina quorundam Privilegiorum. Cum enim Capitulum & Canonici *S. Martini*, Turonenſis, Epiſcopalis autoritatis immunes ſe dicerent, atque ea de re mota eſſet controverſia, Procurator Regis tanquam ab abuſu ad Senatum Pariſienſem provocavit. Canonici pluribus ſe tegebant Privilegiis, quorum veritatem explorat *Launojus*, atque nihil ex iis colligi poſſe demonſtrat, etiamſi vera forent, invocato tum Gallicanæ, tum Romanæ, Jurisprudentiæ auxilio. Privilegium *Adeodati* falſum ideo eſſe dicitur, quia incarnationis Dominicæ, Pontificis, & Imperatoris, anno caret, & ad omnes Galliarum Epiſcopos ſcribitur, cum tantum una cauſa agatur Epiſcopi Turonenſis: quod in eo mentio fit pacti inter Monachos *S. Martini* & *Crotberum*, Turonenſem Antiſtitem: cujus tamen pacti avtographum non habeatur. Hinc confictum hoc *Adeodati* Privilegium conjicit *Launojus*, propterea quod *S. Martini* Monachis hujus generis fraudes ſunt familiares. Quam in rem deſcripſit falſum quoddam Privilegium ab Tullenſi ſecunda Synodo conceſſum. Epiſcopi autem, qui inſtrumento ſubſcripſiſſe dicuntur tam nominibus, quam numero, differunt ab iis, qui Concilii Canonibus ſubſcripſerunt. Maximam vero hujus *Partis* partem occupat *Inquiſitio in privilegium, quod Gregorius monaſterio S. Medardi dedit*. Privilegium hoc dicitur datum VII Cal. Junii Anno ab incarnatione Dominica 594 indictione XI. At inter MStos *Gregorii VII* Codices non reperitur, eumque latuit. Sine dubio ejus mentionem feciſſet, non oblitus Auguſtodunes Xenodochii Privilegium, cum in utroque reperiatur eadem anathematis formula adverſus Reges aliosque Principes. In prioribus *Gregorii* editionibus ad calcem *Libri XII* adjectum fuerat Privilegium, nec niſi *Sixti V* tempore editione Romana locum in altero libro obtinuit. Hinc ſubditi-

Pag. 606 ſeq. — 1 ſeq. — 16 ſeq. — 90 ſeq.

U 2 tium

Digitized by Google

Pag. 133 seq. lium colligit Privilegium *Launojus.* Susceperat hoc quoque Privilegium propugnandum *Quatremarius*, Benedictinus, quem refutaturus ille, Assertionem edidit suæ Inquisitionis tribus Partibus constantem. In hoc libro ea, quæ ad Privilegia exemtionesque pertinent, tam docte pertractasse dicitur, ut vix quidquam desiderari possit. Præf. 18.

S. AUGUSTINI, EPISCOPI HIPPONENsis, ad OPTATUM, Episcopum Milevitanum, de Natura & origine animæ Epistola secunda. Accessit ejusdem S. AUGUSTINI Epistola de Pœnis parvulorum, qui sine Baptismo decedunt, scripta ad PETRUM & ABRAHAM. Prodeunt nunc primum ex Bibliotheca liberæ & exemtæ Ordinis S. Benedicti, Abbatiæ Gottwicensis.

Viennæ Austriæ, apud Jo. Adam. Schmidium, 1733, fol.
Plag. 7.

Epistolas hasce duas, antehac nondum editas, cum orbe erudito communicat Ven. Abbas Gottwicensis cœnobii, *Godefridus*, suæque in partem lætitiæ vocat Reverendissimum & Illustrissimum Dominum *Dominicum Passioneum*, Archi-Episcopum Ephesinum, *Clementis XII* ad Augustissimum Imp. *Carolum VI* cum facultate Legati de latere nuntium, cui utramque Epistolam dedicavit. Opera *Augustini* dudum formis publicis descripta prodierant, nominatim Basileæ A. 1505 per *Joannem Amerbachium*, ibidem A. 1529 cura *Desiderii Erasmi* typis *Frobenianis*, A. 1577 ex typographia *Plantiniana*, A. 1689 Parisiis cura Monachorum Benedictinorum e Congregatione *S. Mauri*, Amstelodami recusa A. 1700 cum Auctario, & quidem studio *Joannis Clerici*. Nihilo secius hæ duæ Epistolæ nondum formis publicis fuerant expressæ. In præsens haud licet Pontificiis dubiam de *creatione animarum* amplecti sententiam. Ipsi enim statuunt, ipsas in dies e nihilo creari,

Digitized by Google

creari. ac ſingulas ſingulis infundi hominibus. Lites de peccato animæ innato Theologos plerumque habuere ſolicitos, & ipſæ ſemper arctiſſimo vinculo quæſtionem de animarum origine attigerunt. Creationem ſuadet ſimplicitas animæ; propagationem animarum ingerit doctrina de labe innata. Neutri veritati repugnat natura animæ. Ad propagationem propendet *Auguſtinus*; creationem præferebant *Hieronymus*, Stridonenſis, *Optatus*, Milevitanus, aliique. *Auguſtinum* mordebat ſcrupulus ille, quomodo animæ non ex Adamo veniant, & tamen ex illo juſtam ſortem damnationis trahant, niſi ad remiſſionem peccatorum perveniant renaſcendo. Scripſit *Auguſtinus* A. 914 *Libros quatuor de Anima & ejus origine*, quorum primus eſt ad *Renatum*, Monachum, alter ad *Petrum*, Presbyterum, reliqui duo ad *Vincentium Victorem*. Porro inſignem de *Origine animæ hominis* ad *Hieronymum* dedit librum, quo, *Pelagianos* refutaturus, non approbat illam *Hieronymi* opinionem, docentis, *ſingulas animas novas naſcentibus fieri*. Reſcripſit *Hieronymus*, ſed, quo minus opinionem ſuam tueretur argumentis, anguſtiis temporum fuit excluſus. *Optatus* inde, Milevitanus Epiſcopus, de argumento hoc ſpinoſo ad *Renatum*, Monachum, Cæſaream Mauritaniæ literas dedit. *Renatus* & quidam *Mureſſe* eam ob cauſam petierunt ab *Auguſtino*, ut ſententiam ſuam exprimeret. Reſcripſit *Auguſtinus* A. 418 Epiſtolam ſatis amplam, ſecernens certa religionis Chriſtianæ dogmata a quæſtione ipſa, in qua modeſtiſſime ſeſe gerit exponenda. Biennio poſt alteram reſcripſit *Optatus* Epiſtolam, quæ periit, & qua opinatio de creatione animæ denuo fuit propugnata, tanquam recepta & antiqua. Reſpondit *Auguſtinus* admodum humaniter in ea Epiſtola, quæ hic in dias luminis profertur auras, ſuam de origine animæ ignorantiam aperte confeſſus, ac, certum quid in hac controverſia ſtatui poſſe, negans, aſſerens tamen, a negantibus traducem eouſque certa & perſpicua e ſacris literis teſtimonia nondum fuiſſe adducta. Tres *Auguſtini* de hoc argumento exſtitiſſe ad *Optatum* Epiſtolas, patet ex *Fulgentii Lib. III de Veritate Prædeſtinat. & Gratiæ Cap.*

18. Secundam Epiſtolam Ven. Autor, & evocatus in ſuppetias perquirendarum membranarum veterum *R. P. Bernardus Pezius*, de Republica literaria immortalem in modum meritus, A. 1732 adulta æſtate invenerunt in Codice Bibliothecæ Gottwicenſis membranaceo, cujus ſcriptio ad Seculum XII referenda. In Codice eodem poſt ſecundam *Auguſtini* ad *Optatum* Epiſtolam ſupererat alia, æque inedita, ad *Petrum* & *Abraham*, quos Præſul Hipponenſis *dominos dilectiſſimos & ſanctos filios* vocat, quosque prædicat eo, quod ſic inſtituerant vitam, qua Deo ſerviebant, ut legendis ſcriptis ipſius, adverſus Pelagianos Ethnicosque concinnatis, vacarent. Pluſcula quæſierat uterque ex *Auguſtino*, inprimis an parvuli, qui nihil male vivendo addiderint ad originale peccatum, ante ſuſceptum Baptiſmum defuncti, a Deo condemnentur. Hoc ipſum & in reſponſoria hac & alibi *Auguſtinus* promte conſtanterque affirmat, eo quod non credentes condemnentur. De cetero, ſeſe ad omnia jam pæne in Opuſculis ſuis reſpondiſſe, addit, diſſerens nonnihil de ſuo *de Civitate Dei* Opere, cujus XIV Liber enodatas propoſiturus ſit quæſtiones, quas uterque in Epiſtola ſibi enodandas propoſuerat. Gratulamur tantis Viris tam felicem de publico bene merendi occaſionem, & exoptamus, ut complures Bibliothecarum ſcrutatores eadem queant exſultare.

CHRISTFRIEDI WÆCHTLERI, JCTI ET Advocati Dreſdenſis quondam Celeberrimi, Opuſcula Juridico-Philologica rariora, in unum Volumen collecta; cum Præfatione CHRISTIANI HENRICI TROTZII, JCti.

Trajecti ad Rhenum, apud Jacobum van Lanckom, 1733, 8. Alph. 2 pl. 8.

Veros JCtos, qui non tantum verba, ſed vim ac poteſtatem legum tenent & rimantur, ad emendationem earum raro, niſi ſumma id exigat neceſſitas, devenire, cum non

non minus JCto turpis ſit multitudo earum, quam Medico funerum, in confeſſo eſt. Quare nec mirari ſubit, cur Vir doctiſſimus maſculæque Jurisprudentiæ promovendæ ſtudioſiſſimus, *Chriſtianus Henricus Trotzius*, Opuſcula Juridico-Philologica rariora B. *Wachtleri* ſtudioſe magnoque pretio hactenus ab eruditis conquiſita, uno Volumine typis iteranda curaverit. Si qui enim ſunt, qui animum forenſi opera feſſum ſolida legum cognitione & interpretatione ſine multa ac varia emendatione oblectari & reſici, ac eruditis ſuis ſcriptis aliis inſervire, allaboraverunt, ſane inter eos non infimo loco erit nominandus *Wachtlerus* noſter, cujus Elogium videſis in his *Actis A. 1733 Menſe Februarii p. 91 ſeq.* nec non in pereruditа, quam Doctiſſ. *Trotzius* hiſce Opuſculis præmiſit, Præfatione, ex qua abunde elucet, meruiſſe hæc, ut nova veſte donata junctim in conſpectum proferrentur eruditorum. In principio autem, præmiſſa Dedicatione, cauſas ſatis graves, reverentiam pios erga defuncti manes, & Operum raritatem pariter ac præſtantiam, indicat, quæ eum commoverunt, ut *Wachtleri* præclara hæc Opuſcula luci publicæ exponeret. Adjecit inſuper candide & honorifice nomina eorum, qui ei, communicando rariora hæc ſcripta, adjumento fuere, ac copioſe eruditis probat, conſilio, non impetu, ad Opuſcula hæc edenda ſe accinxiſſe, præſertim cum hæc Opuſcula ſparſim in lucem emiſſa, neque ab ipſo Autore, vel ab alio quocunque, unquam junctim recuſa, & ſingulari Volumini mandata ſint, cum tamen ſecundum *Symmachi* ſententiam quodam pacto ſocietatem laudis affectet, qui aliena benedicta primus enuntiat. De Vita & Scriptis *Wachtleri* eleganter & docte in pauca congeſſit ea, quæ notatu erant digniſſima. Et, ne lateat Hiſtoria Operum &, quæ inde in rem literariam redundatura videtur, inſignis utilitas, eam quoque paucis enodavit.

Præf. pag. 1-4.

5-8.

9-34.

Horum 1) eſt a *p. 1-190* Tractatus *de Evictionibus*, quem Autor A. 1680 Dreſdæ in 4 luci expoſuit ſub titulo; *Recitatio ſingularum legum Tit. D. de Evictionibus, ubi illuſtratio textuum per continuam paraphraſin unice tentatur*; qui liber ab eruditis unanimi conſenſu exceptus ac approba-

tus

tus eſt, uti hoc commendationes laudesque *Caſpari Ziegleri*, *Gothofredi Schilteri*, & *Gundlingii*, in Præfatione adductæ, indubitate teſtantur. Eo autem gratior hic Tractatus fuit, quod exemplo *Cujacii*, *Duareni*, *Alciati*, *Brunnemanni*, aliorumque, ad ſingulas leges commentatur, & argumentum hoc per ſe ampliſſimum eſt, ac per omnes fere contractus longe diffuſum. In ipſo hoc autem Tractatu non tantum Viros inclytos, *Georgium Frantzkium*, qui *Caballinum* & *Donellum*, uti ipſe fatetur in Præfatione ad Lectorem, Commentario ad Pandect. præmiſſa, praeeuntes habuit, verum etiam *Nicolaum Burgundium*, aliosque, qui de Evictionibus ſcripſere, ſecutus, &, quæ ab illis vel pro gravitate materiæ non accurate ſatis tractata, vel plane intacta relicta, ſupplevit, vel, ſi quid humani paſſi ſint, fideliter correxit, eosque in viam rectam deduxit. Rarius Autorem falcem Criticam in hanc meſſem injeciſſe, de ſola legum analogia, vero earum ſenſu, & ratione, tantum ſolicitum, recte judicat Conſ. *Trotzius*, quædam ad Criticam ſpectantia ſub finem Præfationis adjiciens, ut vel iis faciat ſatis, qui hæc deſiderant, vel ut oſtendat, nunquam adeo bene ſubduci poſſe rationes, quin ætas, ratio, & altior ſtudiorum cura, iis aliquid addat aut detrahat. Notulas denique ipſius *Wæchtleri*, quæ in calcem Operis olim in vet. edit. conjectæ, textui jam ſubjicere ſatius duxit. 2) Sequuntur a *p. 191 - 337 Notæ ad Gerardi Noodt, JCti & Anteceſſoris quondam in Academia Lugduno-Batava, Probabilium Libros tres*, A. 1681 Vitembergæ in 8 editæ, quarum nonnullas anno præcedente Diſſertationi ſuæ Inaugurali ad Librum primum Probabilium jam junxerat Autor. Quæ ipſa Diſſertatio, uti in Præfatione, Notis his præmiſſa, indicat, occaſionem hujus Scripti præbuit. Ita autem ſe ubivis geſſit, ut modeſti & candidi Critici nomen mereri videatur. Vel ideo autem hic nobis laudandus eſt *Wæchtlerus* cum Viro erudito in Miſcellaneis Obſervationibus in *Aut. vet. & recent. Vol. III Tom. I p. 113*, quod vivum vegetumque *Noodtium*, inque flore juventutis conſtitutum, aggreſſus ſit, neque ut *Anonymus*, ceu putat Cl. *Barbeyracius* in *Eloge de Mr. Noodt, p. 61* libri, cujus titulus: *Recueil de*

Præf. pag. 36 - 41.

de Discours sur diverses matieres importantes; quem ideo humani quid hac in re passum esse, demonstat *Trotzius*. Notis hisce *Waechtleri* iteratis editionibus quædam reposuit *Noodtius*, quædam monitus tacite emendavit. Sic in prima Probabilium editione in Inscript. *Lib II Cap.* 12 erat: *Sensus ejus capitis novus ac verus. Et aliter, ac solent, exposita l. 75 §. ult. de V. S. item l. 11 §. 1 & 2, l. 30 §. 1 de Act. emt.* quæ ultima verba in sequenti omisit. Ex quibus & iisdem similibus luculenter constat, non fuisse, ut adeo invisum *Waechtleri* nomen haberet *Noodtius*, quod exprimere in scriptis suis dedignaretur. Post *Waechtlerum* se opposuisse *Noodtio* Amplissimum *Bynckershoekium*, *Ulr. Huberum*, aliosque, commemoratur; hinc jam singulis Capitibus herciscundo novas Notas superaddere non difficile fore censet *Trotzius*, cujus rei ideo infra specimen quoque dedit. Denique præstantiam hujus Operis in eo potissimum consistere tradit, 1) quod nova sint, quæ proponat, argumenta; 2) quod Opus Basilicorum cum legibus Romanis comparaverit; 3) quod Codicis Florentini exemplar, vel Codices, ad exemplar illud evulgatos, secutus, antiquas lectiones tuitus fuerit, & a vi majore defenderit. Has Notas excipit 3) a *pag. 337-390 Libellus*, seu *Διάσπασμα de vetere Jure enucleando ad Nicetam Spilium*, Argent A. 1684 in 12, excusus, ubi *Nicetam Spilium*, (cujus verum nomen fugit Autorem, eum tamen *Vincentium Placcium* non fuisse *p. 370* probat,) & Ill. *Godofr. Guil. Leibnitium*, qui per literas initiales G. G. L. L. indicatur, novum & meliorem ordinem Corporis Juris suadentes, a *p. 366* usque ad finem refellit, præmissa compendiosa explicatione Tit. Cod. de Veteri Jure enucleando. Varia hic suppleri & illustrari posse ex Ill. *Ludwigii* Comment. ad Inst. & Cl. *Conradi* Notis ad *Laur. Theodori Gronovii* Historiam Pandectarum authenticam, seu ad Epistolas tres, *Justiniani*, Imperatoris, Pandectis & Codici præmissas, putat Doctiss. *Trotzius*: sed ipsum *Waechtlerum* in *Actis* hisce A. 1713 *Mense Maji p. 205* decem & novem Capita Operis *Gronoviani* pulchre ad examen revocasse, & crisin *Gronovii* rejecisse, vel dubiam reddidisse, Præf. pag. 41-44.

X quo

quo Lectorem remittit, indeque etiam habuiſſe Cl. *Conradi* & *Wielingium*, quo nuperrimas ſuas editiones ornare potuiſſent. Ceterum haud immerito inter pia deſideria reponenda eſſe cenſet, quæ *p. 382* in fine *Wachtlerus* his verbis proponit, *Et gaudebo*, dicens, *ſi & Nicetas Spilius diſtinctum ac ſecretum a poſitivis legibus Jus Romanum meditatur, eo animi propoſito, ut eruantur ex omni textu propoſitiones innatæ.* Hoc ipſo enim feciſſet id, quod & Vir hac in re præſtantiſſimus *Sam. Puſendorfius* in Præfatione alteri editioni J. N. & G. præmiſſa, commendavit verbis: *Unde meo judicio magnopere expediret, ſuccinctum Indicem formare in libros Juris Romani, quo indigitentur, quæ ibi ad Jus Naturæ,*
Præf. pag. 44-54. *quæque ad poſitivum ſpectent.* 4) Sequuntur *Miſcellanea quædam Autoris, ex his Actis excerpta*, a *pag. 391* uſque ad finem Ordinem in his ſervavit temporum Noſter, ſimulque ſe excuſat, quod recenſiones & excerpta Actorum tantum exſcripſerit, cum ipſa illa Autoris avtographa, quæ hactenus habere non potuerit, in poſterum daturus ſit, quod & ſperandum & optandum. Erudita hæc eſſe omnia & valde curioſa, contra Viros Celeberrimos & in re literaria illuſtres conſcripta, quorum nonnulli, quos recenſet, *Wachtlerum* reſponſione dignati ſunt tam in his *Actis*, quam & alibi; rem facturos eſſe gratiſſimam & eruditis & librario pollicetur, ſi, qui nomen ſuum hæc inter Miſcellanea inveniunt, *Tomo II* reſponſiones quaſdam jungere velint. Tandem & illarum recenſionum, quæ ſine nomine ad *Acta* contulit *Wachtlerus*, accuratum ſubjecit Catalogum, præſertim quod hiſce Opuſculis jungere illa ſupervacaneum eſſe duxit; nec non Epiſtolarum & Excerptorum, quæ in fronte nomen Autoris exhibent, quo una, ut dicunt, fidelia duos dealbaret parietes, & Lectoris judicium de futuris his provocando, & ejus laborem in argumentis illis recenſendis nimium quantum levando.

54. Ut vero eruditi ſciant, qualem utilitatem ex *Tomo II Wachtlerianorum* Opuſculorum ſibi promittere poſſint, & quid bonæ ſpei reliquum ſit, & hæc communicat ſcilicet; 1) Continuationem ex *Actis Eruditorum*; 2) Diſſertationem Autoris inauguralem de re difficillima in Jure, ad *Ulpiani L.*

5 §. 2 *D*; *Commodat.* & *L.* 23 *D*; *de R. J.* ſive de gradi- Præf.
bus culpæ in contractibus, cujus occaſionem & contenta ac- pag. 54-59.
curate recenſet. 3) Lectionem curſoriam ad *L.* 7 *D*; de Pa- 59-61.
ctis, Vitebergæ in Auditorio JCtorum die Promotionis habitam.
Wachtlerum analytice hanc Legem per ſingulos Paragraphos
reſolviſſe, verum ubivis ſenſum verborumque vim indagaſſe,
Criticis Obſervationibus hinc inde adſperſis, Conſ. *Trotzius* ſi-
gillatim & fuſius deducit. 4) Orationem ſolennem, eodem die 61.
Promotionis habitam, de immortalitate boni legislatoris, quam
in partes diducit, & occaſionem dicendi declarat. 5) Ipſas inte- 62.
gras Epiſtolas, ab Autore Dreſdæ diverſis temporibus editas, quas
ſimul indicat. Accedet his Epiſtola de Numero jurium in re, ad
Virum Celeberrimum, *Schwendendœrferum*, Dreſdæ A. 1682 ex-
cuſa. Scripta eſt contra Ill. *Thomaſium*, qui ſex falſa in Diſſer-
tatione *Wachtleri* notaverat in Specimine, cui titulus: *Vindi-
ciæ pro dominio contra ſervitutem*, quod Appendicis loco
Diſſertationi *de Philoſophia Juris oſtenſa in doctrina de
Obligat. & Act.* Lipſiæ A. 1682 habitæ, junxerat. 6) *Anonymi* 63.
recenſionem ſuccinctam eorum, quæ Patres Concilii Triden-
tini pro veritate Evangelica dixerunt, ſecundum Hiſtoriam
Sfortiæ, Cardinalis *Pallavicini*, Lipſiæ ſtanno *Breitkopfiano* A.
1730 excuſam, cujus recenſionis Autorem *Wachtlerum* eſſe, pri-
mus hic publicavit *Trotzius*, & nos, quibus id certo conſtat,
confirmamus. Claudent agmen 7) *Wachtlerianorum* Lectiones 64.
Grotianæ, quarum *Liber primus* Lipſiæ prodiit A. 1680 in 12, &
ſecundus Vitebergæ A. 1682 in 12. Quocirca confutat judici-
um Autoris Bibliothecæ Juris imperantium ſibi ipſi contra-
rium. Et tandem, uti in ſuperioribus jam diximus, erudita 65-70.
quædam, quæ paſſim apud veteres recentioresque interpretes
de vera lectione legum obſervaverat, Tit. de Evictionibus, nec
non Notis contra *Noodtium* & Miſcellaneis, ſuperaddidit
quæ legi merentur. Plura etiam de altera parte Tit.
II *Lib. XXI D. de dupla ſtipulatione*, quæ ad adminicula
emtionis refertur *l.* 72 *D. de contr. emt.* a nemine adhuc pro-
feſſa opera pertractata, eaque limatiora in *Tomo II* propoſi-
turum ſe promittit; quem eruditi avide expectant, quemadmo-
dum præſentem *Tomum I* jam exceperunt.

OBSERVATIONES IN PROSPERI AQUITANI Chronicon integrum, ejusque LXXXIV annorum cyclum; & in ANONYMI cyclum LXXXIV annorum, a MURATORIO editum; nec non in ANONYMI Laterculum Paschalem centum annorum, a BUCHERIO editum.

Amstelodami, apud Jo. Boom, 1733, 4.
Alph. 2 pl. 2.

Tres in hoc Volumine Tractatus comprehenduntur, ab Autore *Anonymo* editi. Quorum unus inscribitur: *Observationes in Prosperi Aquitani Chronicon integrum, ejusque LXXXIV annorum cyclum.* In hujus Tractatus *Parte priore* Chronici *Prosperiani* Codices manu exarati, ac variæ editiones typis impressæ, recensentur, & virorum doctorum de eo judicia exponuntur; atque, hoc Chronicon integrum, a *Labbeo* editum, esse genuinum *Prosperi Aquitani* Opus, adstruitur. Deinde *Prosperi* Canon Chronicus, ab Adamo usque ad Tiberii annum XV constituitur; & ejus recapitulatio in *Tiberii* annum XV, ut & altera in Consulatum *Theodosii XIV* restituitur & explicatur; & passionis Christi annus, juxta *Prosperum*, in *Tiberii* anno XV figitur & vindicatur. Denique genuini *Prosperi* Consules restituuntur. In ejusdem Tractatus *Parte posteriore* de cycli LXXXIV annorum fine & initiis, quæ in *Prosperi* Chronico notantur, agitur, *Prosperum*que fuisse verum hujus cycli Autorem, contra *Bucherium* probatur. Porro, qualis ille cyclus fuerit, indagatur: cyclus *Prosperianus*, a *Bucherio* constructus, itemque cyclus Paschalis LXXXIV annorum, a *Norisio* editus & illustratus, expenditur, & contra hunc Autorem demonstratur, Romanam Ecclesiam tempore *Leonis*, Papæ, vero illo usam esse cyclo *Prosperiano*, non autem illo, quem ex *Anonymi* fastis edidit *Norisius*. Qua occasione etiam agitur de *Dionysii* cyclo lunari, quem accepit a Computistis Orientalibus, qui æram mundi Constantinopolitanam instituerunt, & de embolismi in hoc cyclo ratione: de embolismo in Enneadecaeteride Alexandrinorum, & de initio anno-

annorum in hoc cyclo, non a luna Paſchali, ſed a luna menſis Thoth apud Ægyptios, aut a luna menſis Septembris apud Græcos: de *Dionyſii* Epactis lunæ, & ejus concurrentibus, ſive Epactis ſolis, quas ex Cyrilli XCV annorum cyclo deſumtas, in ſuum totidem annorum cyclum tranſtulit: item de *S. Maximi*, Monachi & Martyris, computo Paſchali: nec non de iis apud *Bedam* locis, in quibus teſtari videtur, cycli decemnovennalis annos initium ſumere a neomenia menſis Paſchalis. Quibus tandem tria Diagrammata cycli LXXXIV annorum ſubjunguntur, quorum unum a *Noriſio*, reliqua duo ab Autore noſtro ſunt conſtructa. Sequitur Tractatus alter, ſive *Obſervationes in Anonymi LXXXIV annorum cyclum, a Muratorio editum.* Hunc cyclum Paſchalem, a librariis male habitum, explicat & corrigit Autor, atque methodum Latinorum Paſchalem ex eo detegere ſatagit. Deinde eundem, ut eſt a *Muratorio* editus, proponit, adjunctis correctionibus, & harum correctionum rationibus. Denique diagramma addit, cum lunationibus a luna menſis Januarii ad lunam menſis Paſchalis, & cum duplici ſerie annorum Chriſti, quarum altera ab A. 298, altera ab A. 382 deducitur, licet, hunc cyclum non citius, quam A. 382, a Romana Eccleſia receptum fuiſſe, Autor arbitretur. Reſtat Tractatus tertius, qui inſcribitur: *Obſervationes in Anonymi Laterculum centum annorum Paſchalem, a Bucherio editum.* In hoc Laterculo cyclum Paſchalem LXXXIV annorum, quo Romana Eccleſia jam inde ab A. Chr. 312, & forte jam inde ab A. 293, uſa fuit, latere putat Autor noſter, quod variis rationibus probare contendit. Eaque occaſione cyclus ille LXXXIV annorum, quo antiqui Britones, Picti, & Scoti, ſeu Hiberni, uſi ſunt, ex veterum ſcriptis exponitur, & *Uſſerii* de hoc cyclo, ejusque autore *Sulpicio Severino*, ſententia ad examen revocatur. porro de cyclo LXXXIV annorum Judaico fuſe agitatur, ab eoque cyclum Eccleſiæ Romanæ multum differre oſtenditur. Subjunguntur denique cum ipſe Laterculus Paſchalis, *Bucheriique* correctiones marginales, & variæ lectiones, ex editione *Eccardi*, tum diagramma cycli LXXXIV annorum, juxta hunc Laterculum diſpoſiti.

Digitized by Google

OPERE FISICO-MEDICHE, &c.

i. e.

OPERA PHYSICO-MEDICA, IMPRESSA & manu exarata, Equitis ANTONII VALLISNERII, collecta ab ANTONIO, ejus filio.

Tomus II.

Venetiis, apud Sebast. Coleti, 1733, fol.
Alph. 6, Tabb. æn. 36.

De *primo* horum Operum Volumine, de Vita Autoris incomparabilis, de instituto filii Editoris, *Mense Jan.* hujus Anni mentionem fecimus. Nunc *alterum* prodiit Volumen, quod quinque Tractatus *Vallisnerii* complectitur. Quorum unus Observationes exhibet de constitutione verminosa & epidemica, equos in Ducatu Mantuano & territorio Veneto infestante, itemque de lue bovina, & generatim de vermiculis pestilentialibus. Certis enim vermibus, majori copia in corpore animalium propagatis, horumque intestina, vasa, & humores pervagantibus, ejusmodi lues universas attribuendas esse, non dubitat *Vallisnerius*. Idemque animalcula, quæ equos tunc temporis in Italia afflixerunt, eorum figuram, partes præcipuas, mutationemque in chrysalides & muscas, quæ sub equorum caudis adhærescentes, ovula sua intestinis ingerere consueverant, quam accuratissime describit, ac Schematismis illustrat. Additæ sunt huic Tractatui aliæ nonnullæ Observationes; de muliere ingentem vesicularum copiam enixa; de teredinibus naves & ligna in mari arrodentibus, quorum animalculorum ovula mari prope littus innatare, ac deinde navibus adhærere, ostenduntur; de vitello monstroso; de foraminibus in aculeo Scorpionis Africani; de rara quadam locusta; de fungis e meninge humana natis; de flore aloes Americanæ; de arcano lenticulæ palustris semine, atque admiranda vegetatione;

de

de generatione & ovis anguillarum; de inſectis quibusdam marinis. Sequitur præclarum Autoris noſtri Opus de generatione hominis; de quo in *Supplem. Actor. Tom. IX Sect. IV p. 156* ſatis copioſe diſſeruimus. Tertium locum occupat Tractatus de corporibus marinis, quæ ſub montibus reperiuntur. De quibus rebus, itemque de conſtitutione telluris tempore diluvii, ante & poſt illud, ita diſputat Autor, ut pleraſque doctorum hominum opiniones afferat ac refellat, terram poſt diluvium montoſam ac minus fertilem factam eſſe neget, de cetero nihil definiat, ignorantiamque ſuam ingenue fateatur. Quartum Opus complectitur varias Obſervationes, ad Hiſtoriam Medicam & Naturalem ſpectantes: & quintum denique agit de uſu & abuſu potus & balneorum calidorum atque frigidorum. Illud *Menſe Nov.* A. 1726 *p. 495* hoc *Menſe Majo* A. 1727 *p. 221* recenſuimus. Itaque nunc nihil addendum videtur.

AN ESSAY CONCERNING THE NATURE of Aliments, and the choice of them, &c.

h. e.

TENTAMEN CIRCA INDOLEM ALIMENTOrum, eorumque ſelectum, ſecundum diverſas corporum humanorum conſtitutiones; quo varii effectus, commoda & incommoda diætæ animalis aut vegetabilis explicantur. Altera Editio; cui acceſſerunt Regulæ practicæ diæteticæ variis humani corporis morborum conſtitutionibus accommodatæ, per JOANNEM ARBUTHNOTH, M. D. Collegii Medicorum & Societatis Regiæ Socium.

Londini, typis J. Tonſon, 1732, 8.
Alph. 1 pl. 5.

Plinius, cum ea, quæ ad rem eſcariam pertinent, in Libros Hiſtoriæ ſuæ naturalis conferre vellet, Libri XX procœmio, quantum laborem hoc ipſo ſuſceperit, declarat: *Maxi-*

Maximum hinc naturæ opus ordiemur, & cibos ſuos homini narrabimus. Eodem animo & majori felicitate negotium aggreſſus eſt Clariſſimus citati Operis Autor, omnium alimentorum naturam & ſelectum, ſecundum diverſas corporis humani conſtitutiones faciendum, cum declaratione commodi aut incommodi, quod ex animalium & vegetabilium diæta enaſci ſolet, expoſiturus. Altera hæc eſt editio, regulis practicis diæteticis, ad varias morborum corporis humani conſtitutiones accommodatis, auctior. Plurima Opuſculo eleganti inſunt, jam alibi ab Autoribus antiquis æque ac recentioribus, *Hippocrate de victu acutorum*, quo Cnidiæ ſcholæ illius temporis de ſelectu ciborum dogmata recenſentur, *Galeno* in Libro de alimentis, inde a *Sebizio*, *Bruyero*, *Nonio*, *Franciſco Bonamico*, aliisque, declarata, plurima etiam ad mentem neotericorum ſcripta. *Primo Capite* variæ mutationes recenſentur, quas alimenta ſubeunt, priusquam ad ſanguinem tranſeant, adeoque de manducationis neceſſitate, ſalivæ indole, aliisque actionibus, quibus ſolida fluidioribus mixta in chylum mutantur, erudite diſſerit Autor; atque in eo maxime verſatur, ut vexatiſſimas circa doctrinam de digeſtione opiniones illuſtret. Saliva laudabilis ſanguinis pars, quæ, ſi ſalivatione provocetur, non niſi ſanguis putredine abſumtus exiſtit. Salivæ tantum deglutimus, maxime inter dormiendum, quantum cibi capere ſolemus; ſunt, qui poſt comeſtam panis libram totidem ſalivæ deglutiunt. Digeſtio fit per modum attritionis in ſtomacho, tunicis ejusdem in cibos ſic agentibus, ut emulgeatur, quicquid laudabilis ineſt, accedente ſaliva & humore œſophagi. Liquor ſtomachi acris quidem eſt, ſed non acidus, niſi in ſtatu morboſo: totum vero negotium ad leges chymicas fermentationum & putrefactionis vegetabilium, qua tota eorundem forma aboletur, redit. Utriusque bilis, cyſticæ & hepaticæ, efficacia in diſſolvendis alimentis ſeſe exerit. Inde voraciſſimorum animalium bilis quam maxime abundat, cujus acrimonia temperatur liquore pancreatico. Hoc humore & qui paulo poſt, tranſeunte per vaſa lactea chylo, ex glandulis meſarrhaicis accedit, virtus nutritii

TAB I. April. p.171.



8. Pedes

Schubart delin. Krügner sc. Lipſ.

Digitized by Google

tritii ſucci mirum quantum exaltatur, atque ipſius tranſitus ad ſanguinem ratio, in motus periſtaltici actione oſculorumque in vaſis lacteis apertura, conſiſtit. Neque vero omnis chylus per vaſa lactea utriusque generis, ductumque thoracicum, tranſit, ſed dantur ſeparatæ quædam viæ, prout in avium genere, id quod ob celerem potulentorum, aquæ maxime chalybeatæ, tranſitum ad renes & veſicam, fieri debere ſuſpicatur. Sanguificationis primarium organon ſunt pulmones, id quod tum aliis, tum hoc maxime argumento probat, quod tantum ſanguinis ad pulmones transferatur, quantum toti corpori ineſt, quo ipſo aeris effectum, & duplicem preſſionem, hinc a pulmonibus, illinc a corde, in ſanguinem, intra pulmones agentem, quo chylus ſubigatur, primo loco ponit, ſiquidem etiam vitia pulmonum nutritioni vitium inferre ſoleant. Cum autem ſola pulmonum actio ſufficiens non ſit pro immutando chylo, ſiquidem ex venæ ſectionibus patet, eundem aliquando in ſanguine candidum adhuc conſpici, arterioſi ſyſtematis proprius & communis a corde impreſſus motus, negotium inſigniter adjuvat, maxime quod preſſio oborta intra minimas arteriolas, plenariam chyli mixtionem neceſſario producat. Quid vero cum hepate fiat, cujus quædam partes arteriis, ipſo Autore fatente, carent, non declarat. In vaſorum autem elongatione, & a mollitie ad ſolidiorem ſtatum tranſitu, nutritionis formalitatem conſiſtere declarat. Cur novus quotidie chyli affluxus requiratur, eam eſſe rationem, addit, quod alioquin, uti in animalibus fame enectis fieri ſolet, quæ delirantia moriuntur, ab alcalinarum partium acrimonia fibræ cerebri male habeantur. Objectum nutritionis primarium debere eſſe vegetabilia, plurimis argumentis evincere conatur: quandoquidem ea principiorum in partibus animalibus, quibus veſcimur, diverſitas non ſit, qualis in ſuccis plantarum obſervatur, oleoſis, reſinoſis, dulcibus, acidis, variorumque ſaporum, alcalinis, volatilibus, ſale eſſentiali impregnatis, terreſtribus, balſamicis, quo ipſo clarum eſt & nutritias & medicamentoſas inſimul eſſe poſſe plantas in uſum tractas, maxime vero id præſtare farinas ſeminum, quorum ſingulorum criterium exhibetur,

 fru-

Digitized by Google

ſit ejus conditio, judicarent. Factum id eſt felici ſucceſſu, nec minori fiducia, æquum laturam de conatu, compendiariam rei hiſtoriam condendi, judicium, literariam rempublicam. Antiquioribus notiſſima temporibus planta Aſiæ ſaltim Africæque terras incoluit. Inde *Plinii* induſtriam ſubterfugere non potuit, a quo ſic ſatis bene deſcripta habetur (*) Arbor Pala, pomo & ſuavitate præcellentior, quo ſapientes Indorum vivunt. Folium alas avium imitatur, longitudine trium cubitorum, latitudine duum. Fructum cortice emittit, admirabilem ſucci dulcedine, ut uno quaternos ſatiet. Arbori nomen Palæ, pomo, Arienæ. Plurima eſt in Sydracis, expeditionum *Alexandri M.* termino. Eſt & alia ſimilis huic, dulcior pomo, ſed interaneorum valetudini infeſta. Edixerat *Alexander*, ne quis militum ſuorum id pomum attingeret. Explicat de Muſa locum *Alpinus*, & poſt eundem *Horti Malabarici* Autores, quamvis dubium cuidam eſſe poſſit, cur alas avium imitari dicantur folia, niſi, quod a coſta rigida folium dividente, pennarum æmulo ordine, nervi aut tracheæ ad marginem excurrant. Eadem ab avium pennis deſumta ſimilitudine negotium explicat *Hans Sloane* in Hiſtoria naturali Jamaicæ *Tom. II p. 141*: *The leaves, when they firſt come out, are whole, but afterwards by the wind are crack'd and cut into very narrow parts, imitating ſomewhat the feathers of births, as far as the middle ib, to which they ſtik, looking as if they were pinnæ.* Folia, quo tempore primum prodeunt, integra ſunt, verum poſtea, ventis diſcerpta, in tenuiſſimas partes diſſecantur, imitata tantiſper avium pennas, ad mediam uſque coſtam, cui inhærent fibræ, non aliter, ac ſi pinnæ eſſent. *Theophraſtus Ereſius* eandem plantam haud obſcure innuit, a quo in palmarum genere recenſetur, folio ceteris ampliore, & fructu longe majori, magnitudine mali punici & figura oblonga, quæ deſcriptio cum altera Muſæ ſpecie, quæ fructu eſt ad rotunditatem accedente, non male convenit. Sequuntur hanc ſententiam *Geſnerus* & *Caſpar Bauhinus* in Pinace, & palmis accenſent noſtram, utpote qui methodi minus ſtudioſi fuerint, ſufficere, quo palma ſit, arbitrati, quod florem fructumque, in theca latentem, ante eru-

(*) *Nat. Hiſt. Lib. XII Cap. 6.*

Digitized by Google

eruptionem racemi inſtar gerat, & quod ſtirpe gaudeat foliorum ſtratis conſtante, indigni propterea, qui male habeantur a Neotericis. Arabum maxime tempore inclaruit planta, inde ab *Avicenna, Rhaſi, Serapone*, inter medicinas relata, cujus fructus thoracis pulmonum renumque cruciatibus ſolatium afferre crediti ſunt. Mirum ſane eſſe nemini poteſt, quod familiaris admodum Arabibus medicis fructus hic Ægypti Aſiæque incola, fuerit, utpote qui peritiam artis vel ex alexandrinæ vel bagdadenſis ſcholæ penetralibus hauſerant. Inde plurium Autorum induſtria, quotquot ſpecioſiſſimam plantam patrio ſolo naſcentem viderant, vel relatam ab aliis acceperant, deſcripta & penitus evoluta fuit, a quibus variis hinc inde nominibus inſignita deprehenditur. Antiquius, poſt Pala *Plinii*, Muſæ nomen nullum eſt, Arabicæ originis, nec latinæ, uti videtur *Franciſcano* cuidam, quem ridet *Cluſius* in *Exot. Hiſt. Lib. II p. 229*, quod Muſis digniſſima ſit, & in earundem honorem ſic appellata. Inter exotica nomina Sinenſium, Javanenſium, Malabarorum, quibus hanc plantam appellitant, prout leguntur apud *Horti Malabarici* Autores *Tom. I p. 20, Tala, Quelli, Kely, Pa-cyao*, obtinuit apud noſtrates & communis uſus eſt appellatio *Piſang*, quamvis & alia paſſim habeantur apud Autores. Sic enim legitur: Muſa caudice viridi fructu longiore falcato, anguloſo. *Hans Sloane Cat. Jam. p. 189* Muſa, *Muntingii* Phyt. F. 4 & 5 Banana, Banantes, Ficus Judica, *Munting, p. 26 & 83* Ficus Indica & Sinica Boym Flor. Sineneſi, Lit. B. Dudaim Ludolphi. Obtinet apud Anglos nomen *Plantain-Trees*, autoritate *Dampieri* & *Sloane*; reddit laudatus *Sloane* denominationis rationem. *It is called plain from the largeneſs of the leaf*, a latitudine foliorum nomen obtinuit. Plura ſcire cupientibus de nomenclatura plantæ ſupellectilem dabunt, præter *Hortum Malabaricum*, loco citato, *Jonſtonius Hiſt. Nat. de Arboribus Lib. II p. 140*, *Dalechampii Hiſt. gen. omnium plantarum Lib. XVIII Cap. 74*, *Guilielmus Piſo* de Indiæ utriusque re naturali & medica. Ea eſt plantæ venuſtas & foliorum maxime pulchritudo, ut mirum eſſe nemini debeat, quod omnium fere vel itinerariorum

Digitized by Google

vel botanographorum oculos animosque attraxerit, utpote quam præſtantia corporis primo inter vegatibilia loco ſtare poſſe nemo facile inficiabitur. Indigena eſt Aſiæ Africæque provinciis, inde ab *Alpino* per Ægyptum, a *Rauwolſio* per Syriam, a *Mandelslo p. 216* apud Congenſes, & *p. 219* in Capitis viridis Inſulis, a *Linſchotto* & *P. Labbat* apud Guineenſes, detecta & deſcripta, &, ſi *Sloanio* fides eſt, ex Canariis Inſulis & Guineæ regionibus ad Inſulas Oceani, utriusque Indiæ terras, ob fructus dignitatem delata, ſiquidem apud Amboinenſes in Inſula Madagaſcar Maldivenſibus etiam & Antillibus Inſulis, a *Rochefort*, *Purgas*, *Dampier*, aliisque, quorum Catalogum vide apud *Sloane p. 147*, ita abundat, ut & victui hominum & brutorum & aliis quamplurimis uſibus œconomicis inſervire ſoleat, ſiquidem pani conficiendo aut aliis ex arte culinari, deliciis deſtinari fructus, itemque pabulum elephantibus præbere, aut utenſilium variorum, mapparum, linteolorum, pannorum etiam ſepulchralium, loco adhiberi folia penes Africæ aut Indiarum populos, probatiſſimorum Autorum teſtimonio conſtat. Quæ ſi tantopere prædicantur in planta, quæ vulgaris eſt in natali loco, quid nobis agendum, quibus felicitatis loco æſtimandum, peregrinum hoſpitem in horto noſtro ad ſingularis ſtaturæ, quam majorem in patria vix indipiſcitur, majeſtatem, & ſingularem fertilitatem, educaſſe. Poſtquam enim in horto Viennenſi Sereniſſimi Principis *Eugenii* A. 1731, inde in celeberrimo horto Carolsruhano Sereniſſimi Principis Baden-Durlacenſis, quem Statorem & Vindicem veneratur Botanica, A. 1712 floruiſſe, fructusque maturaſſe, deprehenſa eſt planta, tertio loco nos ejusdem honoris compotes factos gloriamur, dubii forte, utrum noſtra prædictis proceritate foliorumque menſura ſuperior non extiterit. Equidem, cognita jam indole plantæ, dubium non eſt, alias juvenes, quæ adultæ, jam decrepitæ, & ablato fructu morti vicinæ proles ſunt, ſimili ſucceſſu florituras, ſicut & aliæ quamplurimæ rariores plantæ, ſua, qua proveniunt, facilitate fere contemtum ſui pepererunt. Interim noſtræ, quæ prima, poſtquam aliæ plures induſtriam culturæ eluſerant, Floram Lipſienſem

enſem proventu ſuo ornavit, ſtatuendum eſt æternitatis monumentum, recenſitis, quæ a prima juventute ad ἀκμὴν uſque obſervari in Muſa feliciter ſuccreſcente ſoleant. Utrum arbor,an frutex, an herba ſit, ſi durationem & ætatem plantæ conſideres, dubium quibusdam eſſe poterat, promiſcue certe ab Autoribus inter herbas recenſetur. Noſtro tamen judicio, cum non tam ſtaturæ, quo arbor aliquod vegetabile exiſtat, ſed fibrarum lignearum in ſtirpe, habenda ſit ratio, brevitas etiam vitæ, quam vivit, vix perennium claſſi intereſſe permittat hanc plantam, annua habenda erit planta teſtimonio *Sloane*, qui ſic pronuntiat: *Every three cut down dies and others always are coming out from the Roots as Suckers and grow up in a years time to the d[illegible] bignes, have fruit and then die, others ſucceeding.* Singula arbor abciſſa moritur, aliis ſemper ex radice ſuccedentibus. Noſtra autem, quam impatienter fert, terra, quam magna etiam cura ejus culturæ ſuſcipiatur, altero demum anno adoleſcit. Si radicem intuearis, ad tuberoſarum claſſem tantiſper inclinat. Eſt ea, plurimis laminarum ſtratis compoſita, uti ſolent bulboſæ, ſatis ampla pro magnitudine plantæ & fibris ad baſin donata, pulpa conſtans alba ſuccoque viſcido prægnante, quam rubella undique lamina, in primum folium ſeſe explicans, ambit. Inde totius ſtirpis, quæ radici proxima eſt baſis, eundem in modum rubicunda apparet. Accedente incremento motuque vegetabili intrinſeco, folia, quæ ſeſe mutuo ambiunt, non aliter, ac chartæ convolutæ, explicantur, unumque ex altero procedit, quo ipſo totus trunci habitus arundinaceus & folioſus eſt, nec, proprie loquendo, vel corticis, vel ligni, veſtigia apparent. Cumque tota plantæ ſtatura non ſit niſi folium ex folio excreſcens, quo ſinguli folii terminus ſtatuatur, ſapienti inſtituto factum eſt, quod ſingulo folio membranacea reticularis textura interſit, non aliter ac in palmis, quarum textura itidem mere folioſa eſt, contingere ſolet. Centrum ſtirpis, quod ex media radice inter volumina foliorum adſcendit, eſt caulis florum fructuumque ferax, tracheis veniſque ſucco vegetabili quam maxime plenis conſtans, qui extra ſtirpem ſuum denique prominens,

nens, & a pondere fructuum deorſum inclinans, racemum format, qui per internodia &, uti Botanicis loquendi mos eſt, per verticillos, pulcherrimam prolem emittit. Sicut ſingula folia abſciſſa, aut ferro ſaltim ſaucia vegetabilem ſuccum ubertim plorant, ita, qui magnæ arteriæ inſtar eſt caulis, abſciſſus animam quaſi corporis ſui, cum uberrimo profluente humore, effundit, qui liquor acidus eſt, acris, adſtringens, & cultrum qui immergitur, vitriolica nigredine inficiens. Manifeſtum id eſt indicium, vim & efficaciam vegetationis & incrementi omnem ad fructus faciendi negotium tendere, dicam plura, fructum jam effictum, ſicut embryo eſt in ovulo materno, in centro radicis, quod a caule frugifero conſtituitur, præexiſtit. Quid mirum adeo, ſi tota plantæ radix hinc in fructum, inde in folia mutata, prorſus intercidat. Singularis prorſus eſt in hac planta ſuccum terræ attrahendi facultas, peculiaris etiam radicularum, ſeu fibrarum, quæ ex bulbo propendent, conformatio, quod, quo aridiores relinquantur per intervalla, eo avidius liquorem affuſum per irrorationem deglutiant, imo vero experientia conſtet, humidius habitas plantas prorſus intercidiſſe; inde ſiccatas omnino radices plantæ, in Angliam transmiſſas, ſuccreviſſe teſtis, eſt ſæpius laudatus *Sloane*. Ratio etiam exiſtit, cur cineribus ubertim miſceatur in patrio ſolo terra incremento Muſæ inſervitura. Eſt in aere, fervente etiam maxime cœlo, humidum, quod bibula ſalium corpora ſponte intrat, mollique ſuo nec præcipiti ad radicularum oſtia appulſu plus efficit, quam crudior copioſius affuſa aqua, cujus flumen ineptum prorſus eſt, quod a plus quam capillaribus vaſibus intus ſuſcipiatur. Mirati ſæpe ſumus, cur planta Muſæ in juventute ſua, ſi vitium contraxerit, mutilari impune præſcindi quoad ſummitates ſuas poſſit, tantum etiam & abeſſe, ut damnum exinde ſuboriatur, ut majores potius increſcendi vires acquirat, & denique ratiocinando deprehendimus, eo tempore, quo mutilatur, & putreſcente ſui parte privatur planta, non attingi, aut male haberi frugiferum caulem, imo vero, quo minus ſucci vegetabilis in folia emittitur, eo plus incrementi futurum in centro plantæ, quod omnium

Digitized by Google

omnium ſtratorum foliaciorum, quibus conſtat, ultimum, emergit. Singularis prorſus eſt foliorum per intervalla proventus, priusquam ultimum adoleſcentiæ terminum planta attingat. Quamprimum ex radice novum germen prorumpit, quo tempore abſcedente a majore radice novo bulbo, tumor excitatur embryonem in ſinu ſuo fovens; duo vel tria foliola apparent, nonnihil criſpa, inde, uti ſolent gramina & cannæ, medium folium, convolutum hactenus, impetrata libertate, expanditur, donec, ubi mediæ ætatis fuerit, duodecim fere pulcherrima folia conſpiciantur. Exareſcunt autem inferiora, & vel ſponte emaciantur, inde eſt, quod foliis deciduis hanc plantam *Mathiolus* deſcribat, vel artifice manu exſecantur, quo ſtirpi elegantia quædam & venuſtas concilietur. Inſignem, accepto vulnere, auſteri ſucci quantitatem plorat; illa enim eſt vegetabilis humoris copia, ut, ne vaſa crepent, aut extra debitas vias contingat illuvies, transſpirationi ſenſibiles in margine foliorum poros deſtinaverit natura, ſiquidem guttulæ ſubadſtringentes & mucaginoſæ, fere ſemper exſudant; accedit, quod folium unumquodque recens, ſeri quantitatem, ubi excreſcit, effundat. Mirum ſane non eſt, cur tantus ſit fructuum proventus in patrio ſolo, ut victui hominum & brutorum ſufficiat, ſi vis atque impetus circuli humorum omnis per caulem frugiferum, qui vas eſt cellulis innumeris, ſed ad ſenſum patentibus, pervium, ad ſummitatem tendit, nec deſinit folia hinc inde ſpargere arbor, donec flos cum fructu cauli frugifero inhærens appareat; quo tempore, uti in palmarum genere, quæ res etiam occaſionem palmis annumerandi hanc noſtram dedit, ſpathæ in conſpectum prodeunt florem fructumque continentes. Conſtant illæ binis ſemper foliis rubicundis, quorum ſingula ſingulum fructum continent, cum e contrario in palmarum genere omnis racemus unica ſpatha, (liceat termino *Sloanii*, rem apte exprimente, uti,) concludatur. Racemus ille floris & fructus ſpecioſiſſimus eſt, & in ſummitate ſua plurimis foliolis rubicundis ornatur, qui cum pondus fructuum vix ſuſtineat, declinat, ita ut fracturam ſui minari videtur. Gloriati ſumus tre-

decim maturos, & duodecim immaturos obtinuiſſe fructus cujus ſpectaculi jucunditate, ad inſignem, qua in patria terra luxuriare deſcribitur fertilitatem animum advertimus. Plures uno racemos ad mentem *Parkinſoni* efflorеſcere, nec Autorum nec noſtra avtopſia comprobatur. Duo certe nobis hic agenda reſtant, nempe curatior floris fructusque conſideratio; quamprimum ſpathæ illæ rubicundæ defluvium patiuntur, flos ſuper fructum exiſtens conſpicitur, ipſo fructu jam ſatis adulto & ſex pollicum latitudinem æquante, quo clarum eſt, florem tempore priorem fructu non exiſtere, ſed, uti mos eſt plerumque illis, quibus calyx mutatur in fructum, ſupernaſci, ſiquidem ejus piſtillum & ſtamina ſic alte in ſubſtantiam fructus radices agunt, ut hoc ipſo evadant non decidua. Ipſe flos fructus cauſa & comes, nobis idem viſus eſt, quem *Sloane*, quo nemo alius plantam noſtram curatius deſcripſit, optime explicat. Tribus aut duobus petalis conſtat, deciduis & perianthio ſuo incluſis. Structura eorundem tenerrima eſt, membranaceæ texturæ, quam ex luteo ruſeſcentes ſtriæ ad longitudinem perambulant, & cum magnitudine inter ſe conveniant petala, ſitus tamen ratione, quem irregularem admodum obtinuerunt, anomalis ſunt accenſenda. (A) Danda ſane eſt opera, ne cum petalis confundatur perianthium, (B) quod regulari quidem laciniarum ſuarum poſitu ab anomalia recedit, ſingulare tamen hoc habet, quod ex cortice fructus emergat adeoque nec defluvium patiatur, quod calycis ipſius folioſa ſit expanſio. Non defuerunt ex Autoribus, qui a *Plumierio* inducti pro flore eſtimaverunt perianthium, negligentiores petalorum, diverſæ prorſus ſtructuræ, quæ intra pomœria hujus primi foliolorum ordinis conſpiciuntur. Imo, ſi magnitudinem, figuram, colorem, qui ſanguineus fere eſt in perianthio, maxime vero defluvium conſideres, dubium ſupererit nullum, eam quæ immota & non decidua per omne fructificationis tempus ad maturitatem uſque, ſupereſt, floris partem, pro involucro ſaltim floris non pro flore ipſa habendam eſſe, quod conſtantis ſit obſervationis in plantis quarum calyx mutatur in fructum, perianthium tanquam calycis partem

TAB. IV.



Digitized by Google

tem, non decidere. Ipſe adeo flos potiſſimum conſiderandus eſt, maxime notabilis, quod alternatim, modo perianthio antedeſcripto gaudere, modo eodem carere, deprehendatur. Accedit, quod flos, qui perianthio deſtitui viſus eſt ab obſervatore (C), non niſi dipetalus & prorſus anomalus ſit, heterogeneis etiam figura petalis conſtet, cum alter intra perianthium latens tria petala ſubrotunda, excavata & in ſummitate uniformia (D) obtinuerit. Præter autem, quod flos alter dipetalos ſitu foliolorum inſigniter diſcrepat, ipſorum petalorum diverſa a ſe invicem exiſtit forma, cum alterum fere rotundum ſit & minus cuſpidatum, (E) alterum vero longum & tribus apicibus, quibus duæ cuſpides breviores ſubſunt, exornatum (F). Nihil impedit inſignis illa florum ſuper eandem plantam differentia, quo minus idem omnino fructus futurus ſit, id quod rarum eſt & in paucioribus generibus reperiundum. Eadem porro eſt in utriusque generis flore piſtilli ſtaminumque conditio. Singularis eſt piſtilli indoles, eo, quod ex fundo totius fructus, quo loco verticillatim petiolo communi adhærent cum aliis vicinis, exſurgat, totumque fructum medium ad ſummitatem uſque perambulet (G); quandoquidem non niſi per vim ſeparari a fundo, cui inhæret, poteſt (H). Eadem prorſus eſt ratio ſtaminum, quæ quaterna, aliquando quina eſſe ſolent, quorum rudimenta profundius jacent. Si enim ſegmentum fructus, quod perianthio floris vicinum eſt, accurate conſideres, (I) deprehendes, ordines fibrarum duriuſcularum pedetentim in ſtamina ipſa deſinere, quæ clavorum inſtar ſummitati fructus infixa ſunt, (K) adeoque immota remanent, nec defluunt, quantum in noſtro exemplari obſervare licuit, quamvis diverſa fructuum figura ſit in Icone Malabarico. Fructus ipſe jam ſatis adultus eſt, quo tempore apparet, ſiquidem coævus cum flore exiſtit, duodecim vero pollicibus major eſſe deprehenſus non eſt, quadrangularis figuræ, & omnino cucumeris inſtar incurvus, quæ ratio eſt, cur *Muſa fructu cucumerino* ab Autoribus dicatur. Dictum jam alibi eſt, plures ex eodem petiolo fructus ſubnaſci; fieri etiam ſolet, ut monſtroſa plantæ fœcunditate, ge-

Digitized by Google

melli fructus & coaliti obſerventur, ob nimiam corporum contiguitatem. Mira ſane eſt arboris fertilitas uſusque œconomicus prorſus ſigularis. Si enim proventus eſt, qualis ab horto Malabarico loco citato depingitur, mirum non eſt, cur ſingulari induſtria ab Æthiopiæ, Guineæ, Indiarumque populis excolatur, ita, ut ſylvas Muſarum obvias undique deprehendere Autorum teſtimonio, liceat. Fructus per medium ſectus varias exhibet meditandi commoditates; cortex per maturitatem ſua ſponte dehiſcit (L), qui non tantum omni, qua patet, ambitu ſeparatus eſt a pulpa, ſeu fructus viſceribus, ſed & ſapore adſtringente ab interna partium dulcedine plurimum differt. Vaſa vegetabilem ſuccum vehentia ad oculum in eodem apparent, maturitatis etiam ſigna haud obſcura deprehenduntur in fructu, ſi flavum colorem induxiſſe deprehenditur. Animadvertit *Sloanius* in patria terra virides fructus ab incolis domum auferri, & maturitatem judicari, ſi flavi facti fuerint. Nobis, qui, niſi re prorſus declarata, pronuntiare noluimus, viſi ſunt maturi eſſe, cum flavedine gauderent citri fructuum æmula, quo tempore pulpam guſtavimus dulcem, pomorum Porſtorſianorum inſtar. Soliciti maxime fuimus de inveniendo ſemine, quod tantæ tamque magnæ plantæ par eſſet, &, ſi dicendum, quod res eſt, nullum invenimus. Sentit nobiscum *Muntingius*, diſſentiunt *Boerhaave*, aliique. In quatuor ſegmenta (M) pulpa dehiſcit, ſicut ſtaminum numerus quaternarius eſſe ſolet; inde eſt, quod inter Luſitanos ob crucis venerationem cautum ſit, ne quis cultro fructum diſſecet, verum in omni fructus ambitu ſemina, quæ tantam plantam decerent, invenire non potuimus. Fallunt oculum in recenti, pulpæ diviſiones, reticulari modo factæ, quo ipſo cucumerina ſemina ineſſe credi poſſent. Verum evaneſcit cum maturitate omnis ſemina deprehendendi fiducia. Hoc unicum largimur, eſſe in pulpa punctulorum nigricantium minimorum ordines, qui ſemina minuta mentiuntur (N), ſed quotusquisque eſt, qui neſciat, pro ſtatura uniuscujusque plantæ conveniens eſſe debere ſeminis volumen, quod, reſpectu ad tam parvula ſemina habito, nullum eſt in noſtra? Inde definire contra fide

de digniſſimorum Autorum ſententiam non audemus. Gloriamur obtinuiſſe literas a Magnifico *Heuchero*, Archiatro & Conſiliario Auguſtiſſimi Regis noſtri & Profeſſore Vitembergenſi, quibus oculatiſſimus ille Botanicus in *fructu Muſæ Viennenſi*, a Principe *Eugenio* transmiſſo, nigriuſcula ſed minuta ſemina vidiſſe ſe profitetur. Eadem eſt *Sloani* ſententia. Poterunt, quarum nobis expectatio eſt, plurium plantarum proventus rem obſcuram planiorem reddere. Hoc unicum profitemur, ſicut dantur plantæ, quæ, quod radice luxurient, uti hæc noſtra, ſeminibus carere poſſunt, ita parum intereſſe, utrum, prout in ficu, perfecta ſint ſemina plantæ, cujus radix ſtolones copioſiſſimas, bulboſarum inſtar, emittens, ſeminis defectum ſupplere poſſit. Magnum collaturi ſunt in communem ſcientiam beneficium curioſi, quibus uberiora de hoc negotio meditandi occaſio ſubnaſcitur, ſi obſervationes noſtras ſuis vel corrigere vel corroborare, non dedignabuntur. Liceat nobis, exemplo *Jacobi Bontii* inductis, qui plantarum ſuarum, quas ſingulas deſcripſit, memoriam carmine condidit, hæc de elegantiſſima planta, Muſa, tum ea, quæ fructu eſt cucumerino, tum ea, quæ rotundiore exiſtit & caule maculato, deſcribente *Pluckenetio Alm. p. 245*, hæc corollarii loco addere;

Æthiopum terris ſabulo nutrita calente
Tranſiit ad populos Indum Gangemque colentes;
Deſine mirari Lector: jam frigidus Arctus,
Proceram gignit, flores fructusque ferentem,
Quos dapibus Regum dignos dijudicat orbis.

WILH. ERN. EWALDI, V. D. M. ALTONAvienſis, Emblemata ſacra miſcellanea.

Lipſiæ & Altonaviæ, apud Jonam Korte, 1732, 4.
Alph. 1 pl. 16, cum fig. æn. 1.

Ad Scripturæ Sacræ cognitionem apprime eſt utile, metaphoras ac allegorias, in prophetiis ſæpius adhibitas, rite intelligi. Quare ſacrorum Emblematum expoſitio labor eſt ſuis utique laudibus condecorandus. Ad eum autem dextre ac feli-

citer perficiendum, non tantum linguarum & antiquitatum peritia requiritur, ſed adſit etiam neceſſe eſt acumen ingenii in excogitando acre,& excogitata aptis coloribus exornandi dexteritas, nec non vehemens quædam mentis vis, de iis, quæ nobis conſtant, veriſſime judicandi. His omnibus egregie inſtructum eſſe Cl. Autorem, hæc teſtantur Emblemata, in quibus ipſum ſatis erudite ac feliciter verſatum eſſe, Lector facile animadvertet. Non enim, quod Reformatorum multi ſolent, typos ac ſenſus myſticos pro arbitrio fabricandos, ſed in ſacris his myſteriis verſandum caute ac circumſpecte, putavit. Ea de cauſa viginti quatuor ſelegit loca Scripturæ, ex quibus non illatum, ſed innatum,& ab ipſo Spiritu Sancto adhibitum Emblema accuratiori perveſtigatione comprehendere ſtuduit. Non dubitat quidem, fore nonnullos, qui in his quædam ex antiquitatibus ſacris & profanis longius petita exiſtiment, quam ut ad locum præfixum quadrarent, ſperat tamen, ſi non hujus, aliorum certe Scripturæ locorum, in quibus idem occurrat Emblema, & ad idem alludatur, illuſtrationi ejusmodi prolixiorem Symboli enucleationem inſervituram. Diviſit autem Emblemata ſua in *duos Libros*, quorum uterque *duodecim* continet *Exercitationes.*

Pag. 1-13. *Libri primi* Exercitatio I agit de Clypeo Symbolo Dei, ad illuſtrandum locum *Gen. XV, 1*, ubi clypeorum qualitates & varios uſus ex Scriptura & Antiquitatibus ſacris & profanis
14-24. deducens, ad noſtræ ſalutis ſponſorem applicat. Exercitatio II de anima in pulvere myſtico reſpicit locum *Pſ. CXIX, 25: Agglutinata eſt pulveri anima mea.* Ubi docetur, hærere in pulvere, eſſe Symbolum 1) fragilitatis vitæ; 2) corruptionis peccaminoſæ; 3) judiciorum divinorum & anguſtiæ; 4) contemtus & ignominiæ; 5) luctus & doloris; 6) pœnitentium, & 7) ſupplicantium; imo tam victos, quam luctatores, & mortuos, in pulvere hærere dici, & ſic vario ſenſu animam pulveri agglutinatam ſiſtit. Nos quidem unius dicti non niſi unicum admitttimus ſenſum literalem, & hic, ſuffragante totius verſus contextu, ſermo eſt de mortalitate noſtra, cui opponitur ſperanda ſecundum verbum Dei vivificatio alia: *Licet adhæreat pulveri vita mea, me tamen vivifica ſecundum*

verbum

Digitized by Google

verbum tuum. Minime tamen in Cl. Autore operoſiorem pulveris Symboli illuſtrationem improbamus. Exercitatio III de vexillo, Meſſiæ Symbolo, eſt ad *Cant. V, 10: Candidus & rubicundus eſt dilectus meus, conſtitutus in vexillum à myriadibus.* In his verbis alluſionem ad columnam nubis & ignis Cl. Autor deprehendit, de qua non minus, quam de veterum vexillorum qualitate & uſu, copioſe diſſerit, eleganterque omnia ad Chriſtum applicat. Exercitatio IV de luna, Eccleſiæ Symbolo, ad *Cant. VI, 9,* reſpicit, ubi luna plena eſt pulchritudinis Eccleſiæ Symbolum, quando Spiritus Sancti donis eſt pleniſſime colluſtrata. Exercitatione V de Sepulchris dealbatis, hypocritarum Symbolo, ad *Matth. XXIII, 27,* Cl. Autor animadvertit, duplex ineſſe myſterium, primo, Phariſæos ob hypocriſin & mores perſonatos comparandos eſſe parieti dealbatæ, deinde hos fore publicum in Eccleſia Chriſti ſcandalum, quod Apoſtoli, ut Sacerdotibus N. T. non minus cavendum eſſet, quam Sacerdotibus V. T. cavendum erat ſepulchrum. Exercitatio VI eſt de Aquilis ad cadaver congregatis, Symbolo Romanorum, Judæos, ac barbararum gentium Anti-Chriſtum devaſtaturorum, ad *Matth. XXIV, 28.* Exercitatione VII de Stridore dentium, Symbolo pœnarum infernalium, ad *Matth. XXIV, 51,* Cl. Autor illud agit, ut oſtendat, non reſpici in loco illo ad famelicum, aut frigus ingens, ſed ad Tophet, ſeu vallem Hinnon, ubi Molochi cultus olim celebrabatur, & liberi in fornace candente huic idolo immolabantur. Nititur autem contextus circumſtantiis. Stridor dentium conjungitur cum tenebris exterioribus & camino ignis *Matth. XIII, 42.* Jam vero Tophet erat vallis 1) extra Hieroſolymas; 2) tenebricoſa; 3) in qua ad comburenda cadavera & inquinamenta perpetuus erat ignis. Damnatorum itaque ſtridor dentium eſt Emblema deſperationis, livoris & invidiæ, iræ & indignationis, horroris ac metus, murmurationis & impatientiæ, conviciorum denique ac blasphemiarum in gehenna. Exercitatione VIII de tenebris exterioribus, Symbolo pœnarum infernalium, ad *Matth. XXV, 30,* iterum putat ad Tophet alludi. Exteriores enim vocari tenebras, quia locus ille horridus extra Hieroſolymas prope vallem Kidron ſitus fuerit, ubi cadavera

Pag. 25-39. 40-59. 60-70. 71-84. 85-93. 94-103.

Digitized by Google

ra projiciebantur inſepulta, & omnia impura comburebantur.
Pag.104-111. Exercitatione IX de ſputo in faciem Chriſti conjecto, ut illuſionis Symbolo, ad *Matth. XXV, 30,* docetur, ſputum in aliquem miſſum denotare ſummam ignominiam, contemtum & faſtidium, quo
112-122. Chriſtum ut regem præcipue illuſiſſent. Exercitatio X de cornu ſalutis, Symbolo Meſſiæ, ad *Luc. I, 69,* demonſtrat, alludi ad cornua
123-136. altaris, ad quæ timentes vitæ ſuæ confugiebant. Exercitatio XI de ſecuri ad arborum radicem poſita, Symbolo judicii divini in Judæos per Romanos exercendi, ad *Luc. III, 9,* ſic agit, ut ſecurium materiam, præparationem, qualitates, & varios uſus in re domeſtica, militari, forenſi, ac victimarum cæſione, oſtendat. Exer-
137-148. citatio XII de potu ſanguinis Chriſti myſtico & ſymbolico, ad *Jo. VI, 55,* eruit analogias typicas inter merita Chriſti & ſanguinem ſacrificiorum V. T. qui per Sacerdotes in vaſe excipiendus, varie ſpargendus, & ad fundum altaris effundendus erat. Potum vero ſanguinis Chriſti de viva meritorum Chriſti per fidem applicatione explicat.

149-159. In Emblematum *Libro ſecundo* Exercitatio I eſt de Somno, mortis Symbolo, ad *Jo. XI, 11.* Elegans eſt locus, quem ex *Auguſtino* adducit: *Mortuos dormientes appellare Scripturæ veraciſſima eſt conſuetudo, ut, cum dormientes audiamus, evigila-*
160-168. *turos minime deſperemus.* Exexcitatio II de primogenito ex mortuis, Symbolo Chriſti, ad *Col. I, 18,* docet, alludi ad primogenitos V. T. qui erant typus Meſſiæ, cui competebat principatus & ſacerdotium, & qui ſe pro fratribus ſua morte ſanctificabat. In explicatione phraſeos *ἐκ νεκρῶν* hiſtoriam trucidatorum ex Ægyptiis & ſervatorum ex Iſraelitis primogenitorum in ſubſidium
169-177. vocat. Exercitatione III de *α* & *ω*, nomine Chriſti myſtico, ad *Apoc. I, 8,* putat Autor, his literis præcipue ad Scripturam Sacram
178-188. reſpici, cujus *α* & *ω*, i.e. totum argumentum ſit Chriſtus. Exercitatione IV de lachrymarum abſterſione myſtica, ad *Apoc. XII, 17,* Cl. Autor ſupponit, nullum lachrymis &, quæ illas provocant, miſeriis locum relictum iri in ultimis Eccleſiæ militantis temporibus, poſt toleratas graviſſimas Anti-Chriſti perſecutiones, & poſt converſionem Judæorum ac gentium ultimam. Sed tali reſtrictione ad ultima Eccleſiæ militantis halcyonia nobis non opus videtur,

Digitized by Google

detur, cum ea nondum neceſſariis evicta dentur argumentis, & Cl. Autor ipſe concedat, Deum in emphaſi poſt hanc vitam in paradiſo cœleſtis gloriæ omnes lachrymas abſterſurum. Exercitatione V de Iride circa caput angeli, ex *Apoc. X*, Pag. 189
2, oſtendit, Symbolum majeſtatis eſſe iridem, quam Diis & Deabus veteres tribuerint. 193.
Comparationem etiam inſtituit inter *Moſen* ex Sinai caput radians deportantem, & inter Chriſtum N. T. mediatorem. Exercitatione VI de Serpente, antiquo Symbolo Diaboli, ad *Apoc. XII, 9*, docet, ſic praviſſimam diaboli naturam, ejusque peſſimas qualitates, optime exprimi. 194 - 211.
Exercitatione VII de quiete mortuorum a laboribus myſticis, ad *Apoc. XIV, 13*, ſic diſſerit, ut, ampliſſimam laborum ſignificationem meditando, etiam ad peccata, pœnas, ærumnas, defatigationes animi & corporis, ipſumque agonem, reſpiciat. 212 - 222.
Exercitatione VIII de montibus in Babylone myſticis, ad *Apoc. XVI, 20*, obſervat, montes eſſe rerum publicarum ac regnorum Symbolum. Quod ſi itaque dicatur, inſulas fugiſſe, & montes non fuiſſe repertos, tunc alludi ad terræ motus, quibus ſæpe montes corruant, & ſic pervertenda Anti-Chriſti regna depingi. 223 - 238.
Exercitatione IX de navibus Babylonis myſticis, ad *Apoc. XVIII, 17*, quæ Cl. Autor proponit, redeunt ad allegorias, ex re nautica deſumtas, quibus ſtatus Anti-Chriſti Eccleſiaſticus adumbrari poteſt. 239 - 259.
Exercitatione X de fluvio chryſtallino, donorum Spiritus S. Symbolo, ex *Apoc. XXII, 1*, ſuffragante contextu, alluſionem ad paradiſum terreſtrem obſervat. Nec in genere tantum docet, fluvium eſſe Symbolum Spiritus S. ſed ſpeciales etiam rationes ex aquarum in fluviis abundantia, earumque multiplici fœcundandi, potandi, purificandique virtute, adducit. 260 - 273.
Exercitatione XI de viſione faciei divinæ ſymbolica, ad *Apoc. XXII, 4*, metaphoram illuſtrat a more Regum orientalium, quorum majeſtas manifeſtabatur tantum ſervis, coram ipſorum thronum conſtitutis. Id igitur hic innui oſtendit, ſervos Dei tandem in cognitione, amore, cultu, honore, & communione Dei intimioris fore admiſſionis. 273 - 286.
Exercitatione XII de nomine Dei in frontibus ſervorum Dei myſtico, ad *Apoc XXII, 4*, obſervandum exiſtimat, ſervis olim nomina dominorum in frontibus fuiſſe inſcripta, militibus quoque ducum nomina, & ſacerdotibus nomina 286 - 293.

A 2 Deo-

Deorum; & ſic ex inſcriptione nominis Dei ſervos Jehovæ ſeu Dei in æternum viventis intelligi. Cum Cl. Autor ſpem fecerit hunc laborem continuandi, exoptatiſſimos ipſi ſucceſſus apprecamur.

NOVA LITERARIA.

Londini publici juris facta eſt ſcheda, inſcripta: *Propoſals for printing by ſubſcription* D. Engelbert Kæmpfers *Travels into Moſcovy, Perſia, and the Eaſt-Indies: publiſhed from his original Manuſcripts, now in the poſſeſſion of Sir* Hanns Sloane. *By* Cromwell Mortimer, *M. D. Secretary of the Royal Society, and Fellow of the College of Phyſicians.* De hac Deſcriptione Itinerum D. *Engelberti Kæmpferi* Subſcriptionum ope typis committenda inibi ſequentia nuntiantur. Conſtabit Opus hoc præſtantiſſimum tribus Partibus, quarum prima iter Moſcoviam, indeque in regna Caſanum & Aſtracanum per mare Caſpium in Perſiam uſque, atque in hoc regno ad uſque urbem regiam, Aſpahanum (*Iſaphan*), ſuſceptum ordine enarrabit; ſecunda curatiorem utiliſſimamque deſcriptionem hiſtoricam Perſici regni aulæque ſub regimine imperantis Schach *Solymanni*, patris Schach *Huſſein*, exhibebit, tertia denique profectionem Aſpahano Schiraſium, urbem ex propinquis ruderibus Perſepoleos, ob *Alexandri M.* ſpurcum amorem exuſtæ, potiſſimum claram, adque loca alia non minus celebrata, Gamron, ſeu Bendarabaſſi, Maſcatti, oras Malabaricas, Ceylanum & Javam Inſulas, inque hac Bataviam, celebre Batavorum emporium, feliciter peractam renuntiabit. Annectetur huic tertiæ Parti Appendix, itineris rationem traditura, quo revertebatur *Kæmpferus* Batavia Amſtelodamum. Si adeo tres hi libri conjungantur cum deſcriptione itinerum, ab eodem *Kæmpfero* in Siamenſe regnum atque Japonenſes Inſulas factorum, a D. *Scheuchzero* edita, quæ ab harum rerum peritis communes undique tulit plauſus; plena atque omnibus numeris perfecta enumeratio narratioque fide digniſſima omnium peregrinationum ſolertiſſimi hujus Viri tenebitur, cujus egregia doctrina, de qua inter omnes abunde conſtat, non ſinit nos dubitare, fore, ut non niſi notatu maxime digna, & quæ cum utilitate omnis eruditionis

Digitized by Google

tionis conjuncta ſunt, in ejus Diariis memoriæ prodita legantur. Quam ſpem inſigniter confirmat ſtudium Viri perſpicaciſſimi ac celeberrimi, *Mortimeri*, quod hiſce Diariis in lucem publicam & dias reipublicæ literariæ auras proferendis impendere laudabiliter ſecum conſtituit. Neque enim ab eo ipſo niſi optima quæque expectare licet iis, qui ejus merita paulo norunt penitius. Seriem narrationis *Kæmpferianæ* is quidem non interturbabit ſuas admiſcendo meditationes, nec illi quidquam interſeret, niſi quod ex ipſis *Kæmpferi* MStis Annotationibus depromtum ſit; tamen, ne quid e ſilentio Editoris capiat detrimenti reſpublica erudita, eo proviſum eſt, ut peculiaribus & a textu *Kæmpferiano* ſeparatis Annotationibus ſuam ſententiam de rebus graviſſimi momenti edicturus ſit, ſicque auctario inſigni hunc eximium librum ornaturus. Tomis duobus in forma non complicata conſtabunt tres hujus Operis Partes, quibus ducentæ plagulæ, cum quinquaginta foliis figurarum æri inſculptarum, continebuntur. Nitore chartæ & typorum elegantia liber hic non erit deterior, nuper quæ prodiit, *Hiſtoria Japanica*: quæ, quod ad externum attinet habitum, cum placuerit omnibus, conſtitutum eſt, eosdem huic impreſſioni adhibere typos, & chartam æque puram. Exemplar formæ conſuetæ duabus, formæ vero regiæ quatuor Guineis conſtabit ſubſcribentibus.

Pergratum eruditis nuntium fore non dubitamus, ineunte hoc ipſo menſe Aprili venum iviſſe apud *Perachon & Cramer*, Bibliopolas Genevenſes, Tomum primum *Maximæ Scriptorum Eccleſiaſticorum Bibliothecæ*, jam dudum publicis votis expetitæ. Ea hunc titulum præfert: *Magna Bibliotheca Eccleſiaſtica, ſive Notitia Scriptorum ſacrorum & Eccleſiaſticorum veterum ac recentiorum; in qua ordine Alphabetico continentur cujuscunque religionis ac ſectæ Scriptores, qui Chriſtianæ religioni vel patrocinati ſunt, vel adverſati; ſimul & Concilia omnia; Pontifices Romani, eorumque Vitæ, Scripta & Bullæ; Religioſorum Ordinum Fundatores, &c. Omnia ab orbe condito ad noſtra uſque tempora*, Coloniæ, 1734, fol. Qui primum huncce Tomum, totius Operis velut ſpecimen, luſtrare voluerint, his ad ipſos Bibliopolas, aliosque in præcipuis Europæ urbibus celebriores, aditus

Digitized by Google

patet. Interea pergunt in cœpto labore operæ, ut Tomi ceteri, quamprimum fieri potuerit, bono publico in lucem proferantur. Iidem Typographi Genevenſes habent ſub prelo, intra paucos menſes proditurum, *Jo. a Kahl*, ſive *Calvini*, Lexicon Juridicum, cum Additionibus, nec non *Jo. Petri Fontanellæ* Deciſiones Senatus Cathaloniæ, cum Additionibus, item *Petri Garciæ* Tractatum de Beneficiis, cum Additionibus, & *Franc.* Cardin. *Manticæ* Tractatum de Conjecturis ultimarum voluntatum. Paucis vero abhinc menſibus ediderunt *Caroli Muſitani* Opera medica, cum Additionibus, *Ludovici Poſtii* Tractatum de Subhaſtatione, cum Additionibus, & *Feliciani de Oliva* de Foro Eccleſiæ Opus magnum.

Quod huc uſque tot votis, tantoque deſiderio, nequicquam expetitum novimus, *Syſtema Chronologiæ, ſcrupulis temporum Sacræ Scripturæ eximendis, nodisque expediendis, vel omnibus, vel plerisque, ſufficiens*, hoc tandem aliquando paratum preloque proximum eſſe, Reipublicæ Literariæ, non ſine ſingulari animi voluptate, nunc publice annuntiamus. Autor Syſtematis, *Alphonſus des Vignoles*, Academiæ Regiæ Scientiarum Berolinenſis, ex illius inſtitutione, Socius, & Claſſis Mathematicæ Director, jam dudum inter doctos celeberrimum nomen, Vir non minus propter ætatem venerabilis, (nam quartum & octogeſimum annum ſuperavit,) quam propter profundam & ſolidam in rebus Chronologicis ſcientiam maximopere ſuſpiciendus videtur. Hic tantus Vir Opus eximium, florente ætate in Gallia inchoatum, annis triginta deinde intermiſſum, & tandem quaſi poſtliminio reſumtum, per annos duodecim circiter continuis laboribus & meditationibus abſolvit, adeoque, cum nullis ſubſidiis deſtituatur, perſpicacique ingenio, & tenaciſſima gaudeat memoria, vaſtum pelagus, multis ſcopulis horridum, & voraginibus periculoſum, bono omine ingreſſus, ac feliciſſimo ſucceſſu emenſus eſt: quod & ipſi Autori, & omnibus literarum ſacrarum ſtudioſis, jure merito gratulamur. Scripſit Opus ſermone Gallico, fecitque ei titulum: *Chronologie de l'Hiſtoire Sainte & des Hiſtoires etrangeres, qui la concernent, depuis la Societé d'Egypte jusqu'a la Captivité de Babylone, par* Alphonſe Des-Vignoles. Sæpenumero evenit, ut libri longo intervallo deſiderati votis

mi-

minus ſatisfaciant, &, cum magna minentur, extricent nihil; ſed de hoc præclaro Chronologiæ ſacræ Opere nihil ſatis magnificum prædicare poſſumus, quippe quod omnem expectationem longiſſime vincet. Ejus recenſionem prolixam a nobis Lectores hic non expectent: tum quia ab inſtituto noſtro, qui tantum Operis promulgationem in nos ſuſcepimus, illud alienum arbitramur, tum quia ipſe Cel. Autor aliqualem *Ichnographiam Bibliothecæ Germanicæ T. III Artic. IV* inſerendam curavit. Breviſſimis tamen, ut Lectorum aviditatem accendamus, argumenta Capitum indicabimus, pauca deinde de methodo, & rebus curioſiſſimis, per totum Opus ſparſis, diſſeremus. Sex omnino *Partibus* abſolvitur hæc *Chronologia Hiſtoriæ Sacræ*, quarum quælibet in minores *Sectiones* & *Paragraphos* pro diſcrimine argumentorum diſpeſcitur. In *Præfatione*, quæ *Parti I* præfigitur, occaſionem Operis, rationem, inſtitutum, methodum, ac fata, Autor enumerat. Deinde *Parte I* rem ipſam aggreſſus, non in *Anno mundi conditi*, tanquam vago & nullis characteribus determinato, ſed in *Anno Exodi*, uti certo & indubitato, principium numerandi figit; & ab hoc, continuo veſtigia Sacræ Scripturæ premens, ſenſim progreditur, & annos claris verbis expreſſos colligit, annos videlicet *Moſis, Joſuæ, Seniorum, Servitutum, Judicum, Heli, Arcæ, Samuelis* ſolius, *Samuelis & Saulis, Saulis* ſolius, *Davidis, Salomonis*. Difficultates qualeſcunque obvias propius contemplatur, &, collatis Chronologorum ſolutionibus, optimam vel novis argumentis ſtabilit, vel ex ſuo ingenio dubiis ſatisfacit. Colligit autem ab *Exodo* uſque ad jacta *Templi* fundamenta annos 648, qui numerus cum diſſentiat a loco vexatiſſimo 1 *Reg. VI, 1*, ubi ſcribitur, anno ab Exodo 480 Templum cœptum eſſe conſtrui, Autor difficultatem ſumma cura ponderat, & tandem ſingulari conjectura nodum ſolvit, quæ multis quidem audacior videbitur, ſed quam exiſtimamus ab Autore ipſo derelictum iri, ſi majori veriſimilitudinis ſpecie aliquis ἐναντιοφανῶν ſuſtulerit. *Parte II* exactiſſima *Tabula Harmonica Regum Judæ, Iſraelis, Babyloniæ, & Perſiæ ad Darium Hyſtaſpis* præmittitur, in qua anni Regum cum annis Periodi Julianæ, Exodi, Æræ Nabonaſſareæ, Olympiadibus, & Annis ante Chriſtum, continua ſerie exquiſita & accurata diligentia combinantur. Quæ ipſa Tabula facem toti huic Parti præfert, in qua Autor Regum Judæ ac Iſraelis tempora ordine & ſigillatim perluſtrat, & minimos etiam ſcrupulos Lecto-

 rum

rum animis evellere conatur. Itaque in exordio certas regulas conſtituit, inter quas hæc ſane maximi momenti haberi debet: *Annum poſtremum, ſive emortualem, Regis & Annum primum Succeſſoris in unum eundemque Annum incidere.* Per quam regulam, quam Scripturæ S. conſtanter obſervari Autor oſtendit, plus quam centum difficultates, quæ mirifice torſerunt Chronologos, nebulæ inſtar evaneſcunt. Omnes enim menſes ſuperflui hac ratione abſorbentur, & calculus annis integris per totam hanc periodum perficitur. Habes itaque hac Parte ſeriem Regum Judæ & Iſraelis penitus evolutam & extricatam, habes tempora Vaticiniorum *Ezechielis*, elucidationem *Dierum 390*, & *Dierum 40*, quibus idem Propheta *iniquitatem domus Iſraelis & domus Judæ ferre* debebat; Hiſtoriam obſidionis *Hieroſolymæ* ad dies ſuos & menſes redactam, *Excidium* ejusdem urbis, & *Captivitatem Babylonicam.* *Parte III* Ven. Autor Chronologiam ſuam per *Characteres Chronologicos*, a Sacra Scriptura ſuppeditatos, confirmat. His characteribus, ſive notis, quibus diverſa tempora a ſe invicem diſtinguimus, accenſentur *Novilunia, Plenilunia, Eclipſes, Æquinoctia, Cycli, Periodi, Æræ*, ſive *Epochæ.* Itaque Autor in principio demonſtrat, *Annum*, quem fixerat, *Exodi*, reſpondere *Anno Per. Jul. 3069*, qui eſt *Annus ante Chriſtum 1645*. Hoc admirabili ratione ex Hiſtoria *Paſchatis*, ex *Principio Anni Judaici* & *Ægyptiaci*, ex *Plenilunio*, & *Æquinoctio* ejusdem anni, ex *Sabbato* & *itinere* Iſraelitarum, oſtendit: nec exiſtimamus, annum alium repertum iri, in quo tot characteres concurrere poſſint. Ibidem evincit, diem non *veſperi* olim, ſed *mane*, incepiſſe, mutationem *Calendario* Judæorum inductam exponit, agit de Annis *Sabbaticis* & *Jubilæis*, & clariſſime monſtrat, ſuæ Chronologiæ omnes Sabbaticos & Jubilæos, quotquot huc uſque obſervati ſint, exactiſſime convenire. *Parte IV Hiſtoriam exoticam*, videlicet *Tyriorum, Syrorum, Ægyptiorum*, & *Aſſyriorum*, cum Hiſtoria ſacra confert, quatenus videlicet huic a rebus exoticis lux aliqua affundi poteſt. In limine *Tabula Chronologica* reperitur, in qua Regum *Tyri, Syriæ, Ægypti, Mediæ* item ac *Aſſyriæ*, anni cum annis *Periodi Julianæ* & Regum Judæ comparantur. In Capite de *Tyro* hujus celeberrimæ urbis originem, antiquitatem, & conditionem, Autor deſcribit, ac litem diremiſſe videtur, quam Viri doctiſſimi de *Tyro* ac *Palatyro* moverunt. Deinde duos *Catalogos Regum Tyri*, ex *Joſepho* excerptos, examini ſubjicit, & cum Hiſtoria ſacra conciliat. Reges Syriæ ab *Adadezero* ad *Rezinem* ex Hiſtoricis ſacris ordine diſponit, oſtenditque, obſcuram hanc eſſe partem Hiſtoriæ, cui ex fragmento *Nicolai Damaſceni* parum vel nihil lucis affulgeat. Ex Hiſtoria *Ægyptiaca*, omnium confuſiſſima, nihil

nihil depromſit hoc loco præter *Dynaſtiam* XXI ad XXVI, easque beneficio Regum in Sacris memoratorum, *Seſaci, Zerachi, Sot, Thearconis, Nechaonis*, & *Hophræ*, illuſtrat, & cum annis *Periodi Julianæ* conjungit. Prolixior eſt in Hiſtoria *Aſſyriorum* & *Medorum* enucleanda, ubi, recenſitis veterum ac recentiorum ſententiis, huic Monarchiæ, quam propter difficultatem pauci, præter *Nicolaum Abramum*, tetigerant, præclaram lucem affundit. *Pars V* tota *Babyloniis* ac *Perſis* ad finem Captivitatis Babylonicæ deſtinatur. Itaque ſtatim ab initio *Æram Nabonaſſaream* prolixe declarat Autor doctiſſimus; deinde de *Canone Ptolemai*, quo Catalogus Regum Babyloniæ exhibetur, eorumque anni ad Æram Nebonaſſari applicantur, data opera diſceptat, de ejus editionibus, autore, & methodo, diſquirit, ejusque autoritatem ab omnibus objectionibus vindicat. Reges deinceps in Sacris obvios exſequitur, & præcipue res geſtas *Nebucadnezaris* ad tempora ſua reducit, de illius ſucceſſoribus, quantum ſatis eſt, monet, inprimis de Dario Medo, quem Aſtyagis, ultimi Medorum Regis, fratrem fuiſſe oſtendit. Occaſione autem *Cyri* autoritatem *Herodoti*, in ejus Hiſtoria, *Xenophonti* præfert: & in Dario Hyſtaſpis filio finem Captivitatis & finem hujus Partis conſtituit. *Pars VI*, quæ inſcribitur de *Anni veteris forma*, continet examen traditionum Chronologicarum, ex ultima antiquitate repetitarum. Hic ergo diſſeritur de *Diei, Menſium*, & *Anni* origine, de *Annorum* ratione ante *Diluvium*; diluvium ſerie Chronologica diſponitur, ejusque annum dierum 360 ἀκριβῶς fuiſſe, demonſtratur; anni *Chaldæorum* antiquiſſimi ex *Calliſthene, Beroſo, Diodoro, Hipparcho, Cicerone*, evolvuntur; *Ægyptiorum* tempora & antiquiſſimæ dynaſtiæ obſcuritate liberantur; *Periodi Sothiaca* ſive Canicularis origo docetur; Bellum *Trojanum, Olympiades, Annus Romanus, Romuli* nativitas, & *Annus Romæ conditæ*, ſuis annis per certos characteres aſſignantur: & hac ratione Autor vaſtum illud temporum intervallum, tot tricis impeditum, feliciſſime ſuperavit. Multi quidem mallent hunc præſtantiſſimum librum Latino, quam Gallico, idiomate legere; ſed Autori viſum eſt vernacula lingua uti, tum ut facilius & felicius mentem ſuam exprimeret, tum quoniam exiſtimavit, vix eſſe aliquem eruditorum, qui ſermonem Gallicum ignoraret. Methodum ubique ſequitur planam, ſtiloque utitur tam perſpicuo & claro, ut, modo quis leviter tinctus ſit primis Chronologiæ principiis, & in Periodo Juliana non plane hoſpes, Autorem aſſequi, ejusque argumenta intelligere valeat. Cum autem ad hunc ſcopum unice collineat, ut ex profundiſſimis tenebris, quibus immerſa erant, tempora & Epochas, in Sacris memoratas, extraheret, lucique meridianæ exponeret, fundamentum toti Chronologiæ ſubſternit Hiſtoriam Sacram, & cum illa res exoticas conciliat, quod egregie in toto Opere præſtitit. Ne autem in ſterili hoc, ut videtur, labore Lectoribus tædium obreperet, doctis excurſionibus, obſervationibus criticis & hiſtoricis, defeſſum Lectorem ſingulis fere paragraphis recreat & permulcet. Inſignem denique hujus Chronologiæ ſacræ utilitatem ſpectemus. Principio innumera fere loca S. S. obſcuriora dilucide explanat, non ſolum quibus anni vel tempora indicantur, ſed & alia huc usque minus commode ab interpretibus intellecta. Huc pertinent e. g. quæ Autor diſputat *de Itinere & via Iſraelitarum per Mare rubrum*, *de Inſtitutione*

Pa-

Paſchatis, de Principio anni apud Judæos, de mutatione Calendarii, de Anno Jubileo, de Feſto Jerobeami, de Ezechielis diebus 390 & 40, de urbe Tyro, de Captivitate Babylonica, de rebus geſtis Nebucadnezaris. Porro aliis plurimis Scriptoribus, præcipue Chronologicis, errores evelluntur, corruptis locis medela affertur, defectus ſupplentur & reſtituuntur; *Joſephi, Euſebii, Syncelli, Scaligeri, Petavii, Marshami, Uſſerii, Pezronii*, & celebriorum noſtri ævi Chronologorum, hypotheſes ſub incudem vocantur, & vel confirmantur, vel ſolidis argumentis refutantur. Porro hujus ope Chronologiæ facultas datur *Annales Sacræ Hiſtoriæ* quam accuratiſſimos conſtruendi. Multis tentatum nequicquam Opus nulli quidem melius ſucceſſit magno *Uſſerio*, ſed, quam ſæpe lectores deſtituat, Ven. *Vignolius* exemplis plurimis clariſſime demonſtravit. His autem jactis fundamentis, & remotis tot obſtaculis, ædificium facillime ſuperſtruetur. Tandem hæc *Sacra Chronologia Hiſtoriam* ſanctam *Veteris Teſtamenti* extra omnem dubitationis aleam conſtituit. Hinc enim diſcimus, admirabilem intercedere Sacris Scriptoribus cum profanis conſpirationem. Quicquid *Herodotus, Xenophon, Diodorus Siculus, Ptolemæus*, alii plures, de rebus Babyloniorum, Aſſyriorum, Tyriorum, gentium exterarum, veri ſcripſerunt, illud conſentit cum eo, quod Scriptura de iisdem gentibus commemorat, adeo quidem, ut ex hoc Volumine mirifica lux Hiſtoriis gentium affulgeat. Sacrum Codicem ſi auferas Hiſtoriæ, Cimmeriæ tenebræ in rebus priſcorum relinquentur. Itaque, ſi Cel. *Vignolius* tantummodo in hunc finem laboraſſet, ut veritatem ſacræ Hiſtoriæ novis argumentis doceret, ſatis amplum diuturni laboris & longarum lucubrationum præmium retuliſſe cenſendus eſt. Et hæc quidem de laudatiſſimo hoc Chronologiæ ſacræ Opere generatim nunc dicta ſufficiant. Quemadmodum itaque Reipublicæ literariæ intereſt, ne ejusmodi theſaurus ulterius intra parietes privatos deliteſcat, ſed, ut fœtus, cui fingendo & formando tot annos tantumque olei impendit Cel. Autor, quantocyus, ſuperſtite Parente, in lucem prodeat, laudandum maximopere cenſemus conſilium *Ambroſii Haude*, celebris Regiæ Berolinenſis urbis *Bibliopolæ*, qui æquiſſimis conditionibus, lege ſubſcriptionis, ejus publicandi in ſe laborem & operam ſuſcepit. Pollicetur adeo, ſe curaturum, 1) ut totum Opus literis novis & elegantiſſimis Typographiæ *Breitkopfianæ*, quæ Lipſiæ eſt, in charta puriſſima & nitidiſſima, forma, quam vocant, *quarta majori*, duobus Tomis, excudatur. Specimen typorum & chartæ folio ſigillatim excuſo exhibetur. 2) Ut *Tabulæ Chronographicæ & Geographicæ* una cum Autoris *effigie* æri pulchre inciſæ Operi adjiciantur. 3) Ut illud omnibus numeris abſolutum autumno Anni hujus 1734 ad nundinas Lipſienſes tradi poſſit. 4) Ab altera parte Bibliopola poſtulat a quovis ſubſcribentium pretium totius Operis *quatuor imperiales*, pro Germanis, aut octo florenos Hollandicos pro extraneis, quibus ſolutis, Syngrapham quilibet accipit, cujus ope promiſſo tempore exemplar a Bibliopola repetere poſſit. 5) Si quis exemplar deſideret chartæ majoris, ſive auguſtæ, is quinque imperiales cum dimidio præſtet, aut undecim florenos Hollandicos. Termini autem ſubſcriptionum ſunt ab initio hujus anni ad Hebdomadem Paſchatis proxime inſtantis. 6) Pecunia absque ſumtu Bibliopolæ tranſmittenda eſt, utque nulli deſit opportunitas ſubſcribendi, celebriores per Europam Bibliopolæ, quorum nomina indicare ſupervacaneum ducimus, hanc in ſe operam ſuſcipient.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maji Anno MDCCXXXIV.

THE NATURAL HISTORY OF CAROLINA, Florida, and the Bahama Islands, &c.
HISTOIRE NATURELLE DE LA CAROLINA, la Florida, & les Isles Bahama, &c.
h. e.
HISTORIA NATURALIS CAROLINÆ, Floridæ, & Insularum Bahama, qua Icones avium, animalium, piscium, serpentum, insectorum, & plantarum, speciatim vero arborum sylvestrium, fruticum, aliarumque plantarum, nondum descriptarum, vel male apud Autores delineatarum, continentur, cum descriptionibus, Anglico Gallicoque idiomate. Accesserunt Observationes de aere, aqua, & locis; cum annotatis de agricultura frumenti, leguminum, radicum, &c. Omnibus præfixa est nova & correcta Charta Geographica regionum, de quibus agitur. Per MARCUM CATESBY, *Regiæ Societatis Socium.*

Tomus I.

Londini, sumtibus Autoris, 1731, fol. ch. reg. Alph. 4 pl. 8. cum æn. fig. 100.

Magnam oculis jucunditatem Iconum elegantia, quæ coloribus ad vivum illustrantur, nec minorem animo oblectatio-

nem parit regiæ formæ & ad luxuriem uſque elegans Liber, qui floridiſſimorum Americæ Orientalis regionum hiſtoriam condere exorſus eſt. Ipſe Autor, ex quo peragrandi haſce Britannorum ditiones commoditatem nactus eſt, ipſe delineandi peritia probe imbutus, ſedulam navavit operam, ne quidquam omitteret eorum, quæ Operi ſuo venuſtatem conciliare poſſent. Equidem ultro fatetur, primo, quod ſuſceperat, itinere parum negotii peractum fuiſſe, quod voluptati ſaltim ſuæ, non vero utilitati publicæ, ſtudere tunc ſuſceperit. Verum reducis in Angliam amici, inter quos immortalis *Sherardus*, amici applauſibus ita excitarunt induſtriam, ut ſerio, easdem terras reviſurus, propoſuerit ſibi, Hiſtoriam naturalem locorum condere. Quo ſucceſſu uſus ſit in negotio, titulus Libri declarat; plura enim illis, quæ obſervata ſunt, & quorum partem ſaltem præſens Volumen exhibet, exigi aut expectari a rerum naturalium ſtudioſo vix poterunt. Sicut illi, qui animo obſervandi proficiſcuntur, acutiores habere ſolent oculos, ita, cum altera vice magno æquore veheretur Autor, plura fortaſſe, quam cum primum diverſa mente Carolinam peteret, detexit; jucundiſſima enim ſunt, quæ de piſcatu delphinorum, quo piſcibus volantibus inſidiari ſolent, de luſu phocarum, belloque cum carchariis geſto, enarrat, negari etiam nequit, mirari neminem ſatis poſſe, quod medio fere inter Africam & Americam loco terreſtres aves aquas circumvolitare deprehenſæ ſint. Multo magis ex voto ceſſit labor, cum per Carolinæ planities, monteſque, qui orbis terminum figunt, vagaretur feliciſſimus plantarum maxime volucriumque indagator, quarum inſimul hiſtoriam ſic pepigit, ut eadem pagina planta elegans cum volucri, aliquando etiam cum piſce volucris, aut cum planta marina avis conjuncta, prout analogia id poſtulaverat, conſpiciatur. Redux in Angliam Autor propriis ſumtibus, quamvis benevolentiam eorum, qui conatus adjuverunt, non reticeat, magnum Opus condere ſuſcepit, quod ipſe artis chalcographicæ peritiſſimus eſſet, eo felicior, quod ſplendidiſſimis coloribus difficilem alioquin rerum cognitionem inſigniter ſublevaverit, faſſus tamen, viriditatem, ruborem, aliosque colores, in debito gradu, quo in planta vel volucri deprehenſi fuerant, imitari ſe non potuiſ-

potuiſſe, imo vero neceſſarium non eſſe, dummodo de charactere aliquis dubius eſſe non poſſit. Methodo equidem nulla neque in volucribus, neque in plantis, ordinandis uſus eſt; interim nihil omiſit eorum, quæ pleniſſimam cognitionem in mente Lectoris gignere poſſunt, ita, ut in declaratione avium, ponderis naturalis, latitudinis, quæ expanſis alis eſt, longitudinis, roſtri, oculorum iridis, pedum, plumarumque, exactiſſimam mentionem fecerit; quid? quod & ſingulæ avis mores, vivendi rationes, prædamque, deſcripſerit quam pleniſſime. Nomina avium ex convenientia cum noſtris impoſita ſunt, retentis aliquando patronymicis, ſi prorſus novum eſſe genus intellexerit. In plantarum declaratione, prout ingenue fatetur, uſus eſt ſtudio *Sherardi*, quo exponente, ex *Banniſtero*, *Plumierio*, *Pluckenetio*, convenientia nomina data ſunt, vera, ubi de flore & fructu ſimul conſtitit, probabilia ſaltem, ubi fructus tantum aut floris habitus perſpici potuit. Minus cognitæ ſtirpes a ſimilitudine cum noſtratibus definiuntur, ut *Alni folia*, *Prunus buxi folio cordato*: *Quercuum* & *Bignoniarum* inſignis eſt diverſitas: *Acacia Abruæ folio* prorſus ſingularis eſt: *Smilaces* varii generis exhibentur, nec deſunt vulgatiores noſtrates, *Ornithogalum minus flore luteo*, quas mireris apud Americanos inveniri. Magnopere delectantur curioſi *Elemi* arbore, quæ terebinthinæ ſpecies eſt, & *Saſſafras*, cujus utriusque Icon ingenue exhibetur. *Tulipifera*, quæ jam noſtris etiam in hortis feliciter ſuccreſcit, ſic delineata eſt, ut elegantius non poſſit. Quid plura? Gratulamur Autori, gratulamur genti, quæ tanto cive gloriatur, de felici laborum ſucceſſu, eidem vitæ, valetudinis & indefeſſi ſtudii perennitatem, ne ſpe tanta, quam de eo concepit, orbis literatus decidat, apprecati.

EXPEDITIO HISPANICA APOSTOLI S. Jacobi Majoris aſſerta; Autore EMMANUELE CAJETANO SOUSA, *Clerico Regulari, Regiæ Majeſtati a Conſiliis, Bullæ Sanctæ Cruciatæ Pro-Commiſſario Generali Apoſtolico, & Regalis Academiæ Quinqueviro Cenſore.*

Tomus II;

Complectens tres Appendices ad priorem Tomum, quibus accessere Indices IV utriusque Tomi.

Ulyssipone Occid. ex prelo Joseph. Ant. a Sylva, 1732, fol. Alph. 8 pl. 8.

Denuo hic Tomus Regi Augustissimo, *Joanni V*, inscriptus fuit. In Appendice Ven. Autor rem asserere aggreditur, per septendecim Secula constantem, nempe sacram ædem a *S. Jacobo Majore* ad ripam Iberi fluminis constructam, &, sub nomine Augustissimæ Virginis ad Hispaniam adventantis, ipsius jussu, Numini æterno dedicatam: ædem, non a gentilibus, non ab Hæreticis, non a Mauris unquam impetitam, a
Pag. 917. maximis Pontificibus, magnis Regibus, populisque plurimis cultam per longissimam annorum seriem, sed tandem hac ferrea ætate a morosis Criticis oppugnatam. Verba recensemus Autoris ipsa. Index Appendicis est: *Mater admirabilis.* Hoc enim cognomen *Mariam Jacobo* revelasse, ipse credit. Præmisit *Tomo II Propylæum*, quo expeditioni Hispanicæ *Jacobi* robur addere, eamque ex S. Apostolo *Paulo* confirmare contendit. Edito enim *Tomo priori*, neoterico Adversario placuit in Opere, Lusitanice scripto, argumenta Ven. *Sousa* convellere. Opus fuit inscriptum: *Voz da Verdade*, i. e. *Vox veritatis.* Respondet *Sousa* unum & alterum. Primo contendit, nil attulisse novi Adversarium, sed repetiisse argumenta, jam ante in Dissertatione Historica, Latine scripta, allata, quæ in *Tomo I* sint diluta. Secundo confecit *Indicem Harmonico-generalem*, Indici universali præmissum, ut pateat, quantum Adversarii Dissertatio Latina & Opusculum Lusitanicum consonent. Laudat inter hæc Jesuitæ Rev. *Guilielmi Cuperi*, Antwerpiensis, unius e Continuatoribus Operis Bolandiani de Actis Sanctorum, librum, cui titulus: *Vindiciæ breves pro Hispanica S. Jacobi prædicatione*, sibique gratulatur de extranei consensione, ac summam Operis *Cuperiani* recenset. *Cuperus* quoque in neotericum Adversarium sua direxit tela. Contra *Vocem Veritatis*, emissa quoque est scriptiuncula Hispanica: *Crisis de las proposiciones del Opusculo intitulado* Voz de la Verdad *en lengua Portugueza.* Credimus nihilominus, litem hanc ad Historiam Ecclesiasticam planius introspi-

ſpiciendam, & acumen criticum in dies exercendum, eſſe accommodatiſſimam. Ita enim digladiantur diſſentientes, ut humanitate & argumentis invicem certent. Quæ certamina nunquam non fructuoſa fuerunt. Sed redimus ad Appendicem primam. Ædem Marianam Cæſarauguſtæ, a Columna dictam, ab Apoſtolo *Jacobo Majore* fundatam eſſe ad ripam Iberi fluminis, eſt res tanta, ut altiſſimo ſilentio prematur non ſolum a Sacra Scriptura, ſed etiam ab Autoribus antiquis in iis Voluminibus, quæ nunc ſincera & non interpolata exſtant. Pag. 920 Quare Autor facile prævidet, traditiones, ſera ætate demum credi cœptas, a peritis rei hiſtoricæ haud immerito explodi, præcipue ſi eæ ab hominibus fuerint exortæ, qui examine caruerunt veritatis, ac hypotheſibus domeſticis, ex errore manantibus, laborarunt. *Tertullianus* ad traditionem, per ætatem unius Seculi continuatam, cur non provocaret? At, ubi *Hieronymus* ex traditione ad terebinthum Abrahami, Chebrone poſitam, provocat, merito fides ei denegatur. Abeſſe omnino debent Critici, ubi fidem iis rebus conciliare nitimur, quibus certum & ſtabile deeſt teſtimonii fundamentum. Negari equidem non poteſt, ædem illam glorioſæ Virginis Mariæ Cæſarauguſtanam eſſe vetuſtiſſimam & celebritate maxime ſpectabilem. 922 ſeq. Sunt, qui eam reputant pro prima Eccleſia in Hiſpania. Inde colligunt porro alii, conſtructionem ejus ad tempora Apoſtoli *Jacobi* eſſe referendam. Dolendum eſt, templa exeunte demum Seculo tertio a Chriſtianis fuiſſe conſtructa, idque ab Hiſtoricis firmiſſime eſſe evictum. Traditionibus eſſe habendam fidem, docet Autor exemplo veſtigiorum Chriſti, in monte Oliveti ab eodem impreſſorum, quæ vindicare conatur contra *Georgium Hornium*, quem vocat 929 ſeq. *Hæreticum Lutheranum*, cum nemo facile ignoret, illum fuiſſe Doctorem publicum Eccleſiæ Reformatorum. Quantum acceſſionis veritas ex appellationibus moleſtis, & criminibus in Autores defunctos congeſtis, accipiat, ſatis eſt exploratum. Exſtat Cæſarauguſtæ columna jaſpidea in ſacra æde, in qua dicitur glorioſa Deipara *Jacobum* allocuta. Ad eam Autor 933 ſeq. provocat, tanquam monumentum fide digniſſimum. Adſciſcitur traditioni pondus ex copia conchyliorum bivalvium, quæ

Digitized by Google

vocantur *cape ſante di Santo Giacomo* Italice. Sed, ea alibi quoque exiſtere, quis negabit? Cum iis ibi inventi ſunt baculi, *S. Jacobi* inſignia. Omittimus argumenta alia allata, quæ malumus apud Autorem legi ipſum, & ab Hiſpanis examinari, ſi iis fuerit licitum. *Baluzius* certe nonnulla vidit in con-
Pag. 1113. trarium. *Natalis Alexander Tom. I p. 159 Hiſt. Eccleſ.* traditioni fidem denegavit, cui aſſenſit nuper Criticus politiſſimus, mutuatus vim a ſilentio undecim Seculorum, a morte *Mariæ*
1123 ſeq. paulo poſt adſcenſionem Chriſti in cœlos facta, quam veteres dixerunt *aſſumtionem*, a forma imaginis *Mariæ*, quæ ſuper columnam colitur, ad prototypum non quadrantis, a forma calceamentorum, Ebræis non congruentium, a paupertate *Jacobi*, ab humilitate Mariæ, coronatum caput indubie averſatæ. Reponit Autor ea, quæ popularibus maxima ex parte ſatisfacient ſuis. Succedit Appendix ſecunda, complectens *Syntagma*
1145 ſeq. *de graviſſima autoritate Breviarii Romani, noviſſime recogniti* juſſu *Urbani VIII*, quo traditio de *Jacobi Majoris* ex-
1202 ſeq. peditione Hiſpanica continetur. Regeruntur diverſa in diſſentientes, & Breviarii fidem ſolicitantes. Eſt tamen extra dubitationis aleam poſitum, *Nicolaum Antonium*, Scriptorem Hiſpanorum graviſſimum, in *Bibliotheca veteri Hiſpana Tom. I Lib. V Cap. 1 n. 16*, fateri, certam fidem hiſtoricam Breviariis non ineſſe. *Antonius* laudat conſentientes *Ludovicum Vivem*, *Melchiorem Canum*, *Papyrium Maſſonum*, & *Ambroſium Morales*, Viros ſummos, & judicio non prorſus deſtitutos. Breviarium porro Romanum ſæpius eſt immutatum, ſæpius eſt expurgatum & recoctum. *Urbanus VIII* juſſit inde hiſtoriam de cauſa ſeceſſus *S. Brunonis* in eremum tolli, quam egregie perſcripſit *Joannes Launojus* in Libro *de vera cauſa ſeceſſus S. Brunonis*, quem refutare contendit *Joannes*
1214. *Columbus*, Jeſuita, in *Diſſ. de Carthuſianorum initiis*. Credit Autor, cauſam illam e Breviario fuiſſe expunctam, inſtante Capitulo Eccleſiæ Pariſienſis, quia extiterit, qui ſuſpicaretur, illum infelicem accuſatum, judicatum, & damnatum, fuiſſe Doctorem illius Academiæ, vel Canonicum in eo Capitulo. Octo peccata exprobrantur Breviario *Urbani VIII*, inprimis Baptiſmus

mus *Conſtantino M.* a *Sylveſtro* Romæ collatus, de quo jam ipſi Pontificii partim dubitant. Ad ſingula reſpondet Autor & docte & copioſe. Ad argumentum negativum infirmandum iterum iterumque excurrit. *Papebrochium* moroſis annumerat Criticis. Appendix III repræſentat Syllogen Autorum omnium gentium omniumque Ordinum, qui Expeditionem *S. Jacobi Majoris* aſſeruerunt. *Bartholomæus Laurentius* recenſuit ejusmodi Autores 70, *Ferdinandus de Oxea* 80, alii plures. Sunt, qui 470 & 480 protulerunt. Inſignem nubem hic quoque communicatam, merito ſtupemus. Vere igitur Abbas Gallus, *Langlet du Fresnoy*, in *Methodo ſtudendi Hiſtoriæ Tom. IV Art. 134 p. 336* dixit, Hiſpanos verſari circa duos magni momenti Articulos, unum de expeditione *S. Jacobi*, alterum de Apparitione Matris Admirabilis. Syllogen Autorum excipit Index locupletiſſimus. Celebranda eſt Ven. Autoris indefeſſa lectio, induſtria adamantina, & ardoris ſumma vis in propugnandis iis, quæ genti ſuæ perquam probantur. Pag. 1220. 1233 ſeq.

JOANNIS LAUNOJI, CONSTANTIENSIS, Pariſienſis Theologi, Socii Navarræi, Opera omnia, in quinque Tomos & decem Volumina diſtributa.

Tomi IV Pars I & II.

Coloniæ Allobrogum, ſumtibus Fabri & Barrillot, Sociorum, & Marci Michaelis Bousquet & Sociorum, 1732, fol. Alph. 13 pl. 14.

Primo loco in *Tomi quarti Parte prima* comparet liber *de Scholis celebrioribus, ſeu a Carolo Magno, ſeu poſt eundem Carolum, per Occidentem inſtauratis.* Notum eſt, *Launojum* id ſibi in hoc libro propoſitum habuiſſe, ut varios Autorum locos, qui de ſcholis Galliæ, Italiæ, Angliæ, Germaniæ, Belgii, egerunt, illuſtraret, & originem ſcholæ Pariſienſis cumprimis inveſtigaret. Deinde vero in id incubuit, ut fabulas, per ſpeci- Pag. 1 ſeq.

Digitized by Google

ſpeciem amplificandæ atque illuſtrandæ *Caroli M.* gloriæ conſictas, annotaret. Ipſe tamen *Launojus*, his fabulis deceptus,
Pag. II. *Danielem*, Regem Angliæ, nobis tradit, ita, ut Cl. Editor in ſub-
Præf. jecta Annotatione recte miretur, eum non animadvertiſſe, *Ca-*
pag. I. *rolum Magnum* ibi *Davidem* appellari. Atque inter has fabulas de *Carolo M.* referenda ſine dubio videtur Cl. Editori narratio in *Danielis Hiſt. Gall. Tom. I p. 435*, ubi refert, *Alcuini* conſilio *Carolum Magnum* Academiam quandam inſtituiſſe, in quam ingenioſiſſimis & eruditiſſimis Aulicis allectus fuiſſet, & in quibus Academicis congreſſibus cum aliis communicaſſet, quæ ex lectione veterum Scriptorum hauſiſſet: quin etiam Academicos antiquorum ſcriptorum, quibus potiſſimum delectarentur, aut Heroum nomine ſe decoraſſe, & *Alcuinum*, qui in Epiſtolis ſuis hæc ſingularia doceat, *Flacci* nomen, quod erat nomen, *Horatii*, uſurpaſſe, nobilem quendam, *Angilbertum* nomine *Homerum*, *Adelardum*, Corbejenſem Abbatem, *Auguſtinum*, *Riculphum*, Moguntinum Epiſcopum, *Damætam*, *Carolum* ipſum *Davidem*, appellari voluiſſe. Hæc ingenioſe excogitaſſe *Danielem*, judicat Editor, & ſomnia hominis, qui res antiquas ad recentes exigit, propterea quod in *Alcuini* Epiſtolis hac de re nulla fiat mentio. Alterum locum
174 ſeq. in hac Parte occupat liber *de varia Ariſtotelis fortuna in Academia Pariſienſi, extraneis hinc inde adornata præſidiis*, A. 1653 primum editus; de quo quidem libro, omnibus noto, multa dicere ſupervacaneum foret. Hunc ſequuntur *Con-*
246 ſeq. *ſiderationes occaſione approbationis, conceſſæ ad edendam Hiſtoriam Hoſpitalium Ordinis S. Spiritus, Gallice editæ*, aliaque Opuſcula, quæ ad notam, quam Pariſienſis Facultas duabus propoſitionibus, ab *Ant. Arnaldo* prolatis, inuſſit, ſpectant,
289 ſeq. & in quibus de *Janſenii* doctrina agitur. Sequitur *Regii Navarræ Gymnaſii Pariſienſis Hiſtoria*, quæ in tres Partes diſtributa eſt, primaque in libros tres, qui complectuntur Gymnaſii originem, ſtatuta, diſciplinam, variis temporibus inductam, ſtudiorum ordinem, Theologiæ cathedrarum fundationem, nomina Grammaticorum, Artiſtarum, & Theologorum, ab A. 1342 uſque ad A. 1640. In ſecunda Parte Elogia Regiæ Navarræ habentur, in tertia denique centum & triginta quatuor

tuor

Digitized by Google

tuor Scriptores, Scriptorumque vitæ & Operum Indices recenſentur. Primum Scriptores Navarrici Socii exhibentur ab A. 1300 uſque ad A. 1676, inter quos eminent *Gerſo*, *Clemangius*, *Almainus*, *Spencaeus*, atque *Sanctesius*. Deinde vitæ exponuntur Navarricorum Sociorum, qui bene acta vita potius, quam ſcriptis, inclaruerunt.

In *Parte ſecunda hujus Tomi* primo loco legitur *Diſſertatio, continens judicium de Autore librorum de imitatione Chriſti*. Rogatus A. 1649 a *Roberto Quatremario*, Benedictino, *Launojus*, quid ipſi videretur de Autore librorum de imitatione Chriſti, ad eum miſit argumenta, quibus probari poſſe credebat, *Thomam a Kempis* eorum Autorem non eſſe, eosque melius vindicari *Joanni Gerſoni*. Quam *Launoji* Diſſertationem eodem anno edidit *Quatremarius*, eamque confutandam ſuſcepit A. 1650 *Joannes Fronto*, Canonicus Regularis Sangenovefanus. *Launoji* rationes præcipuæ eo redeunt, vocare Autorem in exemplum Monachos, nominatim Ciſtercienſes, & Moniales, cum tamen tempore, quo *Thomas Kempenſis* vixit, omnes prorſus Monachi & Moniales a vitæ religioſæ rigore deflexiſſent. Deinde *Thomam Kempenſem*, qui fuit Clericus, in aliis ſuis Operibus in exemplum adducere Clericos Regulares, quod non æque factum ſit in libris de imitatione Chriſti. His adjiciuntur alia monumenta, nullo ordine ſervato, quia ſero in typographorum manus pervenerunt; quæ denique excipiunt quædam ſelectæ ſcriptiones tam pro *Launojo*, quam contra *Launojum* editæ. In his legitur *in librum Magiſtri Joannis Launoji, Theologi Pariſienſis, qui inſcribitur, regia in matrimonium poteſtas, Obſervationes, Autore Theologo Pariſienſi*, editæ Lovani, ſive Pariſiis, A. 1678, 4. Autorem harum eſſe Obſervationum *Jacobum Leullerium*, Facultatis Pariſienſis Theologum, etiam nunc viventem, Sancti *Ludovici* in inſula Pariſienſi parochum, ex adjecta Editoris Annotatione diſcimus. Apparet hic porro *Tractatus de impedimentis matrimonii*, cujus Autorem *Jacobum Bolæum*, Doctorem & Socium Sorbonicum, Eccleſiæ Metropolitanæ Decanum, tradit nota Editoris ſubjecta. His denique ſubjiciuntur *Launojana*, ſeu Collectio eorum omnium, quæ ad *Launojum* ipſiusque ſcri-

Pag. 7 ſeq. 149. 302. 337.

pta pertinent, concinnata a Doctiſſ. Editore. In tres Partes hæc *Launojana* diviſa ſunt, quarum prima complectitur Commentarium de vita *Launoji*, Epitaphium ejusdem & teſtamentum; altera agit de varia *Leunoji* librorum fortuna; tertia denique comprehendit varia, eaque rariora, de eodem hoc argumento Opuſcula, e. g. Elogium *Joannis Lannoji*, Londini A. 1685, 12, editum: *Rolandi Maræſii* Epiſtolam ad *Joannem Launojum*, cenſuram Facultatis Theologiæ Aquenſis in librum *Joannis Launoji*, qui inſcribitur Diſquiſitio diſquiſitionis de *Magdalena Maſſilienſi* advena, & Edictum Senatus Aquenſis contra hanc ipſam Diſquiſitionem: Epiſtolas & Scripta Apologetica *Norberti Cailieu*, in Facultate Pariſienſi Doctoris Theologi, nec non Archi-Monaſterii Præmonſtratenſis Prioris: Ecdicum *Gregorii*, Papæ, adverſus *Joannem Launojum*, *Ludovico Nubleo*, Doctori utriusque Juris, & Advocato in Senatu Pariſienſi: *F. Richardi* Epiſtolam, continentem notas in margine libri ſub titulo Aſſumtionis Mariæ Virginis vindicatæ, minio efformatas, Duaci apud Cornelium Vanbookh, 1672, 12, *p. 32*: *Joannis Launoji* Epiſtolas aliquot, ab *Georgio Serpelio* editas, in Præfatione, quam attexuit Diſſertationi *Launojanæ*, de vera cauſa receſſus *S. Brunonis* in eremum, editæ Francofurti A. 1720, 4: *Georgii Serpelii* Invitationem ad rariſſimorum *Launoji* Opuſculorum editionem nitidiſſimam, ſubſcriptionibus promovendam, Ratisponæ, impenſis *Joannis Zachariæ Seidelii*.

OPERE FISICO-MEDICHE, &c.

h. e.

OPERA PHYSICO-MEDICA, IMPRESSA & manuſcripta, Equitis ANTONII VALLISNERII, collecta ab ANTONIO, Filio.

Tomus III & ultimus.

Venetiis, apud Sebaſtianum Coleti, 1733, fol.
Alph. 5, cum Tabb. aliquot æneis.

Cum nuper præclariſſimorum horum Operum priora duo Volumina recenſuimus, tum nec tertium, idemque ultimum,

nium, quod noviſſime prodiit, ſicco pede prætereundum videtur. Complectitur illud primo loco *Lectionem Academicam* Cel. *Valliſnerii ſuper origine fontium*, quam cum Annotationibus ipſius Autoris, variorumque doctorum hominum literis, Diſſertationibus, atque Obſervationibus, A. 1726 in lucem edidit *Gaſton Joſephus Georgius*. De cujus ſcripti argumento & præſtantia cum in *Actis* noſtris *Menſe Novembr. A. 1726* jam ſatis ampla facta ſit mentio, in præſentia nihil addendum arbitramur. Sequitur *Collectio variarum Obſervationum, ad Hiſtoriam medicam & naturalem ſpectantium*; quæ pleræque ex Actis Academiæ Naturæ curioſorum, atque ex Diariis Eruditorum Italicis, in hunc locum tranſlatæ ſunt. Quædam, antea non editæ nunc primum comparent. Nonnullæ etiam aliud argumentum habent, quam medicum aut phyſicum. Agitur enim, exempli cauſa, de patria & rebus Cardinalis, *Sebaſtiani Pighini*, Regienſis; de vita Com. *Beatricis Papafavæ Cittadellæ*, quæ mortua eſt *Patavii* A. 1729, annum agens ætatis tertium ſupra centeſimum; de inſcriptionibus quibusdam ſepulchralibus, aliisque rebus oppidi *Scandiani*, & Domini ejus, Comitis *Matthæi Mariæ Bojardi*; de Planiſphærologio novo, invento a Dom. *Facini*; de ſerie Regum Mogol; de eo, quod Scriptores Itali lingua Italica uti debeant. Pergimus ad *Tentamen Hiſtoriæ medicæ & naturalis*, quod nihil aliud eſt, quam Lexicon Reale Medico-Phyſicum, a Cel. *Valliſnerio* inchoatum, ſed non perfectum. Augere tamen illud aliquando in animo habet Cl. horum Operum Editor, *Antonius Valliſnerius*, *Antonii* noſtri filius. Idemque Præfationem huic Operi ſatis amplam præmiſit, in qua de præſtantia & variis argumentis hiſtoriæ naturalis diſſerit. Hujus tres potiſſimum ſive ætates, ſive ſtatus, diſtinguit: quorum uno antiquos Scriptores Græcos & Latinos ad *Plinium* uſque complectitur: alterum ad *Baconem de Verulamio* extendit: tertium denique a *Gœdartio* & *Suammerdamio* exorditur, hanc ſuam diviſionem exemplo hiſtoriæ inſectorum maxime illuſtrans. Reliqua ſunt quatuor Opuſcula, quorum ſatis erit hoc loco inſcriptiones commemorare. Primum *conſilia quædam me-*

dica exhibet, quorum longe major foret numerus, si universa colligere Doctiss. Editor voluisset ac potuisset: alterum *Epistolas* varii argumenti comprehendit: tertium inscribitur: *Correctiones quarundam Observationum Cl. Redi*: ultimum denique locum occupant *Conclusiones Physico-Medicæ, quas sub auspiciis Illustriss. D. ac Viri Cl. Antonii Vallisneri &c. exposuit, & coram almo Philosophiæ ac Medicinæ Doctorum Collegio defendit, Senis in Aula Comitiorum, A. 1725 Leo Bernardus Pagliai, Senensis Academicus Physiocriticus.*

AN ESSAY CONCERNING THE EFFECTS OF AIR on humain bodies, &c.

h. e.

TENTAMEN CIRCA EFFECTUS AERIS IN corpore humano; per JO. ARBUTTHNOT, M. D. Collegii Regii Medicorum Londinensis & Edinburgensis, & Regiæ Societatis, Socium.

Londini, typis J. Tonson, 1733, 8.
Plag. 15.

Magna ingenii felicitate usus est Autor in declarandis aeris, causarum non naturalium principis, in corpus humanum effectibus. Aerem appellat fluidum subtilissimum, terram undique ambiens principale instrumentum post magnetismum & gravitatem specificam generationis, accretionis, resolutionis, cujus legibus vegetabilia, mineralia, terrestria, aquatilia, sustineantur. Aer terræ vicinior ejus effluviis, maxime vero aquæ, impraegnatur. Inde est, quod corpora bibula aeris aquam attrahant. Sic calculum suppeditat, ex uncia salis tartari uncias quatuor olei tartari per deliquium fieri, quod augmentum aquæ ex aere accessioni debeatur: quod si superior aeris regio nebulosa fuerit, quæ nos cingit athmosphæra, respectu corporum nostrorum siccior dicenda erit, innubilo vero aere, humidiores particulæ nos propius ex opinione Autoris ambiunt, atque effluviis

fluviis terreſtribus vario modo miſcentur, id quod clarum eſt ex diverſa roris indole, pro differentia locorum, ſiquidem obſervationibus chymicis conſtat, eundem modo volatilem eſſe, ita, ut vaſa vitrea, quibus incarceratus fuerat, diſruperit, modo fixiorem, & cujus ſalia iridis in modum reſplendeant, modo inſtar gelatinæ glutinoſum, aut fœtidum: accedit, quod vegetabilia transſpirando aerem effluviis ſuis adimpleant, nec mineralia ſuis vinculis ita contineantur, ut non aliquid transſpiret, quo ipſo fit, ut varia ſalium, acidi, aluminoſi, aliorumve, partes in aere oberrare deprehendantur, imo etiam animalium corpora exhalationes ſuas aeri communicent. Quid? quod ovula inſectorum, aut inſecta ipſa, nobis imperceptibilia in aere oberrent. Horum effluviorum in aere ut moderata ſit temperies, phænomena aerea, pluvia, nives, gelu, æſtus, venti, tonitrua, efficiunt, quibus omnibus accommodata corporibus noſtris athmoſphæra redditur. Interim, cum pro locorum conditione, ob effluviorum & accidentium, quibus aer alterari ſolet, diverſitatem, varia eſſe debeat aeris mixtura, inde, pro hac differentia vario modo corpora ab aere hic vel alibi afficiantur, oportet. Inde non tantum ab inſectorum e. g. locuſtarum illuvie, & cadaveroſo poſt mortem earundem odore, peſtifera mala excitata fuiſſe, infert, ſed & declarat, etiam ſecundum naturam, ſi tranquillus ſemper nec ventis agitatus eſſet aer, ab effluviis trium millium hominum inſimul viventium peſtem oboriri poſſe. Non autem a miſcela ſaltem aeris vario modo afficiuntur corpora, ſed & ejusdem elaſticitas, quæ in ſingula bullula aerea totius aereæ athmoſphæræ æqualis denſitatis gravitati reſiſtere poſſe prædicatur, non uno modo in corpus agit. Aer in reſpiratione, latenti intra vaſa humani corporis aeri, æquilibrante modo, reſiſtit, & ab eodem afficitur, nec minus efficaciæ habent qualitates aeris, maxime calor, qui ſi eſſet æqualis, aut ſuperior calori vitali, qui ad 92 & 94 gradus in homine ſano æſtimatur, cum in calidiſſimis regionibus eo uſque caliditatis aer non perveniat, vivere in eodem humana corpora non poſſent; interim, pro varia caloris elevatione, corpus vario modo patitur, maxime vero in

transspiratione auctiore vel imminuta, prout aeris conditione pori affecti fuerint, accidit, ut per poros patentes aer ipse intus suscipiatur, de quo dubitare nemo potest, cum densiora aere corpora, mercurius, cantharides, subire massam sanguinis conspiciantur, comprobatum etiam sit *Keilii* experimentis, octodecim unciis graviora facta fuisse corpora, saltem ab aere poros subeunte. Aeris ipsius, pro altitudine sui, subtilitas, corporibus humanis gravis est, siquidem testimonio *Josephi d'Acosta* constet, in quodam Peruano monte, a frigoris insolentia vomitu corripi corpora, mortua etiam a putredine præservari. Ut vero theoreticæ, quas passim hoc eleganti Opusculo tradit, regulæ experimentis suis constent, variarum regionum aerem examinat, ejusdemque in corpora subjecta operandi efficaciam exponit. Exempli loco ipsi est aer Ægyptiorum, qui, quamvis ob putridarum exhalationum, stagnantibus hinc inde Nili paludibus, effluvia noxius esse debeat, a duplicis æstatis efficacia sic corrigitur, ut ad provectiorem ætatem homines regionis pervenire deprehendantur.

VARIOLARUM ANTIQUITATES, NUNC PRImum e Græcis erutæ a JOANNE GOTHOFREDO HAHN, Philos. & Med. D. & Natur. Curios. Socio. Accedit de MESUÆ SYRI Scriptis ad Cel. FABRICIUM Epistola.

Brigæ, imprimebat Gothofr. Trampius, 1733, 4.

Plag. 19.

Cl. *Hahnium*, alibi jam in his *Actis* cum laude nobis commemoratum, non obstante copiosa, eaque felicissima, qua in urbe patria inclaruit, praxi, evolvendis curatius antiquorum monumentis aliquid inpendere temporis, fructusque lucubrationum suarum publico impertire, voluptati sibi ducere, elegans hæc, cujus jam summam exhibere studemus, de antiquitatibus variolarum disquisitio abunde testatur. Argumentum sibi, uti a multis tentatum, ita a nemine adhuc perfectum, delegit, neque

neque magno diſſentientium numero a conſilio ſe avocari
paſſus, manifeſtis rem omnem documentis comprobavit. Com- Cap. I.
munis erat Medicorum, primi etiam ordinis, opinio, primam
variolarum mentionem ab Arabicis artis ſalutaris Scriptoribus
injectam eſſe, indeque novam hanc labem illorum demum tem-
poribus exortam eſſe arguebant, vix alias a Græcis, in deline-
andis morborum characteribus perquam accuratis, omitten-
dam. Ii etiam, qui aliqua ſe deprehendiſſe hujus morbi apud
Græcos veſtigia putabant, per exanthemata & phymata, fre-
quentius ab iis memorata, variolas quoque denotari aſſere-
bant. Uti vero, generalia hæc nomina pluribus morbis, ali- §. 4 ſeq.
quam in cute excretionem molientibus, competere, variisque
adjectis epithetis determinata, interdum etiam de variolis in-
telligenda eſſe, non negat, ita his tamen ſolis tribui non poſſe
facile patet; cumque variolarum hiſtoriæ in febribus omni-
no quærendæ ſint, ſub initium ſecundi morborum epidemio-
rum libri tandem variolas nomine *ἀνθράκων* ſeu carbunculo-
rum ab *Hippocrate* deſcriptas deprehendit. Locus, quem fun-
damenti loco reliquæ tractationi præmiſit Cl. Autor, hic eſt: II.
*Ἄνθρακες ἐν κρανῶνι θερινοί; ὗεν ἐν καύμασιν ὕδατι λαύ-
ρῳ δι ὅλου. Ἐγένετο δὲ μᾶλλον νότῳ. Καὶ ὑπεγίνοντο μὲν ἐν τῷ
δέρματι ἰχῶρες, κινησμὸν ἐνεπόιεον. Εἶτα φλυκταινίδες ὥσπερ
πυρίκαυστοι διανίσταντο, καὶ ὑπὸ τὸ δέρμα καίεσθαι ἐδόκεον.*
Hunc omnino locum de nullo alio, quam varioloſo, interpre-
tandum eſſe morbo, defendit, ſiquidem hoc ipſo libri principio
de febribus agat *Hippocrates*, interque hos carbunculos, tanquam
morbum ordinarium referat, in ſpecie etiam exanthematicas
hic recenſeat, puſtulæ etiam variolarum veſiculis, ab aqua fer-
vida excitatis, egregie reſpondeant, &, quæ mox ſubjicit de ab-
ſceſſibus confertim uno impetu erumpentibus, depreſſis, de-
clivibus, non ſufficienter ad corporis habitum propulſis, diffe-
rentiam inter diſtinctas & confluentes ſatis ante oculos ponant.
Cum vero huic explicationi potiſſimum obſtet, quod, carbuncu- Cap. II.
lorum nomine audito, peſtem denotari cenſeant plerique, ſecun-
do Capite hoc tollere præjudicium laborat. Neque enim ul-
libi carbunculos pro peſtis ſigno ab *Hippocrate* habitos, ſed o-
mnem

mnem morbum, quam primum communis factus eſt omni-
§. 19 ſeq. bus, peſtem illi dictum, monet: quod e tertio epidemiorum libro, ubi peſtis Athenienſis deſcribitur, illuſtrat; ubi ſimul Cel. *Freindii* ſententiam, quod hic neutiquam de peſte ſermo ſit, refellit, collatisque *Hippocratis* de hoc morbo, & *Thucydidis* de peſte Athenienſi, relationibus, eas ſibi exacte convenire do-
22 ſeq. cet. Etſi vero eodem libro carbunculorum mentionem injiciat, eos tamen ſatis a peſte diſtinguit. Ita enim pergit: *Aliæ*
25. *inſuper etiam febres viguerunt. Carbunculi æſtate multi &c.* ubi pariter carbunculorum deſcriptio variolis per omnia quadrat. Quodſi plures quis ex *Hippocrate* varioloſorum hiſtorias deſideret, eas ſub generali phlyctænarum nomine *Lib. IV §. 23* & *Lib. VII §. 114 ſeq.* ſatis perſpicuas reperiri, o-
Cap. III. ſtendit. His ex *Hippocrate*, tanquam antiquiſſimo artis ſalutaris Scriptore, ſtabilitis, reliquorum Græcorum ad *Galenum* usque conſenſum demonſtrat, atque *Aretæum* carbunculum nullibi pro peſtilenti ulcere habere, ſed inter reliqua cutis vitia & ulcera cruſtoſa, quales ſunt variolæ in declinatione, referre, innuit. Qua pariter ratione *Dioſcorides* de iisdem agit; ubi ſi-
30. mul monet Cl. Autor, malignas inprimis & confluentes carbunculorum nomine Græcis venire, diſtinctas vero generali puſtularum nomine indicari. Inprimis vero in ſententia confirmatus eſt eleganti deſcriptione, quam *Herodotus*, Lycienſis, Medicus primo & ſecundo Seculo florens, dedit, quam vel noſtris temporibus magis exactam vix exhiberi poſſe, cenſet. In-
Cap. IV de ad *Galenum* accedit, atque ejus deſcriptionem, quam in me-
§. 34 ſeq. thodo medendi de carbunculis exhibet, per omnia membra excutit, eandemque ad variolas ſpectare docet; eos enim ad tumores ulceroſos refert, atque in benignos & malignos dividit, prout nunc variolas ſolemus. Imo varia morbi ſtadia a *Galeno* indicata egregie conveniunt; in primo enim puſtulam adeſſe, eaque rupta, ulcus fieri, quod in tertio ſtadio cruſtoſum evadat, oſtendit; confluentes etiam, imo tertiam quandam ſpeciem, his pejorem, ubi tota cutis in unam veluti bullam, abſque ullis interſtitiis, elevetur, notat; atque circumjectam cutem inflammari monet. Ea quoque, quæ de co-

lore

ſore carbunculorum rubente, nigricante, & ſplendente, nec non de febre, inſeparabili carbunculorum comite, habet *Galenus*, optimo jure variolis applicari, evincit Cl. Autor. Inde ad Arabes, apud quos variolarum nomen primum auditum, accedit, qui tamen de iisdem neutiquam tanquam morbo novo agunt, ſed pleraque a Græcis deſumſerunt. Uti enim præcipuis eorum Scriptoribus plagii nota ita adhæret, ut, ſi vel ea, quæ ex ſuperſtitibus Græcorum libris hauſta apparet, demas, pauca illis propria remaneant; ita in hoc pariter variolarum argumento idem obſervari, aliquos etiam, quod Græcis ſua debeant, fateri, oſtendit. Sic enim *Aaronem*, antiquiſſimum Arabum Scriptorem, de variolis, tanquam morbo recepto, loqui, & nunc anthracum, nunc variolarum, nomen adhibere, neque, quæ de variolis nigris & viridibus addit, a Græcorum colore λευκῷ & ὑποπελίῳ differre, docet. Inprimis vero *Meſuen Syrum* & *Joannem Serapionem* totam *Galeni* deſcriptionem ad verbum fere ſuis ſcriptis inſeruiſſe patet, addito ſolum variolarum nomine. *Rhaſes* vero, Arabum *Galenus*, in Tractatione de variolis ſæpius *Galenum* citat, atque *Haly*, Abbas, aperte dicit: Variolam antiqui carbones dixerunt ambuſtos, Græci filias ignis vocant. Denique, ut parallelismum hiſtoriæ variolarum apud Arabas & carbunculorum apud Græcos eo magis reddat manifeſtum, *Avicennæ* deſcriptionem, quæ inter reliquas maxime perfecta videtur, appoſitis ad latus Græcorum huic reſpondentibus locis, ſubjungit Cl. Autor. Etſi hic acquieſcere potuiſſet, declarato Græcorum & Arabum in hiſtoria morbi conſenſu, ad confirmandam tamen ulterius ſententiam, eadem methodo Græcos in ſanandis carbunculis, & Arabes in medela variolarum, per omnia earum ſtadia uſos eſſe, evincit. Venæſectionem ante eruptionem *Galenus* & *Paulus* inter Græcos commendant ad lipothymiam uſque, quos imitantur inter Arabes *Rhaſes*, *Haly Abbas*, & *Avicenna*; inde regimen frigidius utrique ſuadent, alvique ſubductionem, ad præcavendum, ſi fieri poſſit, malum; ad quam intentionem noſtris etiam temporibus dirigendum animum præcipit Cel. *Boerhaave*, cum maxime conſultum ſit, in incunabulis veluti jugulari hoſtem, tantas

Cap. VI. — §. 55. — 59. — 63, 65. — 66. — Cap. VII. — §. 70 ſeq.

Digitized by Google

§. 73 ſeq. ſæpius ſtrages edentem. Si vero eruptio evitari non poſſit, maturationem promovere ſtudent Græci, partim remediis, quæ modice reprimendo etiam digerant, quod ex *Galeno* repetunt *Serapio* & *Meſue*, partim vapore ſive fotu adhibito, quod conſilium ex *Dioſcoride* deſumſiſſe videtur *Avicenna*. Pari ratione in ſeparandis cruſtis & aperiendis variolis Græcos imitatos eſſe Arabes, docte perſequitur Cl. Autor. His ita deductis, quid Latini de carbunculis & variolis tradant, diſquirit, atque ex antiquioribus *Plinium* & *Celſum* adducit, qui omnino carbunculi nomine peſſimum variolarum genus, uſtione propterea tollendum, denotare videntur, benignas vero variolas puſtularum nomine deſignat *Celſus*. Poſt illos ſub undecimi demum Seculi finem *Conſtantinus Africanus*, Arabum Medicinam in Italiam introducens, de hoc morbo aliqua tradidit, qui primus diverſis locis nunc de carbunculis, nunc de variolis loquens, errori late poſtea diffuſo, ac ſi diſtincti eſſent bini hi morbi, occaſionem dedit; unde poſtea etiam anthrax & carbunculi pro diverſis habiti, ſenſimque variolæ pro novo morbo venditatæ, carbunculi vero Græcorum peſtis ſignum perperam conſtituti ſunt. Detecta ſic erroris origine, aliqua etiam de cicatricibus variolarum addit, de quibus antiquos nihil attuliſſe multi putant, indeque ignotas illis fuiſſe variolas colligunt: quarum tamen mentionem ab antiquis Græcis æque ac Latinis Scriptoribus injectam eſſe, adductis pluribus locis, teſtatur, quorſum inprimis *ἐῤῥακωμένα πρόσωπα Dioſcoridis* referenda putat, Latine per conſutas facies exprimenda, atque cicatrices illas malignarum & confluentium variolarum apte denotantia. Uti vero hactenus allata ſolicitam atque cum exacto judicio inſtitutam veterum artis medicæ Scriptorum lectionem abunde teſtantur, ita non minus in iis, quæ ad notitiam horum hiſtoricam pertinent, verſatum eſſe Cl. Autorem, teſtatur annexa ad Virum Cel. *Jo. Alb. Fabricium* Epiſtola de veris *Meſuæ Syri* ſcriptis non deperditis, ſed ſub *Jani Damaſceni* nomine conſervatis. *Meſues Syrus*, Medicus non infimi inter Arabes ordinis, Seculo octavo florens, ab aliis etiam *Jani Damaſceni* nomine ſalutatus eſt, unde ſequentibus temporibus diſtinctos his nominibus viros deſignari creditum, at-

Cap. VIII §. 78 ſeq. 86. 91 ſeq.

que

Digitized by Google

que ſcripta *Meſuæ Syri*, ſub nomine *Jani Damaſceni* in vulgus nota, vel pro deperditis habita, vel inter juniorum Medicorum, quorum tres *Meſuæ* nomine noti, libros perperam quæſita ſunt. Hunc igitur errorem ut refelleret Cl. Autor, primo bina hæc nomina uni competere *Meſuæ* evincit, inde vero ſcripta, *Jani Damaſceni* nomine edita, genuinos illius fœtus eſſe probat. Ea enim, quæ de *Meſuæ* vita apud *Leonem*, & de *Jano Damaſceno* ab *Abulpharajo* memorantur, adeo ſibi conveniunt, ut ad duos omnino diſtinctos viros eadem ſimul omnia pertinere, vix videatur veroſimile. Neque leviora ſunt, quæ de ſcriptis *Jani Meſuæ* aſſignandis, certiorem reddunt Cl. Autorem argumenta. Omnia enim, quæ *Meſuæ* tribuuntur encomia, his quoque *Jani* ſcriptis denegari nequeunt, ut merito pro primo Medicinæ Arabicæ Syſtemate habeantur; præterea multa in ipſis ſcriptis de vita Autoris momenta occurrunt, ad *Meſuen* pertinentia; deinde *Rhaſes* & *Avicenna* multa ex *Jani* ſcriptis loca adducunt, illa vero *Meſuæ* tribuunt; denique par librorum numerus, ad triginta ſeptem excurrens, utrique aſſignatur; etſi enim ſeptem ſolum *Jani* proſtent, reliquorum tamen in his ipſis ſubinde mentio fit, quorum partem forte in *Meſuæ Junioris* libris quærendam conjicit, etſi nonnulla ſequiori ævo his a juniore quodam admixta ſint. Sed, dum hæc in ſummam redigere conamur momenta, ne obſcuri fiamus, merito veremur. Quare Lectores harum diſquiſitionum amantes ad ipſum elegans Cl. Autoris Schediaſma remittimus.

TAVOLE GNOMONICHE PER DELINEARE OROlogj a Sole, &c.

h. e.

TABULÆ GNOMONICÆ, DELINEATIOni Horologiorum Sciatericorum inſervientes, quæ conſentiant cum Horologiis Italicis, ſonitu campanæ pulſæ horas indicantibus, una cum aliis Tabulis, eidem fini & *aliis*

aliis usibus destinatis, quarum calculos subduxit JOANNES LUDOVICUS QUADRI, Academiæ Instituti Scientiarum Bononiensis Adscriptus.

Bononiæ, ex officina typographica Lælii a Vulpe, 1733, 4. Alph. 1 pl. 5, cum Tabb. æn. 6.

Quoniam methodus delineandi Horologia Sciaterica, quæ e principiis Trigonometricis petita est, multis modis antecellit methodum nude Geometricam, propterea quod in hac multæ lineæ ducendæ sunt, quæ post Horologii descriptionem nullius usus & delendæ sunt, quibus in illa commode carere possumus, illaque ob præceptorum simplicitatem, Tabulis, quarum calculus jam ante ductus fuit, facile adjuvandam, minus hac erroribus, inter operandum ob linearum ducendarum grandem numerum subrepere solitis, exposita, &, quæ a Geometriæ penitioris ignaro dextre exerceatur, aptior est; consilium cepit Autor exantlandi semel tædiosi calculi labores, quo aliis talia Horologia descripturis ea tædia identidem devorasse necesse non esset. Similem jamjam laborem, qui in se susceperit, habent Itali *P. Colombonum*, sed, præter difficultatem potiundi Tabulis, ab illo exputatis, quæ, quia communi plausu exceptæ sunt, citius, quam æquo animo ferre possunt hujus scientiæ amatores, se Bibliopolarum tabernis subduxerunt, institutum, quod secutus ille est, a nostri Autoris scopo in eo dissidet, quod ille indicationi horarum solarium servierit, quæ Italorum more inde a solis occasu numerari per diem consueverunt: hic vero Horologia, campanæ sono horas elapsas significantia, respexerit, quæ ex usu Italiæ dimidiæ horæ intervallo post quotidianum solis occasum computari incipiunt, vulgares ideo dictæ. Sunt quidem solum ad Bononiensem Poli altitudinem $44°30'$ comparatæ Autoris computationes, verum & locis aliis adhiberi tuto possunt, quorum altitudines Poli non adeo multum differunt a Bononiensi. Præcepta, quibus

quibus innititur Tabularum ſupputatio, ipſe Autor ex aliis Scriptoribus de arte Gnomonica repeti debere monet ab iis, qui a theoria non ſatis inſtructi fuerint. Hinc, quæ ab initio hujus libri præcipiuntur, theoriam ſupponunt; praxi juvandæ fere ſolum conducunt; & expeditiorem Tabularum,ab Autore operóſe computatarum, uſum in deſcribendis Horologiis quibuscunque commonſtrant, qui nitori planorum conſervando, in quibus deſcriptio confieri debet, ſecuritati in operando & ab erroribus immunitati, facilitati denique jucunditatique,haud parum conſulit. Expoſito adeo ſignorum,quibus in Tabulis ſuis compendii ſectandi ſpatiique chartæ lucrandi cauſa uti neceſſe habuit Autor, ſignificatu, ope illarum horizontalia Horologia deſcribere docet, deque variis modis ducendi in plano horizontali lineam meridianam, altero communiter noto, altero ope ephemeridum ſolarium atque per Tabulas altitudinum & azimuthorum ſolis,unica intercedente obſervata longitudine umbræ gnomonis,perficiendo,deHorologiis verticalibus perTabulas ſuas facilius deſignandis,de exploratione declinationis muri cujusdam a linea meridiana,tum ope acus magneticæ,tum ope ſemicirculi in gradus ſuos diviſi inſtituenda, de ſtilo,umbram projecturo,Horologiis deſcriptis commode & rite infigendo exponit. Tandem Tabulæ ipſæ ſequuntur, libri maximam partem occupantes, de quibus quoniam,quod ad ipſum inſtitutum attinet, cum Tabulis, a *Jo. Gauppio* in Gnomonica Mechanica univerſali, Auguſtæ Vindelicorum A. 1711, 4, typis excuſa, & a P. *Bernardo Grubero* in Horographia Trigonometrica, A 1718 Pragæ prelo impreſſa, ſuppeditatis,conveniunt, niſi quod hi alias, quam Italicas, horas, locaque,quorum altitudo Poli a Bononienſi differt, reſpexerint, plura in medium adducendi labore ſuperſedere poſſumus: id unicum adhuc monuiſſe ſatis habentes, præfixas *Franciſci Mariæ Zanotti*, Secretarii Academiæ Scientiarum Bononienſis, ad Autorem literas abunde conſenſum plauſumque tum ſingulorum, tum univerſæ Academiæ, hiſce Tabulis attributum, confirmare, ob quas communi ſuffragio earum ſupputatori, quaſi in laboris ſuſcepti & perlati ſolatium,conceſſum fuit Privilegium,utendi in poſterum titulo Socii hujus Academiæ.

Pag. 1-19.

25 - 220.

ORATIO DOMINICA CHALMYCCICE VERSA, *quam, cum pronuntiatione & interpretatione verbali, Petropoli Lipſiam ad Collectores Actorum Eruditorum transmiſit* GERHARDUS FRIDERICUS MÜLLERUS, *Academicus Imperatorius Petropolitanus, & Regius Londinenſis.*

Non dubitamus, quin eorum futuri ſint multi, qui grato animo accipiant lectiſſimum hoc linguæ peregrinæ, nec adeo in his terris cognitæ, ſpecimen, unde cognoſcere quodammodo linguæ hujus, barbaræ genti propriæ, rationem poſſint, nec non pronuntiandi modos, & literarum, quibus utuntur Septentrionales illi Tatari, characteres intelligere. Eſt hæc TAB. V. ſcire & in Tabula contemplari jucundum, etſi moleſtum forſan addiſcere, & ſcribendo, vel pronuntiando, exprimere. Clariſſimo *Müllero*, cujus factum eſt liberalitate, ut hæc ad nos venerint, gratulamur familiarem linguæ vel aſpectu ipſo tam horridæ uſum, ſperamusque, fore, ut hujus ope præſtantiſſimas multas Antiquitatum Septentrionalium reliquias, ſuis huc uſque tenebris ſepultas, in lucem aliquando revocet, & in orbis eruditi, illarum cupidiſſimi, proferat conſpectum.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE, &c.

h. e.

COMMENTARII, HISTORIÆ CELEBERrimorum in Republica literaria Virorum inſervientes. Accedunt Catalogi librorum, a ſingulis ſcriptorum, de iisque judicia.

Tomus XVII & XVIII.

Lutetiæ Pariſ. apud Briaſſonium, 1732, 8.
Tomus quisque habet plag. 18, & totidem plag. dim.

Per-

A. B. V. ad Nov. Act. Erud.
A. 1734. M. Majo. p. 214.

Sed

adà

hominibus

non

introducas,

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Pergit Vir Doctiſſimus magna induſtria contexere Virorum ingenio clarorum hiſtoriam. Et *prior* quidem *Tomus* cum vitam, tum Indicem ſcriptorum habet *Henrici Corn. Agrippæ*, m. A. 1535; *Chriſtophori Longolii*, m. A. 1532 d. 11 Sept. *Gilberti Longolii*, m. A. 1543 d. 13 Maji; *Dionyſii Gothofredi*, m. A. 1622 d. 7 Sept. *Theodori Gothofredi*, qui, prioris filius, deſerta, quam a patre acceperat, religione, Romano-Catholica in caſtra transgreſſus, beate vixit in Gallia, magnis a Rege affectus beneficiis ac honoribus, mortuus in Germania Monaſterii, quo miſſus erat ad negotium pacificationis adjuvandum, A. 1648 d. 30 Octobris; *Jacobi Gothofredi*, (qui *Theodori* fuit frater,) de cujus vita perparum proditum eſt poſteritatis memoriæ, m. A. 1652 d. 24 Junii; *Dionyſii Gothofredi*, (qui fuit filius *Theodori*, æque, ut hic, functus Regii Hiſtoriographi munere,) m. A. 1681 d. 9 Junii; *Joannis Savaronis*, m. A. 1622; *Joannis Chapeavilli*, cujus potiſſimum Hiſtoria Eccleſiæ Tungrenſis, Trajectenſis, & Leodienſis, vel potius Sylloge monumentorum veterum illuc pertinentium, eſt memorabilis, m. A. 1540, menſe Majo; *Ludovici Guicciardini*, (qui *Franciſcum* habuit patruum,) m. A. 1589 d. 22 Martii; *Modeſtæ Pozzo*, Latine *a Puteo*, m. A. 1592 d. 2 Novembris. Docta hæc mulier, A. 1555 Venetiis nata, adeo valuit memoria, ut, quod ſemel audierat, poema, imo totam concionem ſacram, repetendo, recitare poſſet. Fuit præterea & artis pictoriæ & Muſicæ perita. Ac ſuperſunt ejus Poemata Italica. Marito uſa eſt *Philippo de Georgiis*, in urbe Venetiis Advocato generali. Sequitur hinc vita *Caroli Rivierii Dufrenii*, Scriptoris Comici, m. A. 1724 d. 6 Oct. *Jo. Henr. Heideggeri*, m. A. 1698 d. 18 Januarii; *Jacobi Sirmondi*, m. nonagenario majoris A. 1651 d. 7 Oct. *Lucæ Tozzi*, (cujus Opera Medica Venetiis A. 1721 prodierunt in quinque Voluminibus in 4.) m. A. 1717 d. 11 Martii; *Gentiani Herveti*, m. A. 1584 d. 12 Sept. *Jordani Bruni*, in rogo m. A. 1600 d. 17 Febr. *Jacobi Philippi Bergomenſis*, m. A. 1520 d. 15 Junii; *Joannis Bauhini*, m. A. 1613; *Caſparis Bauhini*, qui prioris frater fuit, m. A. 1624 d. 5 Dec. *Caroli Paſchalii*, m. A. 1625 d. 25 Dec. *Joannis Bodini*, m. A. 1596;

Digitized by Google

1596; *Hieronymi Fracaſtorii*, m. A. 1553 d. 6 Aug. de quo uberrimam Commentationem *Frid. Ott. Menckenii*, Collegæ noſtri, recenſuimus in his *Actis* A. 1731 p. 198 ſeq. *Guilielmi Barclaji*, m. A. 1605; *Joannis Barclaji*, m. A. 1621 d. 12 Aug. *Erycii Puteani*, m. A. 1646 d. 17 Sept. *Hilarionis de Coſta*, m. A. 1661 d. 22 Aug. *Petri Ærodii*, m. A. 1601 d. 21 Julii; *Conradi Geſneri*, m. A. 1565 d. 13 Dec. *Claudii Pocqueti*, m. A. 1726 d. 31 Maji; ac denique *Andreæ Dudithii*, m. A. 1589 d. 23 Februarii.

Alterius Tomi primum locum occupat Vita *Joannis Racinii*, Poetæ dramatici clariſſimi, m. A. 1699 d. 22 Aprilis. Operum ejus, duobus in Voluminibus ſæpius editorum, editiones Pariſinas, etiam illam, quæ A. 1728 prodiit, fœdas & mendoſas eſſe, docet Cl. Autor: Amſtelodamenſem vero anni 1722, & Londinenſem anni 1723, quavis laude dignas pronuntiat. Sequitur Vita *Michaelis Pocciantii*, Monachi Servitæ Florentini, m. A. 1576 d. 6 Junii. Scripta ejus ex Cl. Autoris judicio non ſunt magni pretii: inter quæ cum notiſſimus ſit *Catalogus Scriptorum patriæ Florentinorum*, etiam in hoc multorum omiſſam eſſe mentionem, docet, de iis vero, qui laudantur, afferri perpauca. Succedit Vita *Richardi Stanyburſti*, Hiberni, m. A. 1618; *Joannis Baptiſtæ Gellii*, ſartoris (non ſutoris) Florentini, tam ſimul imbuti literis, ut & receptus ſit in Academiam *Humidorum*, & libros plures bonæ notæ ediderit, m. A. 1563, (errant quippe, qui anno 1568 ejus mortem adſcribunt,) menſe Julio; *Auguſtini Niphi*, cujus emortualis annus incertus eſt; *Antonii Godelli*, Epiſcopi Graſſenſis, cujus *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, quinque Tomis conſtans, excidit manibus doctorum, ex quo *Fleurii* prodiit labor ſimilis, m. A. 1672 d. 21 Aprilis; *Petri Caſanovæ*, m. A. 1652 d. 31 Oct. *Franciſci Michaelis Janiſſonii*, m. A. 1730 d. 18 Aug. *Jani Broukbuſii*, m. A. 1707 d. 15 Dec. *Galtierii Charletoni*, vel potius *Charltoni*, m. poſt annum 1695; *Iſaaci Caſauboni*, m. A. 1614 d. 1 Julii; *Merici Caſauboni*, m. A. 1671 d. 14 Julii; *Andreæ Villaderii*, m. A. 1638 d. 3 Auguſti; *Chriſtiani* (non *Chriſtophori*) *Longomontani*, m. A. 1647 d. 8 Oct. *Eduardi Herberti*, Baronis Cherburil, m. A. 1648 d. 20 Aug. *Roberti*

berti Moriſoni, m. A. 1683 d. 10 Nov. *Ludovici Couſinii*, m. A. 1707 d. 26 Febr. *Jani Douſæ*, m. A. 1604 d. 8 Oct. & filii cognominis, m. A. 1597 d. 21 Dec. ac ceterorum filiorum, qui libros ediderunt, *Georgii*, *Franciſci*, & *Theodori*; *Guilielmi Burtoni*, m. A. 1657 d. 27 Dec. *Leonardi Fuchſii*, m. A. 1566 d. 10 Maji; *Samuelis Puſendorfii*, m. A. 1694 d. 26 Octobris: in cujus vita quæ Cl. Autor vel omiſit, vel erravit cum Germano Biographo, quem ſe profitetur ſecutum eſſe, unde emendari queant, indicavimus in his *Actis A. 1727 p. 522.* Vita hinc ſequitur *Joannis Alphonſi Borelli*, m. A. 1679 d. 31 Dec. *Mauritii Hylareti*, m. A. 1591; *Claudii Franciſci Fraguierii*, m. A. 1728 d. 3 Maji; *Hieronymi Magii*, m. A. 1572 d. 27 Martii; *Bilibaldi Pirckheimeri*, m. A. 1530 d. 22 Dec. *Joannis Jacobi Boiſſardi*, m. A. 1602 d. 30 Oct. *Joannis de la Fontaine*, de quo paulo poſt plura dicemus; *Severini Pinelli*, Chirurgi Regii, m. A. 1619 d. 29 Nov. *Lucæ Tanſilli*, militis ejusdem, & Poetæ Comici, m. A. 1571; *Jacobi Waræi*, Hiberni, & rerum Hibernicarum Hiſtorici copioſiſſimi, m. A. 1666 d. 1 Dec. *Henrici Meibomii*, mortui A. 1700 d. 26 Martii; & ultimo loco *Joannis de Labadie*, ſingularis ſectæ conditoris, cujus & *κυρίαι δόξαι* hic recenſentur, m. A. 1674.

Non veremur, ne Lectoribus noſtris ingratum ſit futurum, videre hic deſcripta ſermone Latino, quæ patrio Cl. Autor memoriæ prodidit de Galliæ Æſopo, (nam non ingenio ſolum, ſed moribus etiam, fuit alter *Æſopus*,) *Joanne de la Fontaine*. Natus is A. 1621 d. 8 Julii in Caſtro Theodorici, quod Campaniæ oppidum eſt, patre ſylvarum præfecto, annum agens undevigeſimum adſcriptus eſt Congregationi Oratorii, ſed, adverſante genio, (libertatis enim amans erat, & certas vivendi leges refugiebat,) nondum elapſo biennio, rurſus inde exceſſit. Quo facto, pater ſuo ſe munere abdicavit, ſucceſſorem nactus hunc filium: qui quidem eo viginti amplius annos functus eſt, ſed ita negligenter, ut appareret, nec hoc vitæ genus eſſe naturæ ipſius conveniens. Ducta uxore, alienam potius, quam ſuam, voluntatem ſequens, cum ea, quippe quæ pulchritudini

junctam habebat aſperitatem morum & contumaciam, minus commode vixit. Quare ſæpius ab ea diſceſſit, diſſimulata tamen ægritudine animi, donec tandem plane deſerta ea Lutetiam ſe contulit, totosque ibi annos conſumens, non rediit, niſi cum aliquid vendere vellet ſuorum bonorum, ut haberet, unde viveret. Etſi enim bona patria ipſius vitæ ſuſtentandæ poterant ſufficere, tamen nec ipſe, nec uxor, uterque ſcilicet carens œconomica prudentia, iis recte utebantur. Facultas ipſius poetica poſtero tempore ipſi comparabat & vitæ ſubſidia, & magnos Patronos. Etſi enim ad annum vitæ vigeſimum ſecundum provectus nihildum tenebat artis poeticæ, tum tamen, prælecta ſibi forte Oda quadam *Malberbii*, ita captus eſt ejus dulcedine, ſtatim ut animum adjiceret lectitandis hujus Poetæ carminibus, eaque memoriæ mandaret, & per ſylvam ambulans jucunde recitaret, imo & ſui ingenii vires experiretur imitando. Admonitus inter hæc ab amico quopiam, ut *Horatium* quoque, *Virgilium*, ac *Terentium*, aſſidue legat, non ſolum paruit conſilio, ſed etiam tam bonos deprehendit hoſce triumviros, ut nativum eorum candorem inaffectatamque ſimplicitatem longe anteferret *Malberbianis* ornamentis. Factus hinc Poeta, nominisque conſecutus celebritatem, beneficiis ſubinde affici cœpit a Viris principibus. Ceterum, cum nec inde ſatis ſuppeteret ad honeſte vivendum, accidit, ut matrona quædam, nomine *Sablieria*, domum ſuam eum reciperet, perque viginti annos, quæcunque opus erant, ipſi large ſuppeditaret. Amabat ea non ſolum Philoſophiam, verum etiam Poeſin, &, cum videret, Poetam noſtrum non eſſe idoneum ad curandam rem ſuam familiarem, matris loco ei eſſe ſtatuit. Aucta ipſius gloria, cum illuſtris ille *Colbertus* exceſſiſſet vita, Gallica Academica eum cooptandum duxit in ſuum Collegium, & dandum *Colberto* ſucceſſorem. Impedimento vero fuerunt aliquot ipſius carmina minus verecunda, quo minus totum illud clariſſimum Collegium huic aſſentiretur conſilio. Et, quanquam plurium ſuffragiis eligeretur, minor tamen Collegarum pars avertit ab ipſo Regis, cujus eſt, aſſenſu ſuo electionem confirmare, benevolentiam. Nec ve-

ro

ro hic ſibi defuit Noſter. Per aulicam enim matronam quandam, ſuam patronam, ad Regem miſit Poemation, cujus poſtremus verſus hanc habet ſententiam: *Eſto, quæſo, Rex, qui es. Ita non vereor, ne aliter, quam opto, res eveniat.* Diſtulit tamen Rex ſententiam ſuam in illud tempus, quo, alio loco vacuefacto, *Boilæus* ipſi offerebatur in idem Collegium adſciſcendus. Tum enim Rex ita fatus eſt ad Academicum illum, qui *Boilæum* totius illius Academiæ nomine Regi commendabat: *Recte elegiſtis Boilæum, ſed & Fontanum volo a vobis recipi. Is enim (ita certe promiſit,) in poſterum ſapiet.* Ita d. 2 Maji A. 1684 Noſter factus eſt Academicus. Defuncta, quam ſupra laudavimus, *Sablieria*, *Sanctevremontius* ei ſuaſit, ut veniret in Angliam, a proceribus nonnullis liberaliſſime ſuſtentandus. At, cum nec in Gallia deeſſent ipſi nutritores, permanſit in patria, quæ, dimiſſo tanto Viro, & dolorem & ignominiam erat acceptura haud mediocrem. A. 1692 Decembri menſe cum gravem incidiſſet in morbum, *Poujetus* quidam, ſacri ordinis vir, ad ipſum, ſuæ quippe diœceſi ſubjectum, venit, & de religione pietateque ad ipſum verba fecit. Fuerat adhuc *Fontanus* nec impius, nec pius, hoc eſt, non fovebat pravas de religione ſententias, ſed nec majorem, quam ceterarum rerum omnium, religionis ac virtutis Chriſtianæ habuerat rationem. Dici enim vix poteſt, quam vacuus omni cura fuerit. Nunc vero juſſus a *Poujeto* dicere ſuam de religione ſententiam, hæc verba edidit: *Non ita pridem legere cœpi Novum Teſtamentum, ac deprehendi, eſſe hunc optimæ notæ librum. Optimus, inquam, ſane liber eſt. Aſt uni ejus doctrinæ de æternitate pœnarum infernarum aſſentiri nondum potui. Neque enim conſiſtere mihi poſſe videtur cum iſta doctrina bonitas Dei infinita.* Duodecim tamen dies cum conſumſiſſet ſacerdos oppugnandæ huic Poetæ dubitationi, victor evaſit, eique perſuaſit, omnia ſacri Codicis dogmata eſſe veriſſima. Præterea fidem dedit *Fontanus*, ſe poſthac ex præſcripto ſacri Codicis victurum, &, ut pie moriatur, anniſurum eſſe. Facta deinde peccatorum univerſæ ſuæ vitæ confeſſione, cum *Poujetus* exigeret, ut Comœdiam, quam brevi

editurus erat, in ignem conjiceret, ſimulque promitteret, ſe publico ſcripto deteſtaturum fabulas ſuas, ad corrumpendos lectorum animas idoneas, utrumque quidem fecit, ſed nonnullam poſtea agens hujus pœnitentiæ pœnitentiam. Interim invaleſcente eum in modum morbo, ut ſalus ipſius deſperaretur, impertitum ei eſt ſacrum viaticum, quod vocant, d. 12 Februarii A. 1693. Quod antequam acciperet, hunc habebat ſermonem ad *Poujetum*, & ad aliquot Academiæ Collegas, quos vocari juſſerat: *Domine* Poujete, *rogavi Academiam Francicam, ut e ſuo Collegio mitteret huc aliquot, qui teſtes eſſent ejus, quod nunc facturus ſum. Satis conſtat, compoſitum eſſe a me libellum fabularum turpium. Equidem cum conſcribens non ſenſi, tam eſſe eum noxium. At poſtea edoctus veriora, nunc agnoſco, librum iſtum eſſe deteſtandum. Pœnitet proinde me ſcripſiſſe eum, rogoque & Deum & Eccleſiam & te, Reverende* Poujete, *& vos, Collegæ Academici, & quotquot præterea hic eſtis, ut mihi ignoſcatis. Vellem, Opuſculum hoc nunquam a me contextum eſſe: vellem, id eripere poſſem e manibus hominum. Illud promitto ſancte in præſentia Dei, os meum nunc intraturi, nunquam me conſenſurum, id ut vendatur typiſque exſcribatur. Abdico etiam fructum, quem percipere poſſem e nova ejus editione, quam quidem nunc adornari in Hollandia paſſus ſum. Quod ſi Dei beneficio convaluero, publice, quod nunc facio, faciam, &, quod reliquum eſt mihi vitæ, inter exercitia pœnitentiæ conſumam, quantum quidem per vires corporis licebit, & artem poeticam non exercebo, niſi componendis carminibus piis.* Ipſo hoc die Dux Burgundiæ ſua ſponte, nullius inſtinctu, (id quod in puero duodecenni permirum,) Poetæ noſtro muneri miſit quinquaginta (*Louis d'or*) Ludovicianos, dicens, ſibi perplacere promiſſum *Fontani* ante meridiem factum; iniquum vero ſibi videri, ipſum eo promiſſo reddi pauperiorem: hac igitur ratione ſe cavere, ne damnum ipſi ſua promiſſio afferat. Nec tamen ultimus hic fuit ejus morbus, ſed ex eo tempore vixit biennium, redditusque ſanitati, quam ſanctam privatim fecerat promiſſionem, eam publice repetiit in conſeſſu Academiæ, ſimul præle-

prælegens verſus Gallicos, quos tum confecerat de morte, deque extremo judicio. Reliquum ſuæ vitæ curriculum confecit in domo *Herwartia*, ſpectatæ probitatis matronæ, quæ non minoribus eum, quam antea *Sablieria*, affecit beneficiis. Cum in eo eſſet, ut hymnos Eccleſiaſticos Latinos redderet verſibus Gallicis, novo correptus morbo, vitæ finem impoſuit d. 13 Martii A. 1695 ſeptuagenario major. Ipſe ſibi ſcripſerat dudum Epitaphium, quod e Gallico ita tranſtulimus:

Fontanus hic jacet, Poeta nobilis,
Curis carens, & omnibus bonis carens,
Quæ non futuri providus conſumſerat.
Bona illa ſcilicet eſſe ſemper cenſuit
Pretii bona haud magni. Egerit quid, ſcire vis?
Partem alteram vitæ peregit dormiens,
Parte altera otioſus exegit nihil.

Reliquit unum filium imparis ingenii, poſtea admotum vili cuipam muneri in oppido Tricaſſium. Supereſt, ut naturam hominis deſcribamus. Per omnem vitam e moribus ejus eluxit ſimplicitas, & ea quidem, quæ prope accederet ad infantiam. Imo vere dixeris, eum toto vitæ ſuæ tractu manſiſſe infantem. Candidus erat, credulus, tractabilis, & facilis, carens ambitione, carens iracundia, carens avaritia, ſemper aliud ex alio agens, nulli rei diutius inhærens, ſolam ſequens voluptatem, vel potius otium. Si faciem vidiſſes, non judicaſſes, magni hominem ingenii eſſe. Præ ſe enim ferebat ſpeciem hominis ridiculi & ſtupidi, oculos gerebat pæne ſemper contractos, nullam habebat morum elegantiam. In converſatione erat piſce magis mutus, & mentem in omnia alia convertens, haud attendebat iis, quæ dicebantur. Invitatus aliquando ad convivium a quodam, qui clarum hunc Virum penitius noſſe, & colloquio ejus frui cupiebat, ſtatim condixit, & ſtatuto tempore adfuit. Verum inter prandium altum tenebat ſilentium, totus intentus cibo & potui, tantum capiens cibi tantumque potus, quantum ſuffeciſſet quatuor aliis. Facile igitur patiebantur convivæ, eum ſermone abſtinere, cum os ejus alio labore eſſet occupatiſſimum. At, cum ſperarent, ipſum, finito

prandio, verba facturum eſſe, præter opinionem tam alto capiebatur ſomno, ut vix ante finitam horam expergiſceretur. Sed nec tum reſpondebat exſpectationi convivarum. Totus enim meditationi neſcio cui immerſus, corpus videbatur habere inanimatum, cunctis admirantibus, & *Fontanum* in *Fontano* requirentibus. Interdum tamen, cum eſſet inter ſodales ſuos, diſertus ſatis erat, leporisque oſtendebat plurimum. Subinde etiam hominibus miſero verſantibus in ſtatu conſilia dabat ſalutaria, ipſe ſuus conſiliarius peſſimus. Inter Scriptores ſuperioris ævi maximi faciebat *Rabelæſum* & *Marotum*, ac priorem contendebat ingenioſiorem fuiſſe *S. Auguſtino.* Veteres vero inter Scriptores ipſi in deliciis erant *Plato* & *Plutarchus*, quos legebat aſſidue. Ipſius inter Opera primum locum tenent *Fabulæ Æſopiæ*, plenæ facilitatis, leporis, ingenii, ſimplicitatisque. *Facetiæ* quoque ejus tam ſunt probatæ Viris doctiſſimis, ut earum elegantiam aſſequi nemo credatur poſſe. Edidit *Evnuchum*, Comœdiam, A. 1654; *Narratiunculas metricas*, quarum duo Volumina prodierunt Amſtelodami A. 1685, 8, & A. 1700, & Lutetiæ A. 1695 & 1721; *Fabulas in verſus redactas*, quarum optima editio Hagenſis A. 1700, quinque conſtans minoris formæ Voluminibus; & alia Opera, conjunctim edita, licet titulus præferat Antwerpiam, Lutetiæ A. 1726 in tribus formæ quadratæ Voluminibus, nitidiſſime exſcriptis.

JOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGI Diſquiſitio conjecturalis de Colore Argevan, Argeman, Argevana.

§. I. Qui olim ad ſolem orientem fixerant fortunarum ſedes, mirifico in id ferebantur ſtudio, ut magnificentiam & oculos fulgore colorum vario proderent paſcerentque. Reges & ſummates illam præcipue delectationem ſplendidam cordi habebant. In conjuge Regis illius Babylonii, qui hortos pendulos in aera eduxit, cupiditas illa tanti erat roboris, ut virides variosque ſylveſtrium deliciarum honores, quibus ipſa aſſue-

assueta erat ab ineunte ætate, averet continuo oculis habere subjectos. *Dejocis* opus, *Ecbatana*, caput Mediæ, huic pronuntiato exemplum præbet luculentissimum. Ut enim nunc ea omittam, quæ de exstructione hujus oppidi copiose scribit *Herodotus*, & ut paucula pro testimonio ex *Lib. I Cap.* 134 afferam, varietas colorum in pinnis murorum, duntaxat jam in censum veniens, efficit. De hac Autor ille laudatissimus: *Singulæ minæ suis atque hunc in modum distinctis fulgent coloribus. Nempe primi ambitus pinnæ colore sunt albicanti, secundi nigro, tertii purpureo, quarti cæsio, quinti sandaracino.*

§. II. Color Sandaracinus a purpureo distinguitur, quia dilutior & perlucidior. De *Sandaraca Plinius Lib. XXXIV Cap.* 18: *Invenitur & in aurariis & in argentariis metallis, melior, quo magis rufa, quoque magis virus redolens, ac pura friabilisque.* Idem sandaracham ad colores nativos factosque refert. Sandaracinus nativus fit ex sandaracha illa fossili; factitius seu adulterinus ex cerussa paratur. *Plinius Lib. XXXV Cap.* 6: *Fit & adulterina* sandaracha *ex cerussa in fornace cocta. Color debet esse flammeus. Pretium in libras asses quini. Hæc si torreatur, æqua parte rubrica admista, sandycem facit. Pretium in libras dimidium ejus, quod sandarachæ. Nec sunt alii majoris ponderis. Inter factitios est & Scyricum, quo minium sublini diximus. Fit autem sinopide & sandyce mistis.* Intexere hæc loco *Herodoti* enodando placuit, ut innotesceret simul, quid sit ששר *Scyricum Jer. XXII,* 14. De quo *Plinius* alibi *Lib. XXXIII Cap.* 7 jam differuerat, subjiciens suæ de minio tractationi: *Hoc ergo adulteratur minium in officinis sociorum: item Scyrico. Quonam modo Scyricum fiat, suo loco dicemus. Sublint autem Scyrico minium, compendii ratio demonstrat.* Voci שני substituitur כרמיל *carmil*, fossile minium, ex כרה & מיל μίλτος. Confer *Exod. XXVIII,* 5, 6, 8, *XXXIX,* 2, 5, 22, 23, 28, 29, *XXXVI,* 8, cum 2 *Par. II,* 6, 13, *III,* 14. Quid igitur est שֵׁשׁ מָשְׁזָר? Est *byssinum Scyrico infectum.* Quando etiam *Scyricum* ששר inunctioni ac picturæ ædium tribuitur *Jer.*

Jer. XXII, 14, *Ez.* XXIII, 14, tunc *minium Scyrico ſublitum* intelligitur. Mos ille inducendi parietes & facies ædium variis coloribus, uti vel ex *Dejocis* exemplo conſtat, fuit regius & Orienti peramicus. Conf. *Prov. XXXI, 21,* & *Muſei Bremenſis P. I Diſſ. 8.*

§. III. In veſtimentis exornandis populi Orientales variegatis coloribus fuerunt uſi, imo abuſi ſæpius. Veſtes *Joſephi* & *Thamaris* id ipſum loquuntur. Vide *Gen. XXXVII, 3. 2 Sam. XIII, 18.* Utriusque horum amicula ſuperiora vocantur כְּתֹנֶת פַּסִּים. Vox פס *particulam, portionem, fruſtum, fragmentum,* notat. *Buxtorfius* in *Lexico Talmudico p. 1772*: פסס eſt diſſipari, in partes comminui, *Pſ. XII*, 2. Syrus Interpres, quem ad quartum rejicio Seculum, *portionem, κλῆρον,* ſic vocat *Matth. XXVII, 35*:

ܘܟܕ ܙܩܦܘܗܝ ܦܠܓܘ ܢܚܬܘܗܝ ܒܦܣܐ

Et, cum in crucem ſuffixiſſent illum, diviſerunt veſtimenta ejus pro parte, pro rata portione. Si partes veſtimenti ſunt ejusdem coloris, & apte ſatis conſutæ, apparent illæ tamen inſtar continui. At, ubi ſtriæ diverſi coloris in eodem texto inſunt, repræſentatio oculis partes ingerit, & apparentem continui ſeparationem. Veſtis igitur partium eſt eadem ac verſicolor, πολυμιτος, ποικιλος. Applaudit *Joannes Chriſtophorus Wichmannshauſen* in *Philologematis octo ſelectioribus* §. I, ubi ſic diſſerit: *Talares ejusmodi & manicatas veſtes more priſcarum gentium, ad ſolem orientem incolentium, fere verſicolores fuiſſe, hoc minus eſt, quod dubitemus, quo clarius ævi prioris monumenta teſtantur, variegatas pictasque veſtes ab iſtis populis eſſe in deliciis ac honore, prorſus ut principum virorum magnatumque propriæ, nec plebejis licitæ, crederentur.* Huc refero *auream ſpiram*, cujus apud *Juvenalem Sat. VIII v. 207* fit mentio. Hæc enitebat in veſte ſaliari & variegata. Confer *Octavii Ferrarii Elect. II, 16.*

§. IV. Succurrit alius locus ex libro primo *Democriti Epheſii* de *Templo Epheſiæ Dianæ*. Locum debemus *Athenæo*, cuſtodi ſcriptorum veterum fideliſſimo, *Lib. XII Cap. 259 p. 525.* Tradit autem *Democritus* hæcce: Τὼ τῶν Ἰώνων ἰοβαφῆ

καὶ

και πορφυρα, και κροκινα ῥομβοις ὑφαντα. Αἱ δε κεφαλαι κατ' ισα διειλημμεναι ζωοις (a). Και Σαραπεις μηλινοι και πορφυροι, και λευκοι, οἱ δὲ αλουργεις και Καλασιρεις Κορινθιουργεις. Εισι δε αἱ μεν πορφυραι τουτων, αἱ δε ιοβαφεις, αἱ δε ὑακινθοι. Λαβοι δ' αν τις και φλογινας και θαλασσοειδεις. Ὑπαρχουσι δε και Περσικαι Καλασιρεις, αἵπερ εισι καλλισται πασων. Ιδοι δ' αν τις φησι και τας καλουμενας Ακταιας, ὁπερ εστι και πολυτελεστατον εν τοις Περσικοις περιβλημασι. Εστι δε τουτο σπαθητον ισχυος και κουφοτητος χαριν. Καταπεπλασται δε χρυσοις κεγχροις. Οἱ δε κεγχροι νημασι πορφυρῳ παντες εις την εσω μοιραν ἁμματ' εχουσιν ανα μεσον. *Dalechampius*, paſſim emendandus, hæc ita reddidit: *Veſtes Ionum ſunt purpurei coloris & violacei* (b): *tum etiam croceæ, rhombis intextis: capita vero diſtincta animalibus, æqualiter collocatis. Sarapæ ſunt luteæ* (c), *& purpureæ, & candidæ; cæruleæ vero & Calaſires Corinthi tinctæ. Sunt quidem inter eas aliæ purpureæ, aliæ violaceæ* (d), *aliæ hyacinthinæ. Interdum flammeæ, interdum glaucæ* (e). *Sunt etiam* (nempe Epheſiis) *Perſicæ Calaſires omnium elegantiſſimæ: & inter ea veſtium genera conſpiciuntur etiam, quas vocant littorales. Hoc eſt indumentum maximi pretii apud Perſas, ſumma impenſa textile, ut firmius ſit & levius, aureis milii granis conſperſum, quæ verſus interiorem veſtem media ſui parte filo purpureo aptata vinciuntur.*

§. V. Sarapes dicuntur μηλιναι ex μηλου, *malo*. Medi vero per *malum* intelligebant excellentiori ſignificatu *malum citreum*,

(a) *Caſaubonus* pro ζωοις mavult legere ζωναις, *ſtriis*, ſeu *zonis*.

(b) Verte: *Sunt ærugine tinctæ & purpureæ*.

(c) Ex malo Medico.

(d) Coloris æruginei.

(e) Reputaverit illas ſane aliquis & flammeas & marino colori ſimiles.

treum, quod erat Mediæ frequentiſſimum. Videatur *Virgilius* in *Georg. II v. 126 ſeq.* & *Athenæus Dipnoſ. Lib. III Cap. 42 p. 83 ſeq.* Locum *Virgilii* egregie exponit *Leopardus Cap. 6, 8.* Conf. *Plinius* H. N. *Lib. XII Cap. 3.* *Thyen* vocari *citrum*, tradit *Oppius* apud *Macrobium Saturn. Lib. III Cap. 14.* Hoc ipſum quoque probatur *Plinio Lib. XIII Cap. 16.* Color malis citreis eſt ex viridi flavus ſeu luteus. Quare μηλινον eſt *flavum viridi admixtum:* & μηλιζειν eſt reddere colorem flavum viridi mixtum. Σαραπεις *Pollux* vocat Σαραγας. Ipſe enim in *Onomaſtico Lib. VII Cap. 13 p. 340* in hunc modum : Ὁ δε Σαραγης Μηδων τι φορημα, πορφυρȣς, μεσολευκος χιτων. *Sarages eſt Medorum amictus purpureus, & tunica albo colore in medio diſtincta.* Calaſires Perſicæ ac veſtes Ionum fuerunt variegatæ, in quibus figuræ animantium eminuerunt. Similiter *Cherubim*, ſeu כרבים, in aulæis ſacris Moſaicis fuerunt animalium fortiſſimorum figuræ, quibus tutela ac robur angelorum, populum Dei cingentium, ſignificabatur. Ipſæ hæ figuræ per rhombum poni ſolebant, ideoque *kyrbin*, ſeu axem quadrangularem, repræſentabant. *Caſaubonus*, qui in loco *Athenæi* pro Ζωοις mavult legere Ζωναις, fide Codicum ac ratione ſolida deſtituitur. Sed ritus gentium & exempla ipſa lectionem receptam vacillare haud ſinunt. *Calaſiris* videtur dicta ab Ægyptiorum militibus, ex equo pugnantibus, quibus *Calaſirum* cognomen adhæſerat. *Heſychius:* Καλασιρις, χιτων, πλατυσιμος η ἡνιοχικος και ἱππικος χιτων. Ενιοι δε λινȣν και ποδηρη χιτωνιον. *Calaſiris eſt toga laxiſſima, aut aurigarum, aut equeſtris. Nonnulli ſic vocant lineam ac talarem togulam.* Idem *Heſychius* de Sarapi: Σαραπις, περσικος χιτων, μεσολευκος, ὡς Κτησιας. *Sarapis, toga Perſica, in medio albus, ut Cteſias docet.* Deſcriptio convenit cum *Sarage Pollucis.* In utro mendum ſcripturæ eſt ſtatuendum? Malim *Athenæi* inhærere lectioni vulgatæ, ſiquidem eam confirmat *Heſychius.* De veſtibus Actæis meditanti occurrit locus *Julii Pollucis* de *Candy, Lib. VII Cap. 13 p. 339:* Περσων μεν ιδια, Κανδυς και Αναξυρις, και την κυρβασιαν, και κιδαριν; και πιλον καλȣσιν.

Ὁ δε

Ὁ δε Κανδυς ὁ μεν βασιλειος, ἁλιπορφυρος. Ὁ δε των ἀλλων, πορφυρους. *Perſarum geſtamina propria ſunt Candys & caligæ, & ea, quam cyrbaſiam vocant, & cidarim, & pileum.* Cyrbaſiam vocari כַּרְבְּלָה, patet ex *Dan. III, 21. Heſychius*: Κυρβασια, ορθη τιαρα, ταυτῃ δε οἱ Περσων βασιλεις μονοι εχρωντο και κορυφη αλεκτορος. Cum igitur tres illi, in furno Babylonico illæſi, confeſſores vincirentur in cyrbaſiis, ſarapibus, & pileis, ac ita in fornacem conjicerentur ardentem; facile patebat, eos pro rebellibus ac novatoribus rei ſummæ fuiſſe habitos, eamque ob cauſam in aliorum ludibrium ornatu regio circumdatos. Candys ἁλιπορφυρους videtur eſſe Ακταια, ſiquidem marinus color ad littora eſt ex viridi cœruleoque mixtus, quem noſtri vocant *Seegrün, Meergrün.* Candys ex communi purpura erat militum geſtamen. *Heſychius*: Κανδυς, χιτων περσικος, ἐν ἐμπορπουνται οἱ στρατιωται. Candys ſane non ſemper fuit purpurea, ſiquidem *Xenophon* Candyas a togis purpureis diſtinguit. Veſtitus *Darii Codomanni* ita a *Curtio Lib. III Cap. 3* delineatur: *Cultus Regis inter omnia luxuria notabatur. Purpureæ tunicæ medium albo intextum erat -- Cidarim Perſæ regium capitis vocabant inſigne; hoc cærulea faſcia, albo diſtincta, circuibat.* Tunica illa purpurea eſt illa *Sarapis*, ſeu *Sarages*, ſiquidem utrique illud μεσολευκον, ſeu *medium albo intextum*, tribuitur. Hæc fuit illa veſtis Medica, quam *Cyrus* ſumſit. Ea vero fuit μηλινη, i. e. referens colorem ex viridi flavoque mixtum (*§. 5*).

§. VI. Rex Macedoniæ, *Alexander Magnus*, imperio Perſico potitus, ritus Medicos Perſicosque veſtiarios imitabatur. *Arrianus Lib. IV p. 168* autor eſt, ipſum, mutato patrio habitu, veſtem Perſicam cidarimque regiam ſumſiſſe. At quis ille ſuit habitus Perſicus, a Medis impetratus? *Xenophon* in *Cyri pædia Lib. VIII p. 257* de *Cyro*, primo Perſarum Rege: *Elegit ſtolam Medicam & ipſe ferre, &, ut familiares ea induerentur, perſuaſit. Hæc enim viſa eſt ei occultare, ſi quis defectum aliquem haberet in corpore, præterea ea indutos & pulcherrimos & maximos oſtendebat.* Togæ hæ dictæ ſunt Sarapes, ni Sarages. Talares fuiſſe eas & promiſſas, ex loco

Xenophontis intelligitur. *Democritus* ostendit, eas non unius fuisse coloris; fuisse eas *μηλινει*, i. e. ex viridi flavoque conflatas, plerumque, idem docet. An vox *argevan* sit eadem ac *sarages* seu *saraphes*, & *saraguet*, judicent alii. *Byssus* certe *amorgina* fuit viridis, trahens aliquid ex flavo: & appellatio Orientalis שֵׁשׁ אַרְגָּן i. e. *byssus amorgina*, videtur contracta in vocem unam *sarages* seu *saraphes*.

§. VII. Vox אַרְגָּמָן redditur a *Targumista Onkeloso* per אַרְגְּוָנָא. In libris Paralipomenorum & Mose constanter *Targumistæ* unam vocem, illam priorem, substituunt illi alteri. Unde apparet, non differre vocis utriusque potestatem. *Hesychius*: Αμοργις, καλαμη τις, εξ ής ενδυμαα γινεται, η ύφασμα, η χιτων. *Amorgis est caulis quidam, ex quo vestis fit, aut textum, aut tunica. Julius Pollux Lib. VII Cap. 17 p. 242 & Cap. 13 p. 339 Hesychio* congruit. *Stephanus de Urbibus & Populis* docet, *Amorginam tunicam* sic dici ab *Amorgo* insula, prope Cretam sita, & *colorem* per eam designari certum. *Eustathius* in *Comment. ad Dionysii Periegesin p. 76* addit, colorem illum fuisse *ελαιοχρεον*, *oleaceum*, i. e. viridem ex flavo. *Amurca*, *αμοργη*, notat fecem olivæ viridem. Unde pat[e]t, voce ipsa denotari colorem viridem.

§. VIII. Pro voce ארגמן legitur אַרְגְּוָן *2 Par. II, 6*, adduntur que colores *Carmil* & *Tcheleth*. Interpreti futuro *Nabucadnezaris* insomnii promittitur vestis regia, conflata ex אַרְגְּוָנָא *Dan. V, 7*, & מניכא, *μανιακης*, *monile*, *torques*. Exinde apparet, stolam ex colore viridi, qualem præbebat byssus amorgina, fuisse gestamen regium penes Medos, Babylonios, & Persas. Color variegatus in œconomia Mosaica Deo fuit probatus. Vestes Aaronidarum erant quatuor coloribus insignes *Exod. XXVIII, 5, 6, 8, XXXIX, 2, 5, 22, 23, 28, 29*, nec non aulæa decem *XXXVI, 8*, imo velum interius ac exterius *v. 35, 37*. Velum utrumque *Salomo* similiter fieri curabat *2 Par. II, 6, III, 14*. In baltheo summi Sacerdotis iidem elucebant colores, qui symbolum erant Christi, lumbos *irida* cincti, *Ezech. I, 27, 28, Apoc. IV, 3*. Quare patet, regios ministros summi Regis, Dei, regio colore fuisse ornatos.

Digitized by Google

tos. In œconomia enim Mosaica repræsentatur Theocratia, in Christi satisfactione, tanquam gratiæ omnis divinæ fundamento, fundata.

§. IX. At cui usui hæc inserviunt? Quodnam emolumentum propositum est harum vocum enodationi? Quis finis harum tricarum? Nonne nostrum est, tantopere scrutari Codicem sacrum, ut vocum quoque singulares significatus sint obvii & in potestate? Succurrit tamen usus nobilior. Videtur quibusdam abfuisse œconomia Christi ab œconomia cultus divini Mosaici. Prætexitur errori ratio ex silentio *Mosis*, quippe qui dicere ac docere omiserit, quod sacrificia & sacerdotium Leviticum sint typus Christi, & salutis per sanguinem Christi obtinendæ. Sed typus ipse coloribus quatuor spectabilibus expressus est. Ipsi enim *iridem* repræsentabant, signum clementissimi solii Messiani, *Ezech. I*, 27, 28. *Apoc. IV*, 3. Si *argeman* notat colorem viridem ex flavo, cetera sunt in expedito. Nam colores, cœruleus, seu glastinus, amorginus, sinopicus, ac miniaceus, seu profunde rubicundus, delinearunt speciem iridis. Iridem posuit Deus in signum gratiæ, a *Noacho* impetratæ per sacrificium. Num Deus delectatur sola bestiarum destructione & jugulatione? Vultne eas conservari omnino, (ni sint noxiæ,) aut usibus humanis cedere? At qualis quantusque usus ad hominem profluit ex jugulatione & concrematione bestiæ? Subfuit videlicet ratio altior, nempe typus sacrificii Christi, quod animam nostram conservat. Hoc ipsum clarissimo Symbolo fuit expressum, dum *iris* delineata in Oeconomia Mosaica toties fuit obvia totiesque repetita. Quod ipsum si a veritate non abhorret, usu suo hanc tractationem non carere, existimo.

JOSEPHI ANTONII SAXII, SS. AMBROSII ET Caroli Oblati Collegio & Bibliothecæ Ambrosianæ Præfecti, Epistola ad Amicum, pro vindicanda Formula in Ambrosiano Canone ad Missæ sacrum præscripta: Corpus tuum frangitur, Christe.

Mediolani, ex ædibus Palatinis, 1731, 8.
Plag. 1½.

Formula illa cum Pontificio dogmati de integro ac non fracto Christi corpore, in quibuslibet scissæ hostiæ particulis residente, repugnare videatur; Autori e re sacra visum est, eam exponere, & cum veritate, quam ipse pro tali habet, conciliare. Ritus enim hic nonnullis *Ambrosianorum Hæresis* per jocum appellatur. At ipse cupientibus abrogationem formulæ regerit, morem eum inductum & servatum esse a Viris doctis, integris, sanctis, & catholicis, & a quavis eam censura curiæ Romanæ perstitisse immunem. Monet, de consecrato Christi corpore vocem *fractionis* adhibitam fuisse a *Paulo 1 Cor. X, 16*, *Chrysostomo Homil. 24* in hunc locum, Christo, & Concilio A. 1059 contra *Berengarium* coacto. Concilio huic morem gestura Mediolanensis Ecclesia formulam illam videtur liturgiæ suæ inseruisse. Missale enim *Ambrosianum*, 700 habens annos, confractionis illa caret formula. Inducta eodem tempore allevatio hostiæ & calicis statim post prolata consecrationis verba. Fractionem hanc cum integritate corporis Christi ita Autor conciliat, ut eam referat cum *S. Thoma* ad species Sacramentales, quæ per consecrationem non sint amplius species panis, sed corporis Christi, ob Concilium Tridentinum Sess. XIII. Post *Berengarium* damnatum in ipsa Ecclesia ferbuerunt lites, utrum in Symbolo & specie tantum, an in ipso Christi corpore fiat fractio, uti patet ex *Jo. Mabillonii Tom. III Analectorum veterum p. 450*. Adduntur plura loca, quibus illa fractio dominici corporis comprobatur, inprimis ritus Romanus, Græcus, & antiquus Gallicanus. Ut adeo telorum acies sit hebetata, quibus formula illa fuit attentata & collabefacta.

NOVA LITERARIA.

Mediolani haud ita pridem opera Viri diligentissimi, *Philippi Argelati*, Societati Palatinæ a Secretis, prodiit *Operum Sigonii Tomus tertius*, de quo optime cognoscent Lectores ex Programmate, quod idem *Argelatus* nuper publicavit,

vit, & liberaliter ad nos tranſmiſit, dignum utique, quod huc tranſcribatur integrum:

Tertius clariſſimi Caroli Sigonii *Operum Tomus, nuper inter horrendos bellicorum tormentorum ſtrepitus abſolutus, e typis Mediolanenſibus in vulgus prodit, vixque mihi perſuadeo, potuiſſe me per juſtam animi trepidationem datam fidem abſolvere. Sed, quæcunque ſit fortunarum mearum alea in hac temporum difficultate, id præ ceteris toto virium niſu ſtudiisque omnibus curabo, ne cuiquam nomen meum minus aliquando gratum ſit futurum. Quæ itaque in hujus editionis cauſam jam ante promiſeram, præſtiturus hodie, fortaſſe præter expectationem hominum, in literaria Republica ſiſto, & , quæ fuerit in concinnando eo Tomo diligentia, eruditis Lectoribus paucis exponam. Majorem ipſius partem occupant res inclytæ patriæ meæ, Bononiæ, quas* Carolus *ipſe* Sigonius *ex mandato publico collegerat, & aureo ſuo ſtilo deſcriptas æternitati conſignavit. Expetebat a me caritas erga parentem, & obſequii perpetui cultus, imo vero proprius propemodum amor id ſibi quærebat, ut, cum recudendi eſſent* Sigoniani *libri, eos præ ceteris exornarem, quibus Reſpublica Bononienſis eſt argumentum; cumque ob imbecillitatem ingenii mei non liceret, per antiquitatis tenebras, ut ita dicam, inoffenſo pede incedere, quod mihi impoſſibile cognovi, per alios agendum curavi. Cives itaque Bononienſes ad capeſſendam hanc operam excitandos mihi propoſui, quibus frequentior earum rerum notitia, & commodior veterum monumentorum apparatus, ſine quo vix aliquid utilitatis expectandum erat a ſtudiis literatiſſimi cujusque viri. Nec multis mihi opus fuit cum duobus Clariſſ. Viris, pari mecum ſtudio erga communem patriam affectis. Hi ſunt* Alexander Macchiavellus, *in Bononienſi foro Advocatus, J. U. D. Colleg. Publicus in patrio Archi-Gymnaſio divini Juris Interpres, & Academiæ, quam Inſtitutum Scientiarum vocant, Socius, atque admodum Rev. P. D.* Carolus Conſtantius Rabbius, *ex Auguſtiniana Congregatione, Lombardiæ appellata, Lector eximius, quorum primus Hiſtoriam, alter Libros de Epiſcopis Bononienſibus exornandi laborem*

rem in ſe ſuſcepit, & uterque ita feliciter opus implevit, ut vix in poſterum ceteris relictum putes aliqua in parte hujus argumenti ſpicilegium. Et ſane, quod ad Cl. Macchiavellum *attinet, is Notis perpetuis libros ſex Hiſtoriarum* Sigonii *eſt proſecutus, quas pro more noſtro in calce cujuscunque pagellæ impreſſimus, atque ita in* Sigonium *is animadvertit, ut nihil ad adſtruendam ei fidem e ſynchronis documentis prætermiſerit, vel, ſi aliquando eum in chronicis notis peccaſſe contendat, id, quam fieri potuit, modeſtiſſime, productis teſtibus, evincat. Is tandem, occaſione veterum factorum, recentiorum Bononienſium rerum narrationem inſeruit opportunis locis, ea diligentia, ut optime de patria ſit meritus, & perennem ſui memoriam cum ipſo* Sigonio *ſit inter cives habiturus. Præterea, quod pluribus in regnis, ne dicam urbibus, anxie deſideratum, fruſtra non raro tentatum eſt, is apprime perfecit. Monetarum ſcilicet Bononienſium exegeſin, e vetuſtis Hiſtoricorum monumentis collectam, primo a majoribus ſuis, mox ab eo ad noſtra uſque tempora productam, eamque data occaſione ad calcem Libri III* Sigonianæ *Hiſtoriæ, Appendicis loco, poſuit. Tandem, quia* Sigonius *decennii quidem ſpatium ab anno ſcilicet 1257 ad 1267, ſaltu quodam nimis celeri, ſilentio præterivit,* Macchiavellus *ex aliorum Scriptorum, ac publicorum Actorum, fide lacunam implevit, & Supplementum addidit, quo rerum narratio continua ſit & abſoluta. Quanti fuerit vetuſtiora ſcrinia perluſtraſſe, in tanta potiſſimum patriæ noſtræ calamitate, quæ variis bellorum fluctibus, & factionum inteſtina diſcordia, ſæpe ſæpius agitata, variisque dominis parere aſſueta, fortunarum ſuarum Scriptores repetitis rapinis & incendiis amiſit: quanti, inquam, fuerit, rudera in arena ſemiſepulta collegiſſe, atque in primævum decus reſtituiſſe, ii bene norint, quos antiquitatis amor ad ſimilia impellit inveſtiganda, atque ii me melius debitas Cl.* Macchiavello *laudes præſtabunt. Hoc unum ſignificabo, quod ſpecimen induſtriæ ipſius exhibeat. Uſus eſt ut plurimum Calendario honorifico perpetuo Archi-Gymnaſii Bononienſis, ejusque Academiæ, A. 1280 edito, & ad noſtra tempora*

ra deducto, in quo res ab anno uſque 1000 referuntur, ob eamque rem apprime quadrat continuandæ Sigonianæ *Hiſtoriæ, cui finis in A. 1267, atque illud etiam in tui, Lector humaniſſime, gratiam, Appendicis loco, poſt* Sigonianam *Hiſtoriam impreſſum volebat. Sed, cum ex Ambroſiana Bibliotheca dono Cl. ac Doctiſſ.* Saxii, *Præfecti, Diſſertationem habuerim, ab eodem* Sigonio *ſcriptam, cui titulus* de Studiis Bononienſibus, *editionem dicti Calendarii poſt eam Diſſertationem, additis ejuſdem* Macchiavelli *Annotationibus, Deo dante, inter alia inedita noſtri Autoris Opera, concinniorem atque opportuniorem ad locum amandatam volui. Et, quoniam in recudendis* Bononienſium Hiſtoriarum *libris, a* Sigonio *ſcriptis, uſi ſumus non prima editione, quæ vivo adhuc Autore ex Bononienſibus typis in lucem publicam venit, ſed altera Hanoviana, (conſtat enim,* Sigonium *expoliendis iis libris accuratiorem limam adhibuiſſe, novamque illorum editionem præparaſſe,) cauſas novi conſilii, ni fallor, inveſtigaſſe me puto, indicium monſtrante fortuna, quæ cenſuras in editos eo tempore memoratarum hiſtoriarum libros facile perituras obtulit, dono ornatiſſimi Viri, qui ad humanitatis eximiæ officium hoc etiam addidit, ut ab eo nominando abſtinerem, ne videatur laudationem quæſiviſſe. Cenſores habuit* Sigonius *Eminentiſſ.* Hugonem, *Cardinalem S. Xiſti, qui, ad faſtigium Romani Pontificatus evectus,* Georgius XIII *eſt appellatus, ex Excellentiſſima* Boncompagnorum *gente, ac Eminentiſſ.* Sirletum, *& eruditiſſimum* Amaltheum. *Iſtorum Virorum cenſuras poſt exemplum Bononienſe deſcripſerat manu ſua* Sigonius *aliquot in foliis, quibus etiam reſponſiones notaverat, exemplumque illud pluribus in locis correxerat. Hæc omnia erudito Viro communicata, is tanti fecit, ut digna publica luce judicaverit, atque in ordinem redegerit, quo novæ huic editioni reſponderent. Has itaque cenſuras, & ſubjectas cuique reſponſiones, coronidis loco ad eam Hiſtoriam appoſuimus, nonnulla præfati, quæ hic repetere minime vacat. Sed juvat me adverſus inſurgentes aliquorum voces, quas propemodum auribus accipio, hoc loco retundere. Ii namque vitio mihi vertent, quod Bononienſis homo de Archi-Gymnaſii noſtri*

præſtantia ſervanda non ſatis curaverim, poſtquam in hiſce Sigonii *reſponſis evulgandis non animadverterim, aliquid ab ejus calamo excidiſſe, quod ſit dignitati ejus aliquando detra-cturum. Imo vero animadverti, ac, ſerio perpenſa re, in eam veni ſententiam, ut, quæ* Sigonius *obiter olim pronuntiaverat, libere proferrem, quo lucidius appareret, eum, quando ex propoſito cauſam exegit, quod in recitata Diſſertatione de Sudiis Bononienſibus procul dubio feciſſe dicendus eſt, pro antiquitate ac præſtantia celebratiſſimi Archi-Gymnaſii noſtri viriliter pugnaſſe. Præterea, utcunque acre fuerit* Sigonii *judicium, & doctiſſimi hominis nomen aliquibus imponere potuiſſet, non eſt ejusmodi cauſa noſtra, quæ ſoli inhæret Hiſtoriæ, ut ab opinione hominum lædi poſſit. Præſtabat itaque inſtituto meo, quod* Sigoniana *ſcripta proſequitur, in communem literatorum hominum utilitatem ea omnia, quæ invenire potui, ſincera fide in medium afferre, quam per inhoneſtam fraudem meo civiumque Bononienſium deſiderio inutiliter aſſentiri. Verum ſatis de me, atque aliorum opinione. Ad cenſuras eas redeo, de quarum origine nihil habeo, quod dicam. Fruſtra enim* Sigonii *& aliorum varias Epiſtolas perlegi, ut rei geſtæ narrationem cognoſcere poſſem. Quod ex conjectura certum aſſeverare poſſe mihi videor, id eſt, quod ex earum occaſione* Sigonius *repetitæ lectionis hiſtoriam nobis tradiderit, ut initio dicebam; & ſane primam editionem atque cenſuras cum nupera conferenti, conjectura noſtra probabitur. Atque his novis omnibus ornamentis patriam hiſtoriam auxi; ſed, quoniam ad eam præcipue ſpectabant etiam* Sigoniani *alii libri* de Epiſcopis Bononienſibus, *pari cura de iis bene mereri volui, neque me melius poſſe credidi, quam ſi Cl. Virum Adm. Rev. P. Lectorem,* Carolum Rabbium, *quem honoris gratia nominavi, ad eum laborem invitarem. Noverant enim literati homines, quam ſit in Eccleſiaſtica Hiſtoria exercitatiſſimus, in ſcribendo politiſſimus, quodque in hujusmodi ſtudiorum ſpecie plurimi faciendum, quantum ei ſplendeat lucerna Critices, ac bonæ literæ oleant. Is itaque libros eos perpetuis Notis, brevibus quidem, ſed ſucco plenis atque utilitate, pari modo expoli-*

vit,

Digitized by Google

vit, plura ad exactiorem Chronologiæ rationem revocans, plura vero ex probatis quibusque Scriptoribus ac monumentis patriis de suo supplens, ac demum alia, quæ ad ritus moresque Bononiensis Ecclesiæ spectant, distinctius explicans, quam a Sigonio, *ad alia properanti, sit factum. Quo novo ipsius labore satis Ecclesiæ nostræ dignitati consultum puto, accedente potissimum editioni huic nostræ serie vitarum ceterorum Archi-Episcoporum a* Gabriele Palæoto, *in quo* Sigonius *scribendi finem fecit, ad Eminentiss. usque* Prosperum Lambertinum, *qui hodie nostram Ecclesiam, virtutum cumulo, severitate Christianæ disciplinæ, ac bonarum literarum cultu florentem, feliciter moderatur, & in longum ævum esse moderaturum ex corde precor. Habent hæ vitæ,* Sigoniano *stilo & judicio proximæ, eundem Autorem* Rabbium, *quem* Sigonius *ipse laborum socium probasset. Ad Ecclesiasticam pariter Historiam spectabant vitæ Sanctorum plurium Bononiensium, a* Sigonio *scriptæ, easque diligentissime collectas opportunis locis attexuimus, quod & fecimus de Vita* Laurentii Campegii, *S.R.E. Cardinalis, ab eodem* Sigonio *fusiori calamo scripta, ne quid aliunde petendum esset. Atque his Bononiensibus rebus nostris in hoc Tomo finem fecimus, post quas locum dedi Scholiis iis, quibus Autor noster Livianam Historiam maximo cum renascentis Latinæ linguæ emolumento emendavit. Quæ Scholia, nemo negaverit, facem ceteris omnibus prætulisse, qui in illustrandis Livianis libris insudarunt. Textum* Livii *consulto prætermisi, ne in vastam nimis molem excresceret editio nostra, superfluamque duxi novam ejus Historici editionem iis, quibus ubique aliæ præsto sunt. Sola itaque Scholia exhibui per ordinem digesta, indicatis ad singulos libros diverso charactere Livianis verbis, ad quæ referuntur. Cumque non ignorarem, ea Scholia causam dedisse literariis jurgiis, quæ* Sigonium *inter &* Glareanum *acta sunt, nihil, quod ad eas controversias cognoscendas attinet, omittendum duxi, propterea que Scholiis iis præmisi ejusdem* Caroli Sigonii *Epistolam, qua* Bernardino Lauredano *consilium suum aperuit,*

 cum

cum primum ea Scholia vulgavit, & alteram Glareani, *quæ de* Sigonio *queritur, cetera, ut mox referam, appoſiturus. Interea locus dandus erat* Conſulari Chronologiæ,*ab ipſo Autore noſtro incredibili ſtudioſorum commodo compoſitæ, unde præcipua contentionum capita oborta ſunt, eaque rei ſpecies me ad Doctiſſ. P. D.* Joſephum Mariam Stampam *ab editis Operibus literariæ Reipublicæ commendatiſſimum, revocavit; utpote qui plurimum polleat in ratione temporum emendanda, ob exquiſitam ſacræ ac profanæ antiquitatis notitiam, ut ſi liti dirimendæ profuturum aliquod invenire poſſet. Nec mea me ſefellit opinio. Is enim, collatis inter ſe* Faſtis Conſularibus, *a* Sigonio *editis, tam ex* Livio,*quam ex* Faſtis Capitolinis, *iisque in ſeptem Tabulas relatis, imprimendas eas curavit ea forma, ut una columna Livianos Conſules, altera Capitolinos, in eadem linea deſcriptos comparatosque, ſub oculos ponat, nonnullis opportunis in locis ab eo notatis; atque ita cognovit, ſe* Caroli Sigonii *cauſæ plurimum profuiſſe, additis præcipue* Vindiciis *ejusdem adverſus Detractorum ſuorum argumenta, quas dictis Tabulis ſubjecit, cum ſuis Obſervationibus, quæ propugnandæ* Sigonianæ *Chronologiæ optime proſunt. Eandemque induſtriam adhibuit in recenſendis Livianorum Scholiorum* Defenſionibus,*a* Sigonio *editis, adverſus dictum* Glareanum & Robortellum, *quibus clauditur* Sigoniana *hæc circa Livianos libros diſceptatio. Erant hæc equidem jam ante vulgata, ſed, præterquam quod variis in locis diſperſa legebantur, tot tantisque ſcatebant erroribus, ut ea reſtituiſſe potius, quam emendaſſe, neceſſe fuerit* P. Stampæ *doctiſſimo. Quæ, in unum hodie collata, novaque luce aſperſa, gratiſſima tibi, Lector humaniſſime, futura non dubito. Continet præterea Tomus iſte primum* Sigonianum *fœtum, vitam nempe P.* Scipionis Æmiliani, *editam quidem ipſo inter vivos agente, ſed raram ætate noſtra, imo rariſſimam. Cui Operi nonnulla præfari volui, quod ſciam, idem argumentum ab* Antonio Bendinello *tractatum, qui per ſummam injuriam adoleſcenti doctiſſimo gloriam præripere niſus eſt, primusque invidiæ ſtimulos in eum convertit, quæ mox apud*

apud alios in apertam rabiem descivit. Ea de causa Bendinellum *cum* Sigonio *contuli, & locos præcipuos exegi, meæque tenuitatis conscius, eruditis Viris Observationes meas perlegi, quos inter præfatus P.* Stampa, *quæ non animadverteram, supplevit, quæque minus ei probata sunt, ad libellam revocavit. Alii me melius rem cognoscent; id certe unum, quod præ ceteris optabam, satis monstrasse puto, nempe quæ fuerit* Sigonio *judicii acies ab ipso ætatis flore ac studiorum initio. Librum claudit Vita* Andreæ Doriæ, *sive* ab Auria, *Melphiæ Principis, ab eodem* Sigonio *scripta, quæ typis impressa circumfertur. Cumque in ea perlegenda notassem, Autorem nostrum, qui fere par ætate* Andreæ *fuit, & plura oculis atque auribus accepit, rationem temporum non adeo exacte servasse, ac ferme nullibi expressisse, gratum Lectoribus futurum credidi, si a Scriptoribus ejusdem ævi annos & rei gestæ rationes repeterem, quod ex libris* Uberti Folietæ *&* Jacobi Bonfadii, *aliisque rerum Genuensium Scriptoribus, abunde hausi; atque, ut novi aliquid ad eam Historiam exornandam producerem, hæc ex Tabulis publicis Genuensibus, & ex Bibliotheca Ambrosiana, annuente humanissimo atque doctissimo* Saxio, *habui:* 1) Pacta conventa, a *Carolo V*, Imperatore, obsignata A. 1528 d. 11 Aug. 2) Pactorum prorogatio, & additio A. 1530 d. 10 Martii. 3) Sponsalium contractus inter *Marcum Antonium de Carreto, Andreæ Doriæ* privignum, & Dominam *Joannam, Antonii de Leyva,* Principis Asculani, filiam; & donatio Principatus Melphitani, ab eodem *Andrea* memorato privigno suo facta, cum Approbatione *Caroli V*, Imperatoris. 4) Animadversiones quædam, ad historiam conjurationis Fliscorum spectantes, *Anonymo* Autore, ex MSto Codice Bibliothecæ Ambrosianæ, signato f. R. *n. 95.* 5) Ultimæ Tabulæ Principis, *Andreæ Doriæ*, una cum Codicillis ejusdem. 6) Reipublicæ Decretum pro erectione Statuæ *Jo. Andreæ Doriæ. Indicem postremo summa cum diligentia composui, non rerum tantum notatu dignarum, sed familiarum Italicarum omnium, quarum in hoc Tomo facta est mentio quacunque in parte libri, nec non Urbium, Pagorum, Montium, Fluminum,*

num, & similium, quæ levandis studiis tuis commodo sint futura. Accipe igitur, amice Lector, grato, quo soles, animo laborum nostrorum fructus, &, si quid studiis tuis prodesse potuimus, hoc nobis erit inter multiplices temporum angustias non inane solatium. Parando interim quarto Tomo vacare me scias, ejusque magnam partem prelo subjeci, quæ libros de Republica Hebræorum continet cum Notis Cl. Viri, Abbatis Laurentii Maffei, *lingua sancta omnique veteri ejus gentis eruditione optime instituti, editisque jam ante Operibus celebratissimi. Sed, quos tibi non expectati muneris vice paramus, libri sunt* de Ecclesiastica Historia, *quos jussu* Georgii XIII, *Pontificis Maximi*, Sigonius *ante* Baronium *scripserat. Eos, diu quæsitos, tandem in promtuario scientiarum omnium invenimus, in* Vaticana *scilicet* Bibliotheca, *unde per Summum Pontificem*, Clementem XII, *quem bono Ecclesiæ Catholicæ ac orbis universi divina providentia in eam sedem erexit, data est eorum copia, ut in publicum proferretur: Plura quidem de ea Historia dicenda nobis erunt opportuniore loco; sat enim in præsenti fuerit, eruditorum expectationem excitasse. Postremo, ut singulas hujus Tomi partes cognoscere distinctius possis, Elenchum subnectimus.* 1) *Caroli Sigonii* Historiarum Bononiensium Libri sex, cum Notis Cl. Viri, *Alexandri*, Advocati, *Macchiavelli*, Bononiensis, J. U. D. Colleg. Publ. in Archi-Gymnasio divini Juris Interpretis, Instituti Scientiarum Patriæ Socii, &c. addito ejusdem Annotatoris Supplemento ab A. 1257 ad A. usque 1267. 2) Clarissimorum Virorum, Cardinalis *S. Xisti*, postea Pontif. Max. *Gregorii XIII* appellati, Cardinalis *Sirleti*, & *Amalthei*, in Historiam Bononiensem *Caroli Sigonii* Censuræ, cum ejusdem *Sigonii* Responsis, ac Correctionibus; omnia nunc primum luce donata. 3) *Caroli Sigonii* de Episcopis Bononiensibus Libri quinque, cum Notis Cl. Viri, *Caroli Constantii Rabbii*, Bononiensis, Augustinianæ Congregationis (ut vocant) Lombardiæ Lectoris; additis suo loco nonnullorum Antistitum Vitis, ab eodem *Sigonio* fusiori calamo exaratis, nempe Vita *S. Petronii*, a *Sigonio*

genio conſcripta, & primum edita in Officio, a *Gabriele Palæoto*, S. R. E. Cardinali, reſtituto, deinde a *Laurentio Surio* in Vitis Sanctorum cum Hymnis, & Miſſa ipſius Sancti; omnia ex Vita ejusdem S. Epiſcopi, a Presbytero *Anonymo* Italice ſcripta, & luce donata Bononiæ A. 1721, deſumta. Vita altera B. *Nicolai Albergati*, a *Carolo Sigonio* conſcripta, & a F. *Georgio Garnefelt*, Monacho Carthuſiano, in Capita diſtincta, cum ſingulis eorum argumentis præfixis, atque Annotationibus illuſtrata, juxta editionem Col. Agrippinæ A. 1618. Vita *Laurentii Campegii*, S. R. E. Cardinalis, a *Carolo Sigonio* fuſiori calamo ſcripta, & Bononiæ A. 1581 edita, ubi plura, ad Hiſtoriam Italicam illius temporis ſpectantia, & lectu digna, adſunt. 4) Continuatio Hiſtoriæ Epiſcoporum Bononienſium, a poſtremis annis *Gabrielis Palæoti*, S. R. E. Cardinalis, ſub quo *Sigonius* vivere deſiit, uſque ad Eminentiſſ. Præſulem, *Proſperum Lambertinum*, eandem Eccleſiam in præſens adminiſtrantem, facta a Cl. Viro, *Carolo Conſtantio Rabbio*, Auguſtinianæ Familiæ (ut vocant) Lombardiæ Lectore. 5) Vitæ BB. *Ludovici Morbioli*, & *Pariſii*, civium Bononienſium, a Doctiſſ. Viro, *Carolo Sigonio*, ſcriptæ, rogante Ampliſſimo S. R. E. Cardinali, *Gabriele Palæoto*, Bononienſi Archi-Epiſcopo. Acceſſit altera fuſior Vita ejusdem B. *Pariſii*, ex Hiſtoriis Camaldulenſibus collecta ab *Auguſtino Florentino*, cum prævio Commentario, & Notis Cl. Viri, P. *Danielis Papebrochii*, Soc. Jeſu. 6) *Caroli Sigonii* Scholia, quibus *Titi Livii*, Patavini, Hiſtoriæ, & earum Epitome, partim emendantur, partim etiam explanantur; *Philippus Argelatus*, Bononienſis, recenſuit. 7) Ad *Livianam* Chronologiam *Sigonii* Scholia, & *Joſephi Mariæ Stampæ*, C. R. S. in eandem Chronologiam & in eadem Scholia Annotationes. 8) *Caroli Sigonii* Livianorum Scholiorum aliquot Defenſiones adverſus *Glareanum* & *Robortellum*; *Joſephus Maria Stampa* recenſuit. 9) *Caroli Sigonii* de Vita & rebus geſtis *P. Scipionis Æmiliani* Liber, adjectis in fine, unde hiſtoria ſumta ſit, locis, cum prævia Diſſertatione *Philippi Argelati*, Bononienſis. 10) *Caroli Sigonii* de Vita & rebus geſtis *Andreæ Doriæ*, Melphiæ Principis,

cipis, Libri duo, quos *Philippus Argelatus*, Bononiensis, nonnullis Animadversionibus & Documentis, adhuc ineditis, ad eandem Historiam pertinentibus, illustravit.

Prodiit in Belgio, quod chartarum typorumque ratio suadet, libellus ita inscriptus: *Sapientia Hyperborealis, seu Specimina literaturæ Barbaro-Scythicæ, quam nostro tempore Viri quidam illuminatissimi voce ac scriptis certatim illustratum eunt; Autore* Alexandro Agricola; *cum Notis* Anonymi; *edente* Alexicaco Philomuso, *qui & Præfationem adjecit*. A. 1733, 8. pl. 6. Satyra docta illa sane, & ab ingenio non mediocri, ut videtur, profecta, sed eadem mordacissima, qua perstringuntur Viri aliquot in Belgio viventes, quorum unus Dominicas perpessiones *Diatribe Etymologico-Philologico-Critica*, alius *Senecam Tragicum, Terentium* alius, ipsum alius *Ciceronem*, cum Notis ediderunt: quorum commissa pariter & omissa, ea inprimis, quæ in legem Pediam peccata sunt, ex carminibus, apud nos vix cognitis, nunc serio, nunc per ironiam, nunc Latina puraque oratione, nunc ad obscurorum virorum exemplum efficta, nunc versu libero, nunc parodia, nunc soluta denique oratione, exagitantur. Ita sane excepit, quisquis Autor est Satyræ, Viros, in quos strinxit calamum, uti nemo forte, qui eam legerit, arbitraturus sit in posterum, injuriam uni alterique illorum factam, qui ab his *Actis* nostris non ea, quæ expectaverant fortasse, præconia retulerunt: sed modestiam potius horum *Actorum* agnituri sint ipsi, de quorum fama literaria hic luditur, qua sibi satisfieri tum non patiebantur. Moderatius hic dici quædam potuisse, fatebitur forte ipse Autor; sed forte occinet nobis illud vulgare: *Aliter hæc sacra non constant*. Virtutis amabilissimæ admonere illum potest ignoratus illi & exprobratus ob eam causam *Verburgio Bartholomæus Merula*, a quo editum *Ovidium* Venetiis A. 1516, fol. Amici alicujus nostri Bibliotheca servat; & quædam forte alia. Ingeniosum nobis videtur, quod in ipso titulo libelli pectinis, seu strigilem dici malis, imago, inter carduorum frutices posita, hæc adscripta verba habet: *Purgat & ornat*.

Certiores facimus Lectores nostros, his ipsis diebus prelo nostro exiisse *Tomi I Supplementorum ad Nova Acta Eruditorum Sectiones I, II, & III*.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Junii Anno MDCCXXXIV.

MUSEUM FLORENTINUM, EXHIBENS insigniora vetustatis Monumenta, quæ Florentiæ sunt; cum Observationibus ANTONII FRANCISCI GORII, Publici Historiarum Professoris.

Tomus I & II.

Florentiæ, ex Typographia Mich. Nesteni & Franc. Moücke, 1731 & 1732, fol. maj.

Tom. I Alph. 2 pl. 18, fig. æn. 100, Tom. II Alph. 2 pl. 9, fig. æn. 100.

Præstantissimi hujus Operis, *Joanni Gastoni*, Etruriæ Magno Duci, dedicati, Autores Editoresque esse aliquot Florentinos Equites, avito generis splendore nobilissimos, juvandisque optimis artibus maxime deditos, ipse Cel. *Antonius Franciscus Gorius* in Præfatione, *Tomo I* præmissa, verbis luculentissimis fatetur. Et, quemadmodum illi huic antiquitatum Syntagmati titulum fecerunt *Museum Florentinum*, quod insigniora veterum artificum opera, quæ in celebrioribus Florentinis Cimeliothecis, ac præsertim in Mediceo Thesauro, asservantur, in unum collecta exhibeat, & Observationibus illustrata, ita Doctiss. *Gorius* totum hoc Musei Florentini Opus decem Voluminibus absolvere decrevit, ita tamen, ut singulis nullus assignaretur numerus, etsi unumquodque Volumen incisis æri Tabulis centum, vel etiam pluribus, ubi necesse erit, constabit. Primo Volumini addixit Cel. Autor Gemmas antiquas, opificio & eruditione insignes, Virorum illustrium & Deorum imagines

exhibentes, & in ſecundum Volumen conjecit. gemmas item perinſignes, & quidem tum, quæ Scalptorum nomine, vel Græca vel Latina epigraphe, ornatæ ſunt, tum, quæ religionis, pacis, & belli, ſtudia vetereinque Hiſtoriam & Mythologiam, illuſtrant. Volumen III marmorea ſigna, ſive ſtatuas, Deorum, Dearumque, & hominum illuſtrium, producet, quæ maximam partem eximia ſunt veterum Sculptorum magni nominis opera. Volumen IV nunquam antea juris publici factas complectetur Cæſarum Auguſtorum, Auguſtarumque, & Virorum illuſtrium, protomas, ex quibus abſoluta eorum effigies ſpirantesque vultus animo facilius concipi poterunt. Volumen V proferet ahenea omnia Deorum, Dearumque, ſimulacra & ſigilla elegantiora, compluribus ſymbolis peculiaribus ornata, aliaque hujus generis ex ære ſculpta opera. Volumina VI, VII & VIII ſelectiora & præſtantiora depromet numiſmata, adhuc inedita, eaque inprimis, quæ in Mediceo Gazophylacio reperiuntur, ſervato ordine & magnitudinum forma. Tandem Volumen IX & X Pictorum, toto orbe celebriorum, qui ſe ipſi pinxerunt, artemque pingendi ad ſummum gloriæ faſtigium evexerunt, iconas exhibebit. Deſumentur hæc omnia non ſolum ex Mediceo Cimeliarchio, de cujus origine, progreſſu ac præſtantia, paulo agit copioſius in Præfatione Tomi primi Cel. *Gorius*, verum etiam ex aliis dactyliothecis Florentinis, inter quas eminent *Strozii* Forani Principis, Marchionum *Riccardiorum, Niccoliniorum* Comitum *ex Gherardeſca*, Nobilium *Cerretaniorum*, Senatoris *Philippi Bonarroti*, Nobilium *Gaddiorum*, & Marchionis *Guadagni*. &c. Atque hæc quidem generatim de *Muſeo Florentino* ſufficiant. Accedimus nunc ad *Volumen I & II*, quæ jam ad manus ſunt, propius.

Volumen I Tabulis æri inciſis abſolvitur centum, quæ in quatuor ſunt Claſſes digeſtæ, ut ordo, quoad fieri poſſet, obſervaretur. Claſſis I exhibet Tabulis XXIV imagines Imperatorum, Cæſarum, Auguſtorum, Auguſtarumque, & Virorum illuſtrium. Claſſis II profert imagines Regum, Reginarum, & Heroum, Tabulis XVI inciſas. Claſſis III Philoſophorum, Ora-

torum,

torum, Poetarum, Musarumque, imagines, Tabulis XI expressas, continet. Classis denique IV imagines Deorum, Dearumque, Tabulis XLIX diligenter delineatas exponit, ex quibus magna omnino lux accedit Historiæ veterique gentium Mythologiæ, multique antiqui Autores earundem gemmarum eruditione, quam continent, mire illustrantur.

Volumen II itidem Tabulas æri incisas habet centum, quæ iterum in quatuor Classes distributæ sunt, quarum I exhibet Tabulis XXIII antiquas Gemmas, nomine insignes Scalptorum, qui sunt *Agathopus, Allion, Amphoterus, Aspasius, Aulus, Carpus, Cnæus, Epitynchanus, Hyllus, Onesas, Pigmon, Plotarchus, Quintus Alexa, Scylax, Seleucus, Solon, Teucrus.* Has sequuntur illæ Gemmæ, quæ præter aposphragisma incisas præferunt aliquot literas, vel Græcas, vel Latinas, vel etiam peregrinas, quæ ut plurimum nomen ejus viri, qui Gemmam annulo insertam gestavit, per compendium indicant, vel epigraphen boni ominis, vel occultas Notas continent, quibus pro amuleto ad avertendum fascinum usi fuerunt. Atque in his non paucæ etiam Gemmæ proferuntur, Diis donatæ, vel claris viris, vel athletis victoribus in certaminibus, vel aurigis, qui palmam obtinuerant in Circensibus, præmio datæ, vel etiam ad amicos missæ in Saturnalibus, aut natali die, aut in nuptiis. Classis II Tabulis XXIX primum refert Gemmas, quæ a Cel. *Gorio Homericæ* dicuntur, quod res gestas heroum repræsentant, qui ab *Homero* laudantur, & Poetarum principem non illustrant magis, quam ab ipso illustrantur. Deinde comparent Deorum, Dearumque, imagines, ex quibus complures ad *Homeri* mentem procul dubio scalptas esse, arbitratur Autor. Classis III Tabulis XXXIV expressas Gemmas complectitur, quæ præsertim Romanam Historiam exornant. Unde Romæ primordia, Viri illustres, milites, sacrificia, ludi Circenses, Gymnici, Scenici, intelliguntur. Classis IV Tabulis XIV continet signa cœlestia & Gemmas symbolicas, quibus ethnicæ superstitionis cultores, vel fausti ominis causa, vel ad declarandum memorandumque horoscopum suum, vel pro amuletis, aut ludicris cælaturis, usi fuerunt.

Gemmarum, quæ in his *duobus Tomis* habentur, omnium antiquarum ſeriem, ordinem, & diſpoſitionem, fecit *Sebaſtianus Blanchius*, Præfectus Reg. Cimeliarchii Magni Ducis Etruriæ, qui in Claſſibus, modo recenſitis, nihil ſibi feciſſe reliqui videtur adornandis & accurate diſponendis. In ſubjecta ſingulis Gemmis teſſera, ut ab Autore vocatur, primum annotatum eſt genus ſcalpturæ ejusdem Gemmæ. Nam, ſi anaglyphum eſt, *exſcalptum* appellatur gemmæ opus, pervulgato ſermone, *Cammeo*. Sin vero cavis ductibus inciſum eſt, *inſcalptum* dicitur, hoc eſt, *in taglio cavo*, quibus Gemmis veteres ad obſignandum ut plurimum uſi ſunt. Deinde in eadem teſſera notatur qualitas Gemmæ, utrum ſcilicet imago exſcalpta, vel inſcalpta ſit Chalcedonio, an Jaſpidi, an Sardæ, an Achatæ, &c. Tum etiam per ſingulas notas apparet nomen Dactyliothecæ, unde gemmæ ſingulæ productæ ſunt. Subjecta denique linea ejusdem Gemmæ figuram, altitudinem nempe & latitudinem, indicat. Ubi vero linea deeſt, indicio id eſt, allatum iconiſmum magnitudine & forma ſua prototypam ſculpturam æquare. Cum autem per loci brevitatem & anguſtiam commode fieri non poſſet, ut in eadem ſubjecta teſſera prolata imago, cujusnam ſit, & quid referat, deſcriberetur; Obſervationes paulo copioſiores Doctiſſ. *Gorius*, ſtatuit poſt Tabulas æri inciſas, ſingulis Voluminibus rejectas, exhibere. In his Obſervationibus non ſolum judicium fert imaginum, ſed & earum exhibet deſcriptionem, Virorumque illuſtrium mores ac res geſtas ex Hiſtoriæ penu breviſſimis deſcribit. Singulis Tomis, quo Lectorum commoditati conſuleretur, ſubjectus eſt Index rerum, quæ in antiquis Gemmis obſervantur.

JOANNIS LAUNOJI, CONSTANTIENSIS, Pariſienſis Theologi, Socii Navarræi, Opera omnia, in quinque Tomos & decem Volumina diſtributa

Tomi V Pars I & II.

Coloniæ Allobrogum, ſumtibus Fabri & Barrillot, Sociorum, & Marci-Michaelis Bousquet & Sociorum, 1731, fol. Alph. 16 pl. 8.

Inte-

Integer hic *Tomus quintus*,isque ultimus, Epiſtolis *Launoji* dicatus eſt, quæ una cum Præfatione D. *Guilielmi Saywell*, ex editione Cantabrigienſi, A. 1689 evulgata, hic exhibentur. De quibus igitur hoc minus dicendum nobis eſſe exiſtimamus, quod jam copioſius de his ipſis Epiſtolis Cl. Editor egit in Præfatione ſatis longa, huic Tomo præmiſſa. Sæpius hic diſcedit a *Launojo*,eumque notat. Sic eum non bene Pag. 9. philoſophatum ait in Epiſtola ſeptima *p. 60*, quando non Capuenſis modo Concilii, ſed etiam Delegatorum a Concilio judicum,autoritatem Romani Pontificis autoritate ſuperiorem exhibitam, ac *Siricium* reſpondentem tanquam privatum Theologum ſcripſit. Sic demiratur, *Launojum* ſuffragatum 31. fuiſſe Decreto *Alexandri VII* ad Lovanienſes, in quo inconcuſſa tutiſſimaque dicuntur *Auguſtini* dogmata, quippe qui ſibi perſuadet, nunquam *Launojo* probatam fuiſſe doctrinam de prædeſtinatione & gratia, quia cauſæ *Auguſtinianæ* de componendis per Epiſcopos aut Concilia Eccleſiaſticis negotiis favebat. Interim tamen operæ pretium nos facturos ſperamus, ſi quædam de iis *Launoji* Epiſtolis, quæ nunc primum editæ ſunt, quæque in hujus *Tomi Parte ſecunda* leguntur, dixerimus. Prima Epiſtola e MSto Codice, quem Editori com- 777 ſeq. modavit R. P. *de Latenay*, Carmelita, qui olim fuit a ſacris Confeſſionibus Eminentiſſimi Cardinalis *d'Eſtrées*, exhibetur, in qua *Launojus* Tridentini Concilii utilitatem prædicat, collatis inter ſe Nicæna & Tridentina Synodis, oſtendit, longe plura in Eccleſia commoda ex ſecunda, quam ex prima, eveniſſe, & *Marcum Antonium de Dominis*, & fratrem, *Paulum*, acriter perſtringit. Secunda, quæ ex eodem Codice MSto vul- 783. gatur, probat, tempore Concilii Conſtantienſis nullum fuiſſe indubitatum Papam, & ex Actis Concilii infertur, *Gregorium XII* notiorem fuiſſe Pontificem, quam *Joannem XXIII*, aut *Benedictum XIII.* Tertia e MSto Codice *S. Germani a Pratis* 789. ſiſtitur, qua *Launojus* inveſtigat, quænam ſit Facultatis Theologicæ Pariſienſis ſententia de contritione, confeſſione & ſatisfactione, varioſque affert textus librorum, quos hæc Facultas approbavit, qui tamen in damnandis *P. Seguenotii* quibusdam

 pro-

Pag. 806. propoſitionibus ſecum pugnant. Quarta, quæ ex Bibliotheca
Ducis *de Coislin*, Epiſcopi Metenſis, Regii Ordinis Commen-
datoris, repetita eſt, ad *Ludovicum Bailium*, Parienſem Theo-
logum, data eſt, qua contra hunc *Bailium*, qui ex *Innocentii*
III quadam Epiſtola concluſerat, a Pontifice vetitum eſſe, ne
Scriptura in Gallicum idioma verteretur, demonſtrat, ibi tan-
tum edici, ne Laici prædicent, occulta conventicula faciant, &
813. Sacerdotes reprehendant. Quinta ad *Nicolaum Nigrum*, Theo-
logum Pariſienſem, e Codice ipſius Autoris MSto, quem Edi-
tori Vir eruditus ea lege commodavit, ut nomen ejus non ap-
pellaretur, deſumta eſt. In ea *Launojus*, recenſitis quibusdam
Criticæ legibus, probare nititur, in duobus Tridentinæ Synodi
Canonibus, ubi facultas conſtituendi impedimenta, matrimoni-
um dirimentia, Eccleſiæ tribuitur, Eccleſiam ſumendam eſſe
non pro Eccleſiaſticarum perſonarum cœtu, ſed pro colle-
ctione fidelium, idque contendit, ut Chriſtianis Principibus vin-
dicet conſtituendorum impedimentorum, matrimonium diri-
820. mentium poteſtatem. Sexta, ex eodem MSto deſcripta, ad
Ludovicum Cuſinum, Numanorum Judicum Præſidem, data eſt,
qua, variis allatis exemplis, oſtenditur, Romanos Pontifices a-
crius tuitos eſſe *Theodoſianam* legem de non jungendis ma-
trimonio conſobrinis, quam ipſi ſeculares Principes propugna-
runt, variæque adduntur Obſervationes de quibusdam factis
illuſtribus, ubi modo laudantur, modo vituperantur, Romani
827. quidam Pontifices. Septima, ex eodem MSto Codice, demon-
ſtrat, ſecum pugnare *Bellarminum*, dum hinc affirmet, *Grego-*
rium I diſpenſaſſe cum Anglis circa matrimonia in gradibus
prohibitis, & illinc fateatur, non poſſe Papam condere legem
civilem, vel confirmare, vel infirmare leges Principum, cum
830. non ſit ipſe Eccleſiæ princeps politicus. Octava, ad *Francis-*
cum Bonum, e Bibliotheca *Ludovici d'Aquin*, Forojulienſis pri-
mum, poſtea Sagienſis, Epiſcopi prodit, in qua *Launojus* o-
ſtendit, multa, quæ traduntur a Tridentina Synodo *Seſſ. XXIV*
Cap. I de reformatione matrimonii, pertinere ad matrimoni-
um, non quatenus Sacramentum, ſed quatenus eſt contractus
833. civilis. Nona, ex eadem Bibliotheca, ad *Hieronymum Sambo-*
vium,

Digitized by Google

vium, probatur, *Clementem IV* in Diplomate, quo *Henrico*, Regis Navarræ fratri, dat vacationem gradus quarti conſanguinitatis, pro ſacris canonibus allegare, quæ non ſint, niſi Edicta Principum, cum hæc re vera ad civilem magis, quam ad Eccleſiaſticam, poteſtatem pertineant. Tomum hunc non ſolum, ut reliquos, Index rerum & verborum memorabilium claudit, ſed acceſſit etiam Index locorum Scripturæ Sacræ, quæ in hiſce duobus Epiſtolarum Voluminibus vel illuſtrantur & explicantur, vel rei notæ accommodantur.

HISTORIE VAN CORSICA &c.

h. e.

HISTORIA CORSICÆ, IN QUA SITUS ET indoles Inſulæ hujus, ejusque incolarum, una cum variis ſtatus publici mutationibus, ac rebus, vel in Inſula hac, vel occaſione ejus, ab antiquis inde temporibus usque ad hæc noſtra geſtis, accurate deſcribuntur.

Amſtelodami, apud R. & J. Wetſtenium & W. Smith, 1732, 8.
Alph. 1 pl. 10½.

De Corſica, Inſula Italiæ notiſſima, non reperitur vulgo in doctorum hominum Bibliothecis, niſi *Philippi Cluverii*, de Sardinia & Corſica antiqua libellus, Italiæ ejus antiquæ ſubjunctus, ſed & poſtea ſeparatim excuſus, & magnis quoque Corporibus Scriptorum Italiæ inſertus, ſed in quo præter Geographicam, qua de ſitu & ratione illius ex vetuſtis Scriptoribus exponitur, deſcriptionem, in qua hodiernam ejus faciem ægre agnoſcas, fruſtra alia requiras. Rarius invenitur *Antonii Petri Filippini*, Archi-Diaconi Marianæ, (coloniæ, quondam a Mario deductæ, cujus hodie non niſi rudera ſuperſunt,) de rebus Corſorum Hiſtoria, qua, quæ *Joannes della Groſſa*, *Petrus Antonius Monteggiani*, & *Marcus Antonius Ceccaldi*, memoriæ prodidere, novem libris in lucem protulit, quatuor addi-

additis, quibus filum narrationis eorum ad ſua uſque tempora produxit. Typis impreſſa eſt in Gallia, Turnonii ad Rhodanum, A. 1594. Ex hac potiſſimum ſua hauſit *Anonymus*, cui librum hunc debemus, qui nec alios tamen, ſive veteres, ſive recentiores, Scriptores, qui, aliud agendo, res Corſorum attigere, neglexit, ut ſitim civium ſuorum, Hiſtoriæ Corſorum, de quibus toties in tabulis novarum rerum publicis legerunt, penitius cognoſcendæ cupidorum, levare poſſet.

Tractationem ſuam ordiendam haud immerito duxit a brevi Inſulæ totius deſcriptione, qua faciem ejus, regionumque & locorum omnium ſitum, naturam, commoda ac proventus, incolarum indolem, linguam atque ingenium, ſtatum item Eccleſiaſticum civilemque, generatim explicat. Mirum eſt, Chorographiam non ſtipaſſe eum mappa Geographica accuratiori, qualem in Præfatione haud immerito deſiderat, & vel ex *Filippino*, de quo diximus, facili negotio peti poſſe agnoſcit. Quod ad incolas attinet, inter cetera obſervat, lingua eos uti nec Græca, nec Latina, nec Itala, ſed ex tribus his aliisque mixta, minime tamen infœcunda, aut ſignificandis cum emphaſi conceptionibus animi inepta. In ipſa Hiſtoria *Anonymi* noPag. 301. ſtri Corſorum vox *cala*, quod eſt, *occide*, reperitur, quæ cujus originis ſit, vix ſatis patet. Eruditioni linguarumve externarum ſtudio parum eos tribuere obſervat, ipſosque adeo ordinis Eccleſiaſtici viros tanta laborare imperitia, ut in monaſteriis viginti quinque ac pluribus, quæ Inſula alit, vix unum & alterum reperias qualicunque literarum tinctura imbutum. Ignorantiæ hujus filiam, ſuperſtitionem, tantam vulgo deprehendi, ut, cum divinationi in univerſum ſtudeant magnopere, tum id genus illius, quæ ex inteſtinis pecorum abdita rimatur, etiam457. num ſectari nihil vereantur. Ceterum, ſi, quod *Anonymus* noſter notat, Corſi hoc tempore, quo, Genuenſium imperii pertæſi, novis rebus ſtuduere, inter alia, quæ, ut arma ponerent, poſtularunt, petiere, ut Academia, de qua condenda jam ſuperioribus temporibus agitari conſilia cœperint, in Corſica conderetur, patet ſane, erectiora iis non deeſſe ingenia, atque aliis longe cauſis, quam indoli eorum, deberi, qui vitio iis datur, litera.

terarum doctrinæque politioris neglectum. Sed, ut ignorantia Corsorum excusari fortasse potest quodammodo, ita non æque ferenda in illis segnities, rapacitas, perjuria, odia æterna, quæ exercent, atque ad seros posteros transmittunt, quanquam hæc ipsa videntur ex uno illo fonte ignorantiæ manare, qua, ut vidimus, laborant. Utcunque sit, fortitudinis iis laudem nemo abjudicaverit, quam & Doctiss. Autor iis in ipsa Historia relinquit, tametsi nullam ejus hoc loco mentionem putavit faciendam. Nam & Genuenses Corsica pro seminario, unde milites, quibus patriam tutarentur, desumerent, usos observat, & notum aliunde est, quam strenue Corsi non tantum in patria sua, sed & alibi conducti stipendiis, ut in Gallia, rem gesserint. Pag. 440.

Sed ad Historiam ipsam progredimur, ab antiquissimis inde temporibus usque ad hæc nostra laudabili studio contextam, & lacunis quidem suis non carentem, sed tamen lectu jucundam, & rerum varietate grata Lectorum animos distinentem. De 36 seq. primis Corsicæ incolis nil certi constat; coloniam eo quingentis sexaginta vel septuaginta ante Christum natum annis deduxere Phocenses, conditores urbis Alaliæ quondam, postea Aleriæ, sed, cum deprædationibus maritimis omnia infesta redderent, sedem rursus mutare coacti. Successere, qui eos solum 38. vertere coegerunt, Hetrusci & Carthaginenses, maritimas Insulæ hujus partes sibi potissimum vindicantes, montana atque interiora incolis nativis obtinentibus. Carthaginenses, quos vi- 39 seq. cinos ferre non poterant, duce *L. Cornelio Scipione* aggressi Romani, Aleriam, atque alia quædam loca, quæ illi tenebant, sibi una cum Nicæa, Hetruscorum urbe, subjecerunt. Missis 41 seq. inde Roma *Tiberio Gracchо, Spurio Carvilio*, aliisque, in Provinciam demum una cum Sardinia redacta est Corsica, quam &, frustra Insulas has altero bello Punico solicitantibus Carthaginensibus, missis Prætoribus rexere, seditiones ac turbas, subinde ortas, mature comprimentes. Coloniæ inde novæ, Marianam atque Aleriam, autoribus Mario, unde & Marianæ nomen, & Sulla deductæ, pacatiora omnia reddidere, paruitque Corsica, sedes plerumque exulum Romanorum, atque

Digitized by Google

inter alios & *Seneca*, Philosophi, una cum Sardinia sub uno rectore Romanis, dum, *Constantino Magno* Imperii gubernacula tenente, Corsis peculiares dari cœpissent, qui eam Insulam usque ad sexcentesimum circiter annum post Christum natum Romano Imperio servarunt.

Floruit eo temporis intervallo apud Corsos Christiana religio, de cujus initio tamen & progressu altum in hoc libro si-
Pag. 47. lentium, dum *Lanza Ancisa*, præpotens Maurus, ex Hispania una cum *Halyo*, doctore Mahumedano, Corsicam ingressus, incolas non tantum in potestatem suam redegit, sed & Mahumedana imbuit superstitione, regioque titulo usus, regnum ad posteros transmisit, ex quibus quintus & postremus, *Nugulo*, tempora *Caroli M.* attigit. Eam partem Historiæ, quæ ducentos prope annos complectitur, vix leviter perstringit Au-
48. tor, ad sequentia tempora progressus, quibus *Hugo Columna* & *Guido Savellus*, notissimi Romanorum, Corsicam Christianis Christianæque religioni, ejecto *Nugulo*, restituere, supre-
55. mum ejus dominium Pontifici Romano, cui & decimam partem non tantum fructuum, sed & liberorum, Corsi aliquamdiu persolvere, asserentes. *Hugo Columna* ex iis Comes inde Sardiniæ salutari cœptus, qui exturbandis Saracenis & revocandæ postliminio Christianæ fidei triginta sex annos insumsit. Dignitatem eandem obtinuit filius, *Blancus*, rebus adversus *Nugulum*, de quo diximus, *Abdallam*que, filium ejus, prospere gestis inclytus, eamque ad posteros transmisit, ex quibus non nisi *Henricum* Autor brevissimis commemorat. Quo violen-
58. ta morte exstincto, turbisque inde coortis, Corsi a *Gregorio VI* auxilium petiere, a quo *Marchio Massæ di Maremma* missus, quam non sine multo labore pacaverat, Insulam septem annis rexit. Sub filio imperium, recens partum, quod Insulam omnem complectebatur, ad angustos terminos redactum est, potioribus ejus partibus distractis, quas peculiares sibi domini vindicarunt: residua portiuncula *Marchionatus* titulo ad posteros utcunque pervenit. Inter hæc Genuenses, bellum cum Pisanis gerentes, Bonifacium, urbem maritimam freti, quod Sardiniam a Corsica dirimit, a *Bonifacio* quodam, navarcho Pisano-

Piſanorum, conditam, aſtu cepere; inſulani vero, perpetuis turbis exagitati, denuo ad ſedem Romanam confugerunt, quæ, cum varios iis rectores miſiſſet, Corſis parum probatos, denique pertæſa gentis, Corſicam, tanquam feudum Eccleſiæ Romanæ, Piſanis obtulit ſub *Urbano II*, cujus Diploma ea de re Florentiæ hodie aſſervatur. Pag. 63. Piſani eam non integro Seculi ſpatio tenuere, cum inſulani, atque ipſe ille, qui Piſanorum nomine patriæ præerat, *Giudiceus della Rocca*, ſummam rerum Genuenſibus, quibus Bonifacium ac tractus Vallenſis parebat, detulerunt. 71, 77 ſeq. Sed Pontifex Romanus, *Urbanus IV*, cui, quod tueri non poterant, jus ſuum in Corſicam pariter ac Sardiniam Piſani reddiderant, utramque Inſulam *Alphonſo*, Regi Arragoniæ, feudi nomine conceſſit. 87. Is, Sardinia potitus, Corſicam non æque vindicare ſibi potuit, Genuenſibus ibi ſua tuentibus, qui inter turbas, ſubinde ortas, rem vario ſucceſſu geſſere. Ab Republica imperium ad privatos rediit, 97. *Mahonæ* nomine notos, quorum quinque cum eſſent numero, *Leonellus Lomellinus* poſtea ex iis ſolus Comitis dignitate Corſicæ præeſſe cœpit. Sed & alios ea tempeſtate Comites hæc Inſula habuit, ut *Vincentellum Iſtrienſem*, 102. Arragoniæ Regis auſpiciis & nomine Corſis imperitantem, 122. *Simonem de la Mare*, *Paulum della Rocca*, *Giudiceum* 134 ſeq. *Iſtrienſem*, qui dum turbas daret, 137, 145. ad obſequium Pontificis Romani, *Eugenii IV*, rediere Corſi, Genuenſes dominos denuo agnoſcere juſſi a *Nicolao V*, ſed vario nihilominus imperio diſtricti. 154. Quo ſtatu rerum, ut olim *Mahonæ*, ita nunc *Menſariorum S. Georgii*, tum florentiſſimæ Societati, ſe ſuaque ſubmiſerunt, quæ cum ab A. 1453 uſque ad 1562 Corſis, quos & Mediolanenſes interea, poſt *Tomaſinus Fregoſus*, ac denique Galli, tota prope Inſula capta, obnoxios habuere, 169, 176, 263. utcunque imperitaſſet, dominationem poſtliminio ſibi Reſpublica vindicavit anno, quo diximus, 384. eamque ſtrenue defendit adverſus *Sampieri*, filiique, *Alphonſi*, molitiones, uſque ad A. 1560, quo *Alphonſus* Corſica exceſſit, Gallis militaturus, inter quos virtus eum ſua uſque ad præfecti ſummi caſtrorum, quem *Mareſchallum* vocant, dignitatem e-

 vexit.

Digitized by Google

Pag. 435. vexit. Quod dum memorat Autor noster, mirum est, reticuisse eum novissima illius fata, pœnas quippe perduellionis luituri haud dubie sub Rege, *Ludovico XIII*, nisi mors opportuna eum fortunæ ludibrio subtraxisset. Insequenti tempore, ab anno inde 1582 ad 1725, quid gestum in Corsica sit, frustra hic quæras; nihil enim accidit, quod Scriptoribus externis memoratu dignum magnopere videretur, quos unos hac ex parte consulere in tanta Historicorum domesticorum penuria Autor noster potuit. Quod ad recentissima tempora attinet, veretur ipse in Præfatione, ut, quæ de turbis, in Corsica ortis, ac postremo ope Cæsarianorum militum compositis, in medium attulit, Lectoribus per omnia satisfaciant. Potius existimat, in posterum certiora nos de iis rescituros: adhuc enim qui de iis memoriæ prodiderint, nec statum Insulæ, nec nomina locorum, mire quippe nonnunquam depravata, perspecta satis habuisse.

Johann Heinrichs von Falckenstein Nordgauische Alterthümer :c.

h. e.

JO. HENR. FALCKENSTEINII ANTIQUItates Nordgavienses, in quibus de primi Nordgaviensis Episcopatus, Aureatensis, originibus, & Episcopali successione, usque ad nostra tempora agitur.

Tomus I.

Francofurti & Lipsiæ, apud Jo. Georg. Lochnerum, 1733, fol. Alph. 3 pl. 15, cum fig. æn. pluribus textui inspersis, & Tabb. 10, & Mappa Geographica.

Qui nuper Codicem Diplomaticum Antiquitatum Nordgaviensium, cujus recensum in *Actis M. Nov. A. 1733 p. 489* instituimus, in lucem emisit Ill. *Falckensteinius*, idem nunc ad ipsas scribendas Antiquitates Nordgavienses, bonis avibus, accessit. Vere atque ex animo gratulamur Historiæ studiosis honorificum illud, quod de præstabili Autoris do-

ctrina

ctrina tulit, testimonium æquus & peritus ingeniorum æstimator, Divus *Jo. Antonius*, Aureatensis Ecclesiæ Antistes. Is enim, cognitis exploratisque egregiis *Falckensteinii* dotibus, cum A. 1718. nihil tale cogitantem, inter Aulæ Consiliarios sponte sua recepit, amplissimis beneficiis auxit, & gravissimis negotiis adhibuit. Noster, cum, neminem quemquam Episcopatus Aureatensis historiam exposuisse, illaque, quæ vel *Philippus*, undequadragesimus Aichstatdensis Ecclesiæ Præsul, de vita *S. Wilibaldi* literis consignaverat, vel *Bruschius* & *Gretserus* in commentaria retulerant, ad justam Historiam minime sufficere, animadverteret, ipse manus admovit operi longo atque difficili, nullo subsidiorum auxilio adjutus. Sciagraphiam igitur Operis universi confecit, eandemque censuræ *Jo. Antonii*, cujus supra mentionem fecimus, tradidit. Annuit voluntati *Falckensteinii* Clementissimus Princeps, & ad perficiendum utilissimum opus illum graviter sapienterque cohortatus est. Verum in medio operis progressu vita excedebat A. 1725 *Jo. Antonius*, & luctuosissima morte sua mirifice perturbabat Autoris animum. Is nihilominus, cum lachrymarum satis dedisset piis Principis manibus, ipsa operis difficultate alacrior factus, vehementissime in opere cœpto permansit, & pertinaci industria eo rem redegit, ut jam primam Operis Partem in manus emtorum, feliciter superatis difficultatibus, quæ ipsi objiciebantur, omnibus tradere potuerit. Capitibus LXV vitas Episcoporum accuratissime descripsit, & præcipua notatuque digniora eorundem fata exposuit. Pri- Pag. 2.
mus Episcopus fuit *S. Wilibaldus*. Is in Anglia, patre *Ri-* 3.
chardo, ineunte Seculo octavo natus, cum in tenera juventute morbo lethali correptus, omnisque longioris vitæ spes præcisa esset, sanctæ crucis aspectu pristinæ sanitati restitutus, Deoque in tam ingentis beneficii memoriam a parentibus dicatus
consecratusque fuit. Mox in monasterium Waltheimense ad 4.
capessendum literarum cultum delatus, libris sacris evolvendis se dedit, præcipue cœlestis vatis, *Davidis*, cantibus adeo delectatus fuit, ut omnes memoriter recitare valeret. Omnia præterea Christianæ pietatis opera diligentissime exercuit. Ob

Digitized by Google

quæ ſingularia inſignis vitæ ſanctimoniæ exempla Abbas Monachique in ſummo honore habuerunt eundem, & exquiſita veneratione proſecuti fuerunt. Ut itaque hiſce illecebris ſeſe ſubduceret, & in crucis ſchola ſe bene exerceret, moleſtum iter Romam ſuſcepit, & patrem, *Richardum*, & *Wunibaldum*, fratrem, ut cum ipſo in viam ſeſe darent, graviſſima oratione permovit. Sed, patre mortalium erepto rebus, & fratre, cum adverſa valetudine conflictante, Romæ relicto, cum paucis comitibus Hieroſolymam contendit. Dura & minus ſecunda in hoc itinere fata expertus eſt. Saraceni, crudeliſſimi &
Pag. 7. infenſiſſimi Chriſtianorum hoſtes, Emeſſæ in iniquiſſimam ſervitutem abduxerunt illum, in qua pereundum fuiſſet ipſi, niſi Hiſpani mercatoris precibus adjutus, in libertatem rediiſſet.
9. Recepit ſe poſtea in monaſterium, in monte Caſſino ſitum, cujus Monachi *S. Bernhardi*, quam ante ſuum ex patria diſceſſum aſſumſerat, regulam ſequebantur, & per integrum decennium & literarum ſtudia excoluit, & perplurima virtutis experimenta in hoc monaſterio edidit. Suaſu Sacerdotis, Romam repetiit, ubi humaniter exceptus a Pontifice, *Gregorio III*, & ab illo in Germaniam ad *S. Bonifacium* miſſus fuit, ut in paganis ad puriora ſacra convertendis ſalutarem
10. operam ipſi navaret. A. 739 *Swiggero*, Comiti Hirſchbergenſi, perſuaſit, ut, volente & conſentiente *Utilone*, Bajoariæ Duce, illam terræ partem, quæ hodie nomine Epiſcopatus Aureatenſis venit, *S. Bonifacio* in redemtionem animæ trade-
11. ret, quam *Wilibaldo* confeſtim ceſſit *Bonifacius*. Sed, cum via arboribus, frondibus & virgultis incluſa eſſet, funditus illas evertit, & monaſterium ibi ædificavit. Undique ab omnibus Germaniæ angulis confluebant homines, qui, *Wilibaldina* fama excitati, non ita procul a monaſterio domos exſtruebant, quorum diligentia civitas paulatim condebatur, quæ a ſucciſis quercubus Aichſtadtii nomen accepit. Nondum eo tempore
12. Clericus initiatus erat *Wilibaldus*. Quapropter ordines ipſi dedit *S. Bonifacius*, quo anno vero, res dubia & incerta eſt. Si conjecturis credimus, anno 740 eum ordines recepiſſe, &
13. anno ſequente Epiſcopum conſecratum fuiſſe, veroſimile videtur.

detur. Multum illius judicio tribuit *S. Bonifacius*, & in con- Pag. 14.
ferendis beneficiis Ecclesiasticis, in judiciis habendis, in tem-
plorum consecrationibus, & functionibus ceteris, ejus potissi-
mum consilio operaque usus est. Inde invidendum illud pri- 15.
vilegium ipsi concessit, ut, sede Moguntina vacante, vicem Ar-
chi-Episcopi gererent Episcopi Aichstadtienses, in celebratione
Synodi aut Concilii a dextra Archi-Episcopi sederent, & in ab-
sentia ejus Præsidis munere fungerentur. Tandem A. 786,
uti probabile est, ad plures abiit *Wilibaldus*, quem postea in 16.
Sanctorum receperunt numerum Pontifices. Sequitur *Caput
II*, quod de parentibus, fratribus, agnatis, cognatisque *Wili-
baldinis Sectionibus* novem agit. In Sectione I *S. Richar-
dus*, in II *S. Wunibaldus*, in III *S. Walburga*, in IV *S. Bo-
nifacius*, in V *S. Deocbarus*, in VI *S. Sola*, in VII *S. Sebal-
dus*, in VIII *S. Stilla*, in IX ceteri Episcopatus Aureatensis
Divi tutelares comparent. Oppido, dum hæc legimus, & faci-
nora illa, quæ contra omnem fidem illis Aichstattiensibus tu-
telaribus, quos pie, integre & illibate vitam transegisse facile
credimus, Autor tribuit, attoniti miramur, in mentem veni-
unt verba, quibus *Mariana Lib. VI Rerum Hispanicarum
Cap. VII Tom. I p. 211 edit. nov.* in ejusmodi insolitorum mi-
raculorum fabricatores invehitur: *Quid inanius, quam fabu-
losis commentis velle Sanctorum Virorum laudes vitamque il-
lustrare? Quid religionis sinceritati mendacio exitialius?*
Sed redeamus in viam. In reliquis quatuor & sexaginta Ca-
pitibus ceterorum Episcoporum vitam tradit Autor. Seque-
mur eundem, &, si quid memoratu dignum perpetraverit unus
ex Episcopis, in rem convertemus nostram. Post *Wilibal-
dum* ad gubernacula Aureatensis Ecclesiæ accessit *Gerochus*,
Aganus, *Adalungus*, *Altunus*, *Otkarius*, *Godeshalcus*, *Erchan-
boldus*, *Udalfridus*, *Starchandus*, *Reginoldus*. Hic vir do- 86.
ctissimus, trium linguarum peritissimus, Musicus excellentissi-
mus, & tribus *Ottonibus*, Imperatoribus, carissimus fuit, a qui-
bus insignia Privilegia in Episcopatus sui emolumentum con-
secutus est. Vitam *S. Wilibaldi*, *Nicolai* & *Blasii*, nitidissime
scriptam posteritati reliquit. Excipit *Reginoldum Megenzoebus*,

Gun-

Gundakarus I, Waltberus, Heribertus, qui, nobilis genere, nobilior moribus, egregie literatus fuit, & in pangendis verſi-
Pag. 102. bus nullum parem ſuo tempore habuit. Exſtant adhuc ſex Hymni Eccleſiaſtici, mira carminis elegantia compoſiti. Suc-
109. ceſſit *Gotsmannus*, *Gebhardus I*, qui incredibili fortunæ beneficio ipſam Pontificalem infulam impetravit, &, *Victoris II* nomine adſcito,per tres annos Eccleſiam Romanam gubernavit. *Henricus III*, Imperator, tanto amore illum ob raram in rebus Civilibus & Eccleſiaſticis pertractandis dexteritatem complexus eſt, ut nullum arduum atque difficile negotium ſine ejus arbitrio ſuſciperet, & nulla niſi ſola nominis Impe-
111. ratorii prærogativa *Gebhardum* præcederet. Pontifex creatus, ſaluberrimas contra deteſtandum Simoniæ crimen, (res enim eo pervenerat, ut ipſa Pontificia dignitas venalis eſſet,) & bona Eccleſiaſtica alienantes, leges promulgavit. Concilium Florentiæ congregavit, & per plurima bona & jura, quæ nimia priorum Pontificum ſocordia ſedi Romanæ erepta fuerant, ſibi ſtrenue poſtliminio quaſi vindicavit. Venimus nunc
115. ad *Gundackarum II*, qui Anteceſſorum vitam resque geſtas literis conſignavit, illorumque imagines depingendas, & in Eccleſia Capitulari Aureatenſi collocandas curavit. Humiliter & demiſſe de ſe ſenſit, ſeque miſerum peccatorem & minimum fratrum *S. Wilibaldi* vocavit. Poſt hunc locum oc-
132, 133. cupant *Udalricus I*, *Eberhardus I*, *Udalricus II*, *Gebbardus II*, *Burchardus*, homo ſimplex, negligens, ignavus, a *Conrado I*, Imperatore, Eccleſiæ per vim atque potentiam obtruſus, & ob ſcelerata facinora poſt quatuor annorum regimen Epiſcopali dignitate exutus, uno verbo, immaniſſimum & fœdiſſimum Eccleſiæ Aureatenſis monſtrum, *Conradus I*, *Egilolphus*,
139. *Otto*, ad cujus laudem pertinet, quod ſingularem in miniſterio Deo præſtando zelum oſtenderit, & primus & ultimus in Eccleſia fuerit, *Hertwicus*, *Fridericus I*, *Henricus I*, *Henricus II*,
148. *Henricus III*, *Fridericus II*. Sapientiſſimus hic Princeps præclaras in literis, ſigillatim in Juris prudentia,progreſſiones fecit. Jus Cancellariatus ſedis Moguntinæ,& jus ſedendi a dextra Archi-Epiſcopi, quod ipſi denegare audebant Eccleſiæ Hildeſien-

deſienſis, Paderbornenſis,& Wormatienſis, Epiſcopi maſcule ſibi aſſeruit, quod jus *Marquardo I* A. 1323, & *Friderico IV* A. 1401, ab Archi-Epiſcopis Moguntinis denuo confirmatum fuit. Sequitur *Henricus IV*, poſt cujus obitum Capitulum articulos quoſdam conſtituit, quos novo Epiſcopo præſcriberent, *Engelhardus*, *Hiltbrandus*, qui A. 1268 Synodum convocavit, in qua contra illos pronuntiavit, qui jus Advocatiæ in Epiſcopatu prætendebant exercebantque, *Reymbotus*, *Conradus I*, *Joannes I*, *Philippus*, Princeps ſolide doctus, qui non ſolum ingenti cum applauſu verba ad populum ex ſuggeſtu fecit, Theologiam in monaſterio ſuo docuit, verum etiam ad ſummos in Theologia honores, rem tunc temporis pæne inauditam, & miraculo comparandam, adſpiravit. Sedem Epiſcopalem poſt illum tenuerunt *Gebhardus III*, *Fridericus III*, *Henricus V*, *Albertus I*, *Berchtholdus*. Prava & impia tunc conſuetudo regnabat, ut, quando Clerici vita fungerentur, aut in lecto emortuali, morti vicini, decumberent, illi, qui aderant, illius res mobiles & bona, tanquam res derelictas, occuparent, ea quidem impudentia, ut ægroto etiam agentique animam Clerico lectos ſubtraherent, & vix tantundem relinquerent, ut honeſtæ ſepulturæ tradi poſſet. Ortum debebat hæc nefaria conſuetudo legibus ſacris, quæ Clericos inteſtabiles reddiderant. Horum illicitis importuniſſimorum hæredipetarum artibus frenum injecit *Berchtholdus*, & ſingulare ſtatutum A. 1364 condidit, ut Clerici liberam nulliſque regionibus circumſcriptam de rebus ſuis inter vivos & mortis cauſa per teſtamentum legata, fideicommiſſa, aut aliam quamcunque voluntatem, diſponendi vim poteſtatemque in poſterum haberent, illorumque voluntas rata, firma inviolataque eſſet, neque ullis juris ſubtilitatibus ſubverteretur. Accedimus ad *Rabnonem*, ſive *Rabanum*, *Fridericum IV*, *Joannem II*, *Albertum II*, *Joannem* denique *III*, vivum ſpiranſque abſolutiſſimæ perfectiſſimæque virtutis exemplar. Ingenio excellentiſſimo, eloquentia incredibili, fuit. Juris utriuſque Doctoris jura & privilegia merens obtinuit, & Decretorum canones ſtudioſæ juventuti Viennæ, publico ſtipendio conductus, explicuit. Imperatoris, *Alberti*, Cancellarius fuit, & Imperatoris nomine

Pag. 175. 185. 152. 188. 171. 189. 203.

Digitized by Google

in Concilio Basileensi, stupentibus omnibus, peroravit. Omnia vigilantis Episcopi munia fideliter atque solicite explevit. Civium supplices querelas clementissime audivit. Erga pauperes & sortis acerbitate aliqua oppressos se vere munificum atque liberalem exhibuit, & neminem quemquam tristem a se dimisit. Si equo animi recreandi causa veheretur, & e longinquo aliquem ad se advolantem conspiceret, etiam in mediis imbribus nivibusque sistebat gradum, donec miseri ad eum accederent, quos amplo viatico adjutos benignissime recreabat. Parca tenuique mensa utebantur, &, quoties cibum sumeret, librum aliquem sacrum sibi prælegendum curabat. Voluptati ebrietatique deditos internecino odio prosequebatur. Veritatem adeo amabat, ut ea, quæ aliis promiserat, tam sancte servaret, ac si jurejurando confirmasset. Nunquam in tota vita vel jocum, vel mendacium, vel obscœnum verbum aliquod, dixit. Singulis binis annis Synodos diœcesa-
Pag. 205. nas habuit, in quibus ipse præsidebat, & Clericorum monita lubens volensque admisit. Judæos ex universo Episcopatu ejecit, severeque edixit, ne subditi ejus pecuniam, aut aliam quamlibet rem, a Judæis mutuo acciperent. Ludos, & omnem sumtum, & luxuriam, in conviviis graviter prohibuit. Ordinem processus judiciarii conficere in animum induxerat; sed mors tam egregia salutariaque consilia prævertit. Libros *de Comparatione vitæ activæ & contemplativæ*, *de Constantia*
207. *ad virgines S. Walburgæ*, edidit; *Vitus* quoque *Ammerpachius* duo Epistolas ejus publici juris fecit. *Æneas Sylvius*, qui inter Pontifices Romanos sub *Pii II* nomine inclaruit, prolixa elegantique Epistola Episcopalem dignitatem ipsi gratulatus est, eidemque, antequam huic muneri præficeretur, librum *de Curialium miseriis* inscripsit. Per plurima Decreta Synodalia promulgavit, quorum unum de abrogatione abusuum in Ecclesia, alterum de anniversaria confessione, salutares præceptiones continet. Progredimur ad *Wilhelmum*, *Gabrielem*,
227. *Christophorum*, *Mauritium*, *Eberhardum II*, *Martinum*. Hic luculentum boni Pastoris elogium reportavit. Cum enim gravis pestilentia per urbem Aichstattiensem incideret, domosque funeribus repleret, parochum, qui infectos adibat ipse

inse

infectus, sæpe ad se advocavit, & tum consilio, tum solatio, ipsi præsto fuit. Atque, cum Aulæ Proceres ipsum ab imminente periculo dehortarentur, ita illis respondit: se non mercenarium esse, sed cum suis & vivere, & mori, velle. Collegium *Wilibaldinum* ædificavit, & quinque Professoribus tredecimque Alumnis stipendia & alimenta assignavit. Primus hujus Collegii Præses fuit *Robertus Turnerus*, Vir multifaria doctrina clarum atque illustre nomen consecutus. Hoc Collegium, *Turneri* morte penitus collapsum, *Jo. Christophorus*, undesexagesimus Episcopus, restituit, & humaniores literas, Dialecticam, & Theologiam moralem, in eo doceri jussit, qui quoque Gymnasium instituit, & de necessariis sumtibus ipsi liberalissime prospexit. Claudunt Episcoporum Aureatensium numerum *Casparus*, *Jo. Conradus*, *Jo. Christophorus*, *Marquardus II*, *Jo. Eucharius*, *Jo. Martinus*, *Jo. Antonius*, quem exquisitissimis selectissimisque elogiis ornat Autor, &, qui ad hunc usque diem Ecclesiam Aureatensem regit, *Franciscus Ludovicus*. Ultimum Operis Caput de Pro-Episcopis Aureatensibus breviter strictimque præcipit. Sed non sola hujus Operis dos est, ut vitas Episcoporum tradat, verum etiam singulas Synodos, Concilia, & res in Germania commemoratu dignas, recenset, ut facile unicuique pateat, quam vario vastæ & diffusæ lectionis apparatu accesserit Ill. Autor ad hoc Opus scribendum, & quam bene omnibus diligentis & accurati Historiarum Scriptoris partibus defunctus fuerit. In fine locupletissimi copiosissimique Indices comparent. Pag. 231.

COMMENTARII ACADEMIÆ SCIENTIARUM Imperialis Petropolitanæ. Tomus III, ad Annum 1728.

Petropoli, typis Academiæ, 1732, 4 maj.
Alph. 2 pl. 13, Tabb. æn. 24.

In *Classe Mathematica* novam proponit *Hermannus* rationem deducendi regulam, jam passim traditam, pro centro oscillationis penduli cujusque compositi. Deducit autem eandem

Digitized by Google

dem ex natura motus gravium in arcubus circularibus, adeoque ex principiis maxime genuinis. Inventam regulam generalem, quæ eadem est cum *Hugeniana*, applicat ad oscillationes linearum curvarum, tam in planum, quam in latus, agitatarum, superficierum atque solidorum, sed ita, ut in formulis generalibus subsistat, nec ad exempla descendat. Addit deinde nonnulla de centro oscillationis aquæ in siphone oscillantis, atque sic demonstrat, quæ absque demonstratione proposuerat *Joannes Bernoulli* in Tomo II Commentariorum, virium vivarum conservationem demonstraturus. Secundo loco comparent *Joannis Bernoulli* Meditationes de chordis vibrantibus, cum pondusculis æquali intervallo a se invicem dissitis, ubi nimirum ex principio virium vivarum quæritur numerus vibrationum chordæ pro una oscillatione penduli datæ longitudinis. *Maierus* novam quandam proponit Arithmeticam figuratam. Considerat enim naturam serierum numericarum possibilium omnium, quæ eodem modo generantur, quo series numerorum figuratorum generari solent, ita, ut vulgo sic dicti numeri figurati sub istis, tanquam species sub genere, comprehendantur. Vocat autem series istas collectivas. Sit series numerorum æqualium *3, 3, 3, 3, 3*, &c. -- Assumatur numerus quicunque, veluti *5*, continua additione terminorum primæ seriei formetur series *5, 8, 11, 14, 17*, &c. -- erit series assumta numerorum æqualium series primi ordinis, altera inde formata series secundi ordinis. Assumatur jam alius quicunque terminus primus *5*. & continua additione, ut ante, formetur nova series *5, 13, 24, 38, 55*, &c. -- initio facto ab additione termini secundi seriei antecedentis ad primum assumtum; erit ea series tertii ordinis. Et hoc pacto progredi licet in infinitum. Natura illarum serierum explicata, earundem summationem docet: unde etiam summationes potentiarum, tanquam casus specialis, deducuntur. Ceterum, cum communis Arithmetica figurata sterilis sit, nec usum aliquem hactenus repererit; Noster novæ suæ Arithmeticæ usus non contemnendos docet. Etenim, si æquationes Algebraicæ contineant radices integris numeris æquales, ope serierum collectiva-

ctivarum eas detegi poſſe, monſtrat: ſi vero fuerint numeri irrationales, eorum limites eorundem auxilio inveſtigari poſſe, monet: ſed, quoniam labor nimis moleſtus eſt, ab hoc uſu explicando abſtinet. Alterum illarum ſerierum uſum in theorematis univerſalibus adornandis oſtendit, quando ſcilicet ex pluribus formulis ſpecialibus univerſalis conficienda, numeris, qui quantitatibus indefinitis adhærent, difficulter ad univerſalitatem revocandis. Tertium denique uſum in interpolationibus accuratius faciendis monſtrat. Uſum ſecundum illuſtraturus, propoſitiones aliquot cyclometricas, partim novas, partim nova methodo elicitas, exhibet. Dat nimirum generale theorema chordarum pro arcubus multiplis & ſubmultiplis. Ex hoc deducit æquationem generalem pro lateribus figurarum regularium. Tandem rectificationem circuli novam ex præjactis fundamentis colligit. Nimirum, ſi radius circuli fuerit r, & p denotet terminum quemlibet præcedentem, erit ſeries pro peripheria circuli $6r + \frac{1^2 p}{2.3.4} + \frac{3^2 p}{4.5.4} + \frac{5^2 p}{6.7.4} + \frac{7^2 r}{8.9.4} + \frac{9^2 p}{10.[illegible].4}$ &c. Hæc ſeries ita appropinquat, ut quilibet terminus numerum prodeuntem una nota augeat. E. g. ſi quinque termini ſummentur, & ſit $r = 1$; erit peripheria $=$ 6. 2830. *Daniel Bernoulli* methodum univerſalem proponit determinandi curvaturam fili, a potentiis, quamcunque legem inter ſe ſervantibus, extenſi, atque ita promovit theoriam, qua olim catenaria, velaria, lintearia, elaſtica, aliæque curvæ, erutæ fuerunt. Cum *Jacobus Bernoulli* curvam laminæ elaſticæ incurvatæ primus determinaret, eam gravitatis expertem ſupponebat. Nec aliam hypotheſin aſſumſere, qui poſtea idem argumentum tractarunt. Sed in rerum natura non exiſtunt niſi laminæ elaſticæ graves. *Eulerus* itaque ſolvit Problema de invenienda curva, quam format lamina utcunque elaſtica, in ſingulis punctis a potentiis quibuscunque ſollicitata. *Daniel Bernoulli*, cum Venetiis ageret, formulas quasdam univerſales pro ſummis numerorum integrorum inveniendis

communicaverat cum Nobili quodam Veneto, qui eas deinde cum aliis ipsius meditationibus sub titulo Exercitationum Mathematicarum ediderat, quemadmodum constat ex *Actis A. 1725 p. 113.* Ignorabat tunc temporis, series istas jam adhibitas fuisse a *Keplero*, ac deinde a *Dominico Cassini* imo eas a *Montmortio*, *Moivraeo*, *Goldbachio*, & *Nicolao Bernoulli*, patrueli suo, sub facie multo generaliori exhibitas, eaque ab ipsis praestita fuisse, quae fieri posse, ipsemet tunc nondum putabat. Monitus itaque a patrueli suo, earum ope solvi problema sectionum angularium sine infinite parvis, aut seriebus indefinitis, argumentum ruminando incidit in nova theoremata, quae sub titulo Observationum de seriebus, quae formantur ex additione vel subtractione quacunque terminorum, se mutuo consequentium, exhibet. Usum doctrinae monstrat in methodo nova inveniendi radices omnes cujuscunque aequationis affectae, tam numericae, quam algebraicae. *Krafftius* curvas quasdam altioris generis considerat, quae facile describi possunt. Prodeunt autem istae curvae eodem modo, quo sectiones conicae motu continuo apud *Hospitalium* describuntur, si directricium loco sumantur lineae curvae pro lubitu. Nemo ignorat, viam brevissimam ab uno puncto ad alterum in plano esse lineam rectam; in superficie sphaerica esse circuli maximi arcum, jam olim demonstravit *Theodosius*. Cum ex literis *Joannis Bernoulli* intellexisset *Eulerus*, ipsum invenisse universalem aequationem, quae ad lineam brevissimam determinandam cuique superficiei accommodari possit; ipse quoque hoc Problema solvit, quamque reperit, solutionem *Actis* hisce inseri curavit. Idem novam proponit methodum innumerabiles aequationes differentiales secundi gradus reducendi ad aequationes differentiales primi gradus. Consistit ea in idonea substitutione quantitatum exponentialium pro indeterminatis. Hoc enim artificio eas reducit ad alias secundi gradus, in quibus, vel utraque, vel saltem alterutra, indeterminata deficit: quas deinde per methodos, Geometris jam exploratas, ad differentiales aequationes primi gradus reducere licet. *Leutmannus* explicat, quomodo theoria de pondere argenti cupro mixti investigando

ad

ad praxin deduci poſſit ope ſuæ bilancis, quam a loco inventionis *Petersburgicam* appellat, & in Tomo II Commentariorum deſcripſit. Singularibus exemplis praxin confirmat, monſtrato uſu in nummis argenteis examinandis, præſertim antiquis e Muſeo Imperatorio. Conſtat, tubos ſclopetorum cochleis intus excavari, ut globus quoad directionem a recta parum deflectat, quoad vim corpus reſiſtens fortius feriat. Ut finis obtineatur, neceſſe eſt, helices æquabili plane gyro tubo induci, gyrumque exacte parallelum ſervare. Docet itaque *Leutmannus*, quomodo ſulci cochleati ad datam diſtantiam tubis ſclopetorum recte inducantur. *Goldbachius* tandem de terminis generalibus ſerierum agit. Intelligit autem per terminum generalem ſeriei formulam, quæ per quantitatem quandam variabilem X, æqualem exponenti termini quæſiti, exhibet ipſum terminum quæſitum ſeriei, ut, ſi terminus generalis ſit X^2+X+1, & quæratur terminus decimus ſeriei, habebitur $100+10+1=$ termino quæſito 111. Uſum ejus præcipuum eſſe monet in interpolandis ſerierum terminis, ſive in exprimendis per ſeriem terminorum valoribus, qui exponenti cuivis non integro reſpondent.

In *Claſſe Phyſica* monſtrum Caſanenſe & Petropolitanum deſcribit *Duvernoi*. Illud erat monocephalum bicorporeum. Caput duabus cervicibus inſidebat, vultus verſus humerum proſpiciebat, duæ conſpiciebantur auriculæ in ſitu ordinario, duæ in occipite, ſed mutuo coalitæ & cœcæ, in medio ventre perfecta concretio pectorum apparebat, & in imo ventre conſimilis junctio obſervabatur ad umbilicum uſque. Hoc erat bicephalo-monocorporeum, in quo defectuum exceſſuumque admirabilis permixtio oculos ſpectantium animumque haud parum afficiebat. Utrumque cultro Anatomico ſubjecit, & ad ſtructuram internam ſpectantia annotavit, ex quibus haud obſcure colligitur, monſtra iſta generata fuiſſe ex concretione duorum fœtuum in unum. *Bülffingerus* Diſſertationem de Thermometris, eorumque emendatione conſcripſit, quæ hic legitur. Id autem potiſſimum agit, ut oſtendat, quomodo Thermometrum *Drebbelianum* ope barometri ad eum ſtatum reducat,

ducat, quo calor hodiernus ad hesternum, vel alium quemcunque, referri potest, ut recta ad rectam. Jubet nimirum tu- TAB. VI Fig. 6. bum tenuem & phiala instructum *A B C D* dividi in partes capacitate æquales, & cum capacitate phialæ comparatas: quod quomodo fieri possit, in adjecta nota declarat. Ex *A* in *B* esse debet aer, sed in *B b* Mercurius, in *b* per *c* usque ad *D* aer, cum atmosphæra communicans. Jam, cum supponat, manente eodem impedimento, volumina esse elateribus sensibiliter proportionalia, & elaterem augeri in ratione caloris; effectus dicto modo inter se comparabiles se reperisse confidit, ubi ope barometri effectum a gravitate atmosphæræ pendentem separavit ab eo, qui a calore proficiscitur. Ad calculum absque difficultate instituendum demonstrat theorema, effectus caloris esse in ratione composita directa voluminum aeris & gravitatis atmosphæræ. Cum thermometrum Autoris simul manometrum esse videatur; hac data occasione monet, vulgaria manometra hoc laborare defectu, quod lubricus sit transitus a densitate aeris conclusi ad densitatem extremi. Existimat enim, aerem, vaporibus inquinatum, mutare densitatem, cum eadem maneat inclusi, ubi in eodem statu barometrum & thermometrum vulgaria persistunt, vaporibus trans vitrum non patente via. In Supplemento ostendit, quomodo idem instrumentum usui barometrico inservire possit, si Mercurius in situ tubuli horizontali occupat spatium aliquot pollicum. *Daniel Bernoulli* Dissertationem suam de actione fluidorum in corpora solida & motu solidorum in fluidis continuat. Agit autem de motu corporum horizontali in mediis resistentibus perfecte fluidis, & generales quasdam de resistentia fluidorum commentationes adjicit. *Mery* in Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum Parisinæ asserit, aerem sanguini, pulmones transeunti, misceri. *Bülffingerus* vero ex quibusdam experimentis, ope antliæ pnevmaticæ in pulmonibus a se factis, colligit, aeri in tracheam ingresso, nullas in venam patere vias, neque illum sanguineæ pulmones transeunti massæ permisceri in bullulis; experimenta vero *Meriana* admixtas habuisse bullulas ex accidente, quod & in suis aliquibus factum. Idem *Bülffingerus* experimentis con-

confirmat effectum caloris vel frigoris ſubitaneum in expanſionem, vel contractionem vitrorum. Conſtat nimirum, ſi bullula vitrea thermometri Florentini immergatur aquæ calidiori, primo inſtanti deſcendere in tubulo liquorem, & deinceps demum adſcendere. Illud phænomenon ex aucta vitri capacitate deduci ſolet. Atque hanc cauſam genuinam tuetur experimentator. *Gmelin* deſcribit radios articulatos lapideos, quos in confiniis templi cujusdam Finnici prope pagum *Slowianka*, 29 leuc. Ruſſ. Petropoli diſtantem, reperit. Iſtiusmodi radios quoque exhibet *Volkmannus* in Sileſia ſubterranea, itidemque *Helwingius* in Lithographia Angerburgica. *Buxbaumius* docet, multos fungos propagari per radices, atque adeo eſſe plantas perennes. Idem deſcribit periclymenum humile Norwegicum, & Obſervationes nonnullas circa quasdam plantas Ingricas communicat. Tandem Obſervationes quasdam Anatomicas excipiunt Diſquiſitiones Phyſicæ de Tubulis Capillaribus, a *Jacobo Jurino* ad Academiam transmiſſæ, ut ejusdem Commentariis insererentur. *Bülffingerus* nimirum, cum in Tomo ſecundo ſententiam de hypotheſibus, quibus adſcenſus ſpontaneus fluidorum in Tubulis Capillaribus explicatur, diceret; ſuam quoque de *Juriniana* ferebat ſententiam. *Jurinus* itaque ſuas eidem opponit exceptiones, ad quas in Notis adjectis reſpondet *Bülffingerus*. Inter Obſervationes Aſtronomicas primo loco occurrunt Obſervationes eclipſium Satellitum Jovis A. 1729, 1730 & 1731, a Cl. de *L'Isle* factæ ope teleſcopii Anglicani catadioptrici. Speculum ejus metallicum majus diametrum fere quinque cum dimidio digitorum habet, & focus quatuor pedibus, decem digitis pedis Pariſ. diſtat. Lens ocularis vitrea quoad focum quartam digiti partem non ſuperat, ita, ut teleſcopium res objectas ducenties, & quod excurrit, augeat. Sæpiſſime Jovi integram ſpeculi majoris aperturam conceſſit & percepit, quod intimus Jovis ſatelles ſpatio quartæ partis unius minuti primi circiter prius emerſerit in hoc teleſcopio, quam in alio communi 13 vel 15 pedum longitudine. Secus accidit in immerſionibus, quas 15 minutorum ſecundorum ſpatio & amplius tubo hoc reflectente proſequi poterat, cum in teleſcopiis ceteris eas videre non amplius poſſet. Simile

ſimile propemodum ipſi evenit in Obſervatione eclipſeos ſatellitis ſecundi; in tertio autem differentiam longe majorem adeſſe animadvertit. Frater ejusdem exhibet Obſervationes primi Satellitis Jovis,habitas Archangelopoli, ac inde deducit differentiam longitudinis inter Archangelopolin & Petropolin, octo graduum cum ſemiſſe, differentia horaria minimum exiſtente 34 ſcrupulorum primorum. Idem ex altitudinibus meridianis ſolis atque fixarum determinat latitudines variorum locorum Imperii Ruthenici. Latitudines, quas determinat ex iteratis ſæpius Obſervationibus, ſequenti laterculo incluſas videre licet.

Nomina locorum:	*Latitudo:*		*Nomina locorum:*	*Latitudo:*	
Archangelopolis	64°	34′	Somma	64°	16′
Cola	68	54	Colmogorod	64	15
Kildunum	69	22	Oſtiouga	60	46
Candalax	67	10	Nova Totma	60	9
Koveda	66	43	Vologda	59	20
Kieritte	66	18	Caryapolium	61	29
Kiemi	64	58	Nova Ladoga	60	7

MEDITATIONES THEORETICO-PRACTICÆ de Furore Hæmorrhoidum internarum, methodice conſcriptæ a JUSTO ARNOLDO GULICH, Medicinæ Doctore. Editio altera, priori auctior.

Lugduni Batavorum, apud Conradum Wishoff, 1733. 8 maj. Plag. 14.

Quam olim in Academia Lugdunenſi inauguralem habuit Diſſertationem Cl. Autor, eandem, mutata paulisper forma,quodammodo auctiorem, nunc denuo publicæ luci exponit. Neque nos dubitamus,gratum hoc Opuſculum perque acceptum iis fore,qui Medicinam *Boerhaavianam* amant, veritatesque etiam medicas ex confirmatis principiis demonſtrari,

ri, & concatenata ſerie tradi, cupiunt. Non infelix enim Cl. Autoris in demonſtrando argumento ſuo fuit periculum, quando methodum vere naturalem, quam vulgo Mathematicam vocant, conſectatur, ita tamen, ut, prætermiſſis externis, interiora tantum ejus methodi retinenda putarit. Qua de cauſa, cum ſæpius, demonſtrationis leges expleturus, ad prima cognitionis humanæ principia, Logicas nimirum & Ontologicas doctrinas, recurrere neceſſe habuerit, notiones atque propoſitiones *Wolffianas* ſemper in uſum vocat, hujusque Philoſophiæ præſtantiam, atque in Medicina quoque, ad majorem certitudinem evehenda uſum, novo exemplo oſtendit. Quas vero ab aliis mutuatur experientias, propoſitionesque medicas, jam ſatis demonſtratas, eas tantum non omnes Illuſtri debet *Boerhaavio*, cujus etiam libros frequenter allegat. Et, quanquam, ne quid jam de medicationis ratione dicamus, in qua omnino non cum Autore peræque conſentimus, adverſus nonnulla ipſius demonſtrationis momenta cenſor aliquantum acrior quædam moniturus eſſet, hæc tamen ipſe prævidit ſatis, atque propterea ab idoneis atque ſinceris rerum æſtimatoribus veniam ſibi pollicetur, quod rigori ſeveræ demonſtrationis non in omnibus exacte ſatisfecerit; quam, iniquus admodum eſſet, qui non ipſi impertiretur. Utinam vero plures ejus imitarentur diligentiam, eoque conjunctis viribus laborarent, quo Medicina, in ſalutem hominum nata, definitionibus vagis & non determinatis, experientiis dubiis, ſi non plane falſis, propoſitionibus incertis, nec demonſtratis, parum præterea inter ſe cohærentibus, tandem aliquando liberaretur. Sed videamus argumentum ipſius libelli, *quinque Capitibus* circumſcripti. *Primum* eorum hiſtoriam morbi ſiſtit, omnia nimirum morbi naſcentis perfectique ſymptomata, obſervationes in cadaveribus eo demortuorum, quæve ſalutaria in eo, & quæ exitioſa eſſe ſolent. Quorum omnium cauſas perquiſiturus, methodo analytica procedit, ſecundum quam effectus, ſive phænomena, aſſumuntur, ex quibus, cum aliis veritatibus, in ſubſidium vocatis, ſi phænomena ſola non ſufficerent, in cauſas horum effectuum inquiritur, ac proinde *Cap. 2*, quod Ætiologicum

 inſcri-

Digitized by Google

inſcribitur, demonſtraturus, quidnam ſit illud, quod contineat rationem ſufficientem, cur phænomena ad actum deducantur, cum hæc ſola non ſuffecerint, opus eſſe exiſtimavit, ut principia adhuc alia in medium advocentur, definitiones nimirum, axiomata, experientiæ indubitatæ, propoſitionesque ab aliis jam demonſtratæ, eoque conſilio varia ex Phyſica, Matheſi, Logica, Metaphyſica, Philoſophia etiam Morali, & Medicina, repetit, ex iisque, convenienter connexis, theoriam morbi explanat. Nemo, ut opinamur, rerum intelligens, id a nobis requiret, ut ex his, perpetuo nexu inter ſe colligatis, & ſtrictius propoſitis, nonnulla excerpamus. Summa tamen omnium eo redit. Quando in ſubjectis ſtrictioris corporis habitus, fluxus hæmorrhoidalis internus inſtat, primum oritur in vaſis aliqua obſtructio, præcipue extremis arteriæ hæmorrhoidalis internæ finibus. Quoniam, nata hac obſtructione, præſenteque reniſu, vis cordis, ſanguinem projiciens, ſtatim major non fit, hinc eadem ab initio ſenſim minor; hinc ſyſtole & diaſtole arteriarum, atque pulſus etiam debilior redditur, vis vitæ magis minuitur, atque, depreſſa ea, calor etiam decreſcit, & extrema refrigeſcunt. Propter hanc refrigerationem ſanguis arterioſus & venoſus circa cor accumulatur; unde vis cordis, adeoque etiam vis vitæ, antea jam depreſſa, magis adhuc minuitur. Inde pulſus arteriarum crebrius intermittit, debilitasque & gravitas magis perſentiſcitur; &, quoniam pulſus arteriarum crebrius per totum corpus intermittit, inde æger ſæpius tremorem ſentit; &, quoniam ſimul friget, frigus vero cum tremore junctum horripilationem abſolvit, hinc horripilatione infeſtatur. Quoniam per congeſtiones ſanguinis ad cor hoc ipſum ad crebriores motus irritatur, hinc pulſus deinceps celerior obſervatur, & in febrem incidit ægrotus. Cum vero hac ratione ſanguis majori impetu ad arterias cerebri, minus reſiſtentes, propulſetur, is liquidum nerveum in cerebro ſecretum per nervos cardiacos majori vi in cor urgendo, fortiorem cordis ſyſtolen, pulſumque majorem, debiliori ſuccedentem, & vim vitæ ante depreſſam ſenſim reſuſcitat. Et, quoniam vis vitæ reſurgit, etiam frigori ſenſim

ſim imminuto calor ſuccedit, eandemque ob cauſam ſanguis etiam celerius movetur, hincque vis vitæ magis adhuc augetur, atque ob hanc cauſam iterum celeritas ſanguinis ſucceſſive intenditur, tum in toto corpore, tum inprimis per vaſa extremis arteriæ hæmorrhoidalis internæ finibus obſtructis vicina, hincque etiam calor tum in toto corpore, tum præcipue circa os ſacrum & in ano augeri debet. Quoniam ſanguis contra tubulos obſtructos majori celeritate, hinc & majori impetu impingit, exinde in ano levis dolor, ſive pruritus ſentitur, & a perpetua hac irritatione teneſmus oritur, impetusque ſanguinis, quo fertur ad hæc vaſa obſtructa, naturalem excedit, pulſusque pedetentim fit fortior & velocior. Inde inteſtinum rectum inflammari debet, & febricula abit in febrem inflammatoriam. Inflammatio enim Noſtro appellatur obſtructio canalis convergentis circa finem, cum impetu ſanguinis arterioſi rubri in canalem obſtructum, naturali majore. Et, quoniam rectum & colon ab una eademque arteria, nempe meſenterica inferiori, arterias ſuas recipiunt, inflammatio quoque per magnam coli partem proſerpit. Quoniam in parte inflammata rubor eſt & pulſatio, hinc inteſtina dicta rubra ſæpius poſt mortem comparuerunt, & pulſatio circa os ſacrum percipi ſolet. Quia, quo magis in febribus inflammatoriis vis vitæ increſcit, ſanguis ad ſubeundum coagulum proclivis, ſive, ut Noſtri verbis utar, compingibilis & concreſcibilis, eo viſcoſior evadit, patet ratio, quare ſanguis, ejusque ſerum, in hoc morbi ſtadio eam indolem induat, ut e vena miſſum, duram, craſſam, rigidamque pellem effingat. Quia pulſus in arteria durus eſt, in quam e corde ſanguis inflammatorius magna vi evibratur, in hoc morbo pulſus major & fortior in durum tandem degenerat. Ob auctam quoque vim vitæ calor in toto corpore in æſtum tranſit. Ob auctam vero ſimul inflammationem circa os ſacrum magis ſentiri ſolet, ubi pruritus quoque in acutiſſimum fixum & ardentem dolorem mutatur. Quoniam vis vitæ aſſiduo augetur, hinc urina ſenſim parcior, acrior, rubicundior, fœtidior, redditur, ſitis etiam augetur. Ob inflammationem cavitas duorum inteſtinorum inſigniter minuitur.

nuitur. Et, quoniam ob eandem inflammationem secretio muci intestinalis impeditur, hinc excrementa exsiccantur & indurantur, alvus obstruitur, fecibusque & flatibus exitus praecluditur. Quia musculi abdominis convelluntur, intestinum vero rectum fortiter constringitur, ut nec fecibus, nec flatibus, exitus pateat, contenta intestinorum, quae a superioribus ad inferiora progredi debebant, jam ab imis versus summa retrogrado motu moventur, hinc borborygmi & tormina oriuntur, & tandem, ubi exitum superne non inveniunt, vomitus, ructusque. Ob auctum dolorem sitimque vigiliae perpetuae affligunt. Cum ob tractum arteriolarum, membranae tympani inservientium, circa centrum insertum dilatatio ab impetu sanguinis vi irruentis, circa centrum omnium maxime vigeat, consequens est, ut manubrio mallei, cum eodem centro arcte cohaerenti, sub quavis arteriae diastole tremor sonorus imprimatur, per reliqua auditus officula in scalam vestibuli, indeque ope chordularum in concentum harmonicum tensarum, ad sensorium commune deferendus. Et, quia systole atque diastole arteriarum in membrana tympani celeriter se invicem excipit, etiam compressioni aeris in tympano subita ejus expansio succedit. Sed, si aer compressus subito expanditur, iterum comprimitur, iterumque expanditur, motus ejusdem oritur tremulus, hic vero constituit sonum. Ergo in aegroto nostro sonus nascitur, qui per foramen rotundum in scalam tympani delatus, & cum priori, in scalam vestibuli delato, confusus, sensorio communi tinnientem fremitum offert. Ob crebriorem vomitum vertigo etiam accedit. Et, quia aeger objecta videt in gyrum rotari, quae immota quiescunt, & sonum audit, extra aures suas non existentem, in eodem perceptiones generantur, quibus objecta externa non respondent, indeque judicia & ratiocinia nectit, quae objectis externis pariter non respondent. Hinc delirare dicitur. Quae tamen causa, a vertigine & sono aurium repetita, an sufficiat generando delirio, nos quidem neutiquam videmus. *Caput III*, semioticum, signa expromit, ex quibus morbus praesens cognoscitur, tum & futura ejus resolutio, gangraena, suppuratio, scirrhus, cancer & carcinoma, phre-

Digitized by Google

phrenitis & apoplexia, & ex his mors, præsagiri queat. *Caput IV*, Therapevticum, tam contra obstructionem, quam contra auctum sanguinis impetum, pugnandum esse, præcipit. Hinc 1) impetum sanguinis ita moderari decet, ut naturalem non multum excedat, atque eundem 2) infra naturalem minuere necesse est, ubi signa phrenitidis, vel apoplexiæ futuræ, vel jam præsentis, adsint; 3) si inflammatio adhuc est recens, expedit etiam, impetum sanguinis infra sanitatem subito deprimere. Et 4) Obstructio & auctus sanguinis impetus simul tollantur, nec licet horum alterutrum tantum auferre, intacto altero. Quæ qua ratione perficienda esse putet, fusius persequitur. Totam autem medendi methodum ipse brevissime p. 187 contraxit, quæ, ipsius Autoris verbis repetita, hoc modo se habet: *Sumo ægrum, qualem phænomenographia exhibet. Huic 1) ante omnia legitimo modo mittatur sanguis; tum 2) sedeat in aere humido & subfrigido reddito, quietus, &, quamdiu fieri potest, erectus, artubus interea, si opus id fuerit, leviter ligatis; 3) ter de die sedeat per semihoram nudatis clunibus in sella, ad modum latrinæ perforata, cui suppositum est vas capaciusculum, ut vapor lata superficie exhalare queat, repletum decocto ex aqua & mollientibus parato, & cum subquadrupla aceti calidi portione mixto, cujus vapor exhalans ad nudatos clunes accedat, ut extremum intestini recti inflammatum successive laxetur, &, inflammatione resoluta, minus constrictum eidem vapori etiam ad reliquam partem inflammatam ad eundem ibi effectum præstandum accessum concedat; 4) si, sanguinem nimio impetu gaudere, ex signis nimis auctis deprehenditur, fiat eodem tempore pediluvium ex eodem decocto, cujus vapor simul accedat ad totum corpus nudatum, ut vasis laxatis per oscula venarum absorbentium in superficie epidermidis bibula ipsi sanguini communicatus sanguinem viscosum diluat, & specifice graviori aquosiorem substituat. Ut igitur omnis vapor corpori applicatus retineatur, corpus linteo cerato ita tegatur, ut corpus ægri cum sella, cui insidet, & utroque vase intra idem linteum hæreat, nec extra illud, nisi caput, emineat. Attamen 5) idem*

vapor,

vapor, vel ei similis, inspiretur, mediante infundibulo, clausis naribus in pulmones, ut vasa ibidem relaxet, & per radiculas venæ pulmonalis in cavas bronchiorum vesiculas patentes absorptus sanguini admisceatur; 6) intermedio tempore utatur somno, quamdiu possibile est, protracto, cibo, potu, utroque sæpius, & pauca copia simul, ne magna quantitate assumti, febrim augeant, sed parva sanguini admixti connubium ejus felicius ineant. Medicamenta vero propinentur ex iisdem, ut vasa laxentur, & sanguis viscosus diluatur & resolvatur. Symptomata, si qua urgent, paricular iter curanda sunt. Atque horum compescendorum rationem *Caput* denique *quintum*, palliativum, indicat. Affectus animi igitur vel ratiocinando, vel animum ægroti divertendo, vel somno, per opiata prudenter excitato, sopiantur. Dolori occurritur per remedia diluentia, lubricantia, emollientia, evacuantia, præcipue balneum vaporis, aut cataplasma ex herbis emollientissimis in lacte coctis, cui insidet ægrotus, vel venæsectionem, vel opiata interna. Ad vomitum compescendum itidem opiata exhibeantur. Siti medetur omnis ea curandi ratio superius ex Autore adducta, inprimis potus, & balneum vaporis. Ad vigilias eadem remedia prosunt, quæ sitim exstinguunt, dolorem mitigant, affectus animi sedant, vomitum compescunt, & impetum humorum a cerebro avertunt. Denique cautiones quasdam de recto opiatorum usu subnectit. De inflammatione autem in suppurationem versa nihil Autor commemorat, quod de hæmorrhoidibus furentibus tantum tractare instituit. Si vero hæmorrhois furens in suppuratam abiit, non amplius furit, adeoque ad hanc Commentationem non pertinet.

COMMERCIUM LITERARIUM, AD REI MEDICÆ & Scientiæ Naturalis incrementum institutum, quo, quicquid novissime observatum, agitatum, scriptum, vel peractum est, succincte dilucideque exponitur.

Norim-



Digitized by Google

Norimbergæ, ſumtibus Societatis, 1731 & 1732, 4.
Alph. 3, Tabb. æn. 3.

Quanquam de utiliſſimi hujus Commercii conſultationibus, & Semeſtri priori A. 1731, jam tum in his *Actis* noſtris partim *Menſe Januario*, partim *Decembri* ejusdem *Anni* nonnulla commemoravimus; non ingratum tamen Lectoribus fore putamus, ſi, cum reliquis, quæ per alterum Semeſtre, annumque proxime conſecutum, prodierunt, prius etiam Semeſtre nova nunc opera recognoſcatur. Tantum vero abeſt, ut, quæ olim de inſtituti hujus conditione & ſcopo, omnibusque, quæ ad intelligendas ejus rationes pertinent, quantum ſatis erat, retulimus, non ſine tædio repetere nobis ſit animus, ut potius, momenta quædam præſtantiora ex eodem expromere, conſtitutum habeamus. Tria vero cumprimis inibi aguntur, ut cum nova, quæ ad res Medicas, Phyſicas, & Technicas, viroſque iis ſcientiis cumprimis deditos, aliquo modo attinent, enarrentur, tum ejusdem argumenti Librorum & Diſſertationum Academicarum conſpectus & ſumma exhibeatur, denique variæ Obſervationes Medicæ & Phyſicæ afferantur. De illis nihil jam dicemus, quoniam plerorumque librorum mentio in his Commentariis noſtris jam extat; neque etiam de iſtis, quoniam nunc novitatis gratiam exuiſſe videntur, & fortaſſis aliunde jam conſtant, neque in tanta etiam copia commode aliquis ſelectus habetur. Has itaque ſolas brevibus indicare operæ pretium erit. Anni itaque prioris digniores has notamus Obſervationes ex Hiſtoria naturali, de experimentis, quibus pulverem pyrophorum, alias phosphorum *Hombergii* dictum, eadem ratione igneſcere, qua calx viva madefacta incaleſcit, luculenter evincitur *p. 213*, de mirabili fulminis effectu *p. 258*, de inſolita erucarum ex luteo virideſcentium multitudine *p. 265*, de duobus phænomenis lunaribus, hoc anno obſervatis, ut & de acus magneticæ declinatione, præſenti anno immutata, *p. 308 ſeq.* de adamantibus Weſtphalenſibus, & terra bituminoſa tractus Hanoverani, *p. 315*, de Halone Solis *p. 325*, de turfis *p. 348*, de aurora boreali *p. 353, 365, 386, 403*; ex Botanica,

de pſeudoorchide & dracunculo paluſtri, ſive radice arundinacea *Plinii*, *p. 60*, de aloe Africana cauleſcente perfoliata, glauca, & non ſpinoſa, *p. 91*, de morſu ranæ Dod. & Stratiot. aquat. Lugd. *p. 164*, de Cereo peruviano in Conſult. *p. 14*, & in Commerc. *p. 202* & *393*, de Androſace alpina minima *p. 380*, de Xeranthemo Valeſiaco fl. clauſo *p. 395*; ex Anatomia, de tegumento peculiari membranæ tympani fœtuum *p. 13*, de ovario novo Nabothiano *ib.* de methodo præparata Anatomica in liquoribus aſſervandi *p. 68*, de tribus fœtibus leporinis extra uterum repertis, ſine ulla connexione membranarum, & funiculi umbilicalis veſtigiis, *p. 211*, de nervorum quorundam ſitu, eorundemque mutuo nexu, *p. 234*, de anatome gemellorum, anteriori corporum parte concretorum, *p. 337*; e Phyſiologia, de experimento fortuito duplici, ortum pinguedinis & œdematis illuſtraturo, *p. 35*, de partu trigeminorum *p. 117*, de habitu caſtratorum *p. 236*, de graviditate putatitia *p. 241*, de fœmina per integrum luſtrum adhuc gravida *p. 316*, de digeſtione ventriculi ſucco quodam diſſolvente abſoluta *p. 323*; ex materia Medica, de olei Cajeput hiſtoria & viribus *p. 3*, de aquarum ſalubrium Heilsbronnenſium effectu *p. 99*, de effectu medicinæ cujusdam antipodagricæ *p. 172, 179*, de *Dippelii* medicina lithontriptica *p. 179*, de ſale amaro fontis, cui nomen eſt *Wilhelms Glücks-Brunnen*, alioque fonte vicino, *p. 250*, de uſu ſedativi liquoris antiſpaſtici & confortativi a *Carlio* inventi, & uſu pilularum polychreſtarum in pulveribus, pulvere antiquartanario *Mederi*, *p. 257*, de effectu Solani furioſi *S. Belladonnæ p. 332*, de effectibus herbæ Solani officinarum acinis nigricantibus in cibum incaute aſſumtæ *p. 372*, de Mercurii dulcis efficacia & uſu *p. 410*; e Chymia, de oleo Talci vero *p. 21*, & animadverſione in hanc Obſervationem *p. 84*, ejusque dilucidatione *p. 273* & *387*, de regulo antimonii medicinali compendioſiſſime parando *p. 74*, de monitis ad hanc Obſervationem *p. 132*, de reguli antimonii medicinalis, ejusque tincturæ, uſu, *p. 233, 306*, de novo phoſphoro *Morini p. 242, 282*, de uſu tincturæ ſulphuris, & de ſulphure *Gmelini p. 305*, de tinctura antimonii ex tempore conficienda *p. 322*, de ſpiritu & ſale ex anthropentero *p. 324*, de binis exemplis, transmutationis metallo-

tallorum poſſibilitatem confirmantibus, *p. 339, 348*, de antihectico poterii albiſſimo *p. 355*; ex Pathologia, de epilepſia morſu propagata, *p. 29*, de hæmorrhagia narium menſtrua, partu tandem emendata, *p. 59*, de polypoſo concreto in vena iliaca dextra, œdematis cauſa, *p. 75*, de carbonum exhalationibus noxiis *p. 108*, de morbo intricato, dolorificis ſymptomatibus complicato, cum hiſtoria ſectionis, a morte inſtitutæ, *p. 125*, de fœtu ſeptem menſium avtochire, *p. 155*, de cordis mala confirmatione in puella, frigoris vehementia exſtincta, *p. 188*, de varicibus *p. 196*, de urina verminoſa *p. 211*, de effectibus ſpiritus vini nimium aſſumti, *p. 218*, de nimia abſtinentia ab omni alimento humido, durante graviditate, *p. 222*, de rhevmatiſmo brevi tempore ſublato, enatis puſtulis, ſero acri repletis, *p. 245*, de peculiari morbo epidemico Uffenheimenſi, *p. 265*, de hæmorrhagia enormi dentium *p. 266*, de febribus pleuriticis, & intermittentibus epidemicis, *p. 281*, de utero oſſeam naturam adepto, item pilis repleto, *p. 238*, de ægro cataleptico-paralytico, ejusque anatome, *p. 330*, de morſu canis rabidi *p. 356*, de anatome juvenis phthiſi exſtincti, & exemplo infelicis venæſectionis, *p. 366*, de puero cataleptico ex vermibus, *p. 385*, de tremore peculiari totius corporis *p. 395*, de calculoſis concretionibus, per alvum excretis, *p. 401*; ex Therapia, de optimo & probatiſſimo præſervativo a lipothymiis, quæ a venæſectione oriri ſolent, *p. 149*, de cura aſthmatis peculiaris *p. 347*; ex Chirurgia, de excreſcentia ſquamoſo-carnoſa ex ulcere dyſenterico in inteſtino recto *p. 28*, de ulcere ſcirrhoſo in pudendis fœminæ cujusdam feliciter curato *p. 43*, de miranda vulneratione a tormenti manuarii improviſa exploſione *p. 219*, de fœtu perfecto mortuo, in partu caput & brachium dextrum antevertente, *p. 252*, de cura vulnerati per medium ſternum, & de ſectione cujusdam fœminæ, quæ unica percuſſione, ſuper coſtas recepta, illico exſpiravit, *p. 281*, de fiſtulæ in collo curatione *p. 305*, de cura veſicæ urinariæ in fundo vulneratæ *p. 323*, de polypo narium *p. 355*, de infelici eventu curationis ſympatheticæ, in hernia ſcrotali tentatæ, *p. 356*. Itidem vero poſterioris Anni variæ exſtant, eædemque commemorabiles, Obſervationes, & quidem ex Hiſtoria naturali, de tempeſtatibus ſingulorum menſium A. 1732, Autore *Doppel-*

maiere, ad finem cujusvis menſis relatæ, de anatome & ſtructura vegetabilium *p. 73* & *268*, de frigore hiemis A. 1731 *p. 137*, plantis ſanguiſugis *p. 161*, de corona lunari *p. 185*, de arboribus annoſis *p. 211*, de terræ motu Parmenſi *p. 226*, de meteoro quodam *p. 289*, de ebore foſſili vero *p. 405*, de teredine marina Belgica *p. 409*; ex Botanica, de Aloe Americana Juccæ folio *Commelini p. 65*, de Saxifraga Alpina habitu Androſaces villoſæ *p. 96*, de Veronica Alpina Bugulæ facie, calice villoſo, *p. 390*; ex Anatomia, de variis rebus Anatomicis *p. 259*, de ovario novo Nabothiano *p. 284*; ex Phyſiologia, de puella recens nata, menſium fluori obnoxia, *p. 84*, de partu gemellorum inæqualis perfectionis *p. 123*, de fœtu vivo poſt alium mortuum quarto die excluſo *p. 165*, de dentibus renaſcentibus, & menſibus in vetulis, *p. 211*, de partu gemellorum diverſo tempore ſubſecuto *p. 211* & *276*, de hermaphroditis *p. 283*, de quinquagenaria gemellas parturiente *p. 307*; ex materia medica, de analepticis euporiſtis *p. 50*, de ambræ gryſeæ ortu *p. 116*, *293*, de experimentis cum ſucco Belladonnæ *p. 121*, de antipodagricis & anthartriticis *p. 133*, de Antimonii crudi uſu interno *p. 179*, de Mercurii ſublimati efficacia in movenda ſalivatione *p. 245*, de antihydropicis *p. 322*; e Chymia, de oleo Talci *p. 35* & *370*, de eodem oleo Anglic. *p. 355*, de tinctura antimonii *Schneideri p. 100*, *307* & *315*, de methodo præparandi ſperma antimonii & turpethum minerale *p. 115*, de ſpiritu ardente ex lacte equorum *p. 162*, de tinctura magneſiæ Opalinæ *p. 178* & *195*, de phoſphoro *p. 189*, de tinctura coralliorum dulci *p. 234*, de eadem perlata *p. 20* & *370*, de cadmia foſſili *p. 297*, de ſalis communis diverſitate *ibid.* de ferro ex carbonibus foſſilibus parando *p. 298*, de gypſo ex glacie Mariæ parando, & ad infuſiones Anatomicas adhibendo *ibid.* de vitriolo antepileptico *Stifferi p. 334*, de menſtruo Beeriano & Agricolæ *p. 372*; ex Pathologia, de morbis epidemicis Coburgenſibus & Norimbergenſibus variis locis, de ægroto ex colica & cephalalgia ſubito cœco facto, atque curato, *p. 10*, de febre epidemica quartana hyemis A. 1730 *p. 29*, de ſudore particulari, mediam abdominis regionem inſtar zonæ ad palmæ latitudinem perfundente, *p. 43*, de morbis epidemicis Neoſtadii ad Ayſſum *p. 52*, de aſthmatica ab aere frigido ſuffocata *p.*

63,

Digitized by Google

63, de pinguedine in ventriculo a potu frigido congrumata *p. 65*, de exulceratione veſicæ urinariæ & uteri *p. 69*, de Vampyriſmo *p. 82, 139, 170, 219, 234, 250, 291*, de fœtus monſtroſi a placentæ uterinæ ſcirrhecentia præmatura excluſione, ſive abortu, *p. 155*, de fluxu aquarum in gravidis *p. 182*, de febribus epidemicis Jenenſibus *p. 162* & *299*, item Iſenacenſibus *p. 193*, de morbo quodam epidemico Uffenheimenſi *p. 204*, de fœmina aquis ſuffocata *p. 206*, de ſceleto fœtus viis inſolitis excluſo, & morbillis, Guelpherbyti epidemice graſſantibus, *p. 212*, de febre purpurata epidemica Kauſſbyriana *p. 332*, de acu incurvata ex improviſo ſine ullo inde ſecuto damno deglutita *p. 228*, de ſectione in corpore Sereniſſimi Ducis Solisbaco Palatini inſtituta *p. 276*, de labio leporino *p. 242*, de nævis maternis, & gravidarum imaginationis vi, *p. 298*, de hæmorrhagiis vetularum ex neglecta venæſectione *p. 324*, de cauſa cœcitatis fixæ, & periodicæ, ut & viſus dimidiati, *p. 333*, de morte ſubita ex alapa inflicta *p. 340*, de apoplexia febribus intermittentibus ſenum ſuperveniente, & apoplexiis in genere, *p. 345*, de phthiſicorum urina *p. 346*, de morte ſubitanea ex aperta per inciſionem paronychia ſuppurata *p. 347*, de cauſa plicæ Polonicæ *p. 363*, de nephrithide, morbo endemio Viennenſi, & fiſtula renali, *p. 364*, de tremore totius corporis univerſali ex febre male curata *p. 365*, de morbo ſpaſmodico & convulſivo cum deliriis & veternoſitate ex inordinato fluxu menſium *p. 373*, de calculo ſublingueli *p. 386*, de cauſis epilepſiæ *p. 416*; ex Therapia, de ſcabiei humidæ curatione a potu Thee nimio impedita, *p. 11*, de cura lactea, & podagricis hæreditariis ſiniſtre & dextre tractatis, *p. 28*, de quartanarii, incongrue tractati, morte *p. 30*, de damnis pellentium in partu difficili *p. 78*, de ſpontanea ſanguinis ventilatione *p. 137*, de podagræ cura *p. 244*; ex Chirurgia, de horrenda & lethali calvariæ fiſſura ſalvis ad ſenſum capitis integumentis *p. 269*, de ſphacelo inteſtini coli per abſciſſionem curato *p. 364*. Ne vero plane ἀσύμβολοι hinc diſcedamus, nonnulla ſpeciminis loco afferre placet. In prioris Anni Semeſtri primo *p. 4*, ex fide Viri cujusdam honeſti, & in India Orientali per aliquot annos verſati, de oleo Cajeputi refertur, derivari nomen ejus a *Kaie*, quod album, & *Put*, quod lignum ſignificet; deſtil-

ſtatione enim ex tali ligno elici; inventum autem eſſe Germani cujusdam, *Wittneben* dicti, qui Concionator olim Aulicus Ducis Guelpherbytani, *Rudolphi Auguſti*, fuerit, poſt hujus autem obitum, incertum,quo fato, ad Bataviam Indiæ delatus, ſedem ibi conſtituerit, viri integerrimi, rerumque Phyſicarum & Chymicarum ſtudioſiſſimi, quique cum viris eruditis per omnem Indiam atque Chinam commercium literarum frequentiſſimum colat. Quæ ſi ita ſe habent, refellitur vulgaris noſtratium perſuaſio, quod ex ſemine oleum hoc fiat, quod alia etiam ex ratione improbabile videtur. Oleum odorem præ ſe fert aromaticum fortem, fragrantem, initio gratum,pedetentim ſubterebinthinatum, tandem ſabinæ digitis contritæ ſimilem, quam diutiſſime durantem. Sapor aromaticus ad roris marini oleum quam proxime accedit,aut ad aromaticum camphoræ oleum, quod e radice cinamomi in India paratur. Limpidum eſt, & aliquantulum ſubflaveſcens, utique in vitro non omnino repleto,nec accurate obturato, diutius ſervatum. Ceterum ſinceri ac genuini olei ea eſt virtus, ut a guttula unica,temporibus illita, morſicatio in oculi cantho interiori lachrymarumque proventus oriatur. Inſignes illas facultates,ab aliis jam collaudatas, utique in eo quærendas eſſe aſſeruit,præterea in ſomno abigendo, ebrietate præcavenda, febribus peſtilentialibus avertendis, lepra Indorum, Lazaryn appellata, quæ generi hominum, quod Meſtices vocatur, propria eſt, percuranda, colica, hydrope, multum collaudavit. Si ſecunda vice vomitu rejiciatur, rem ægroti conclamatam eſſe, Indi exiſtimant. Ex ſua Collegarumque Obſervatione memorat Cl. *Gœzius*, in convulſionibus capitis particularibus, epilepſia vehementiori a morſu canis rabidi, catalepſi, & externe in odontalgia ſeroſa,mirificam virtutem exſeruiſſe. Eodem in Semeſtri traditur Obſervatio Cel. *Schulzii* de regulo antimonii medicinali compendioſiſſime præparando. Scilicet antimonii partes quatuor, tenuiſſime pulveriſatæ, miſceantur, nitri optimi cryſtallini probe depurati, & in pulverem redacti, parti uni. Crucibulo frigido indita hæc mixtura,prunis imponatur. Mox, ubi mediocrem calorem perſenſit,deflagrare incipiet. Sponte deſi-

definente deflagratione, crucibulum jam refrigeratum, frange, & exime materiam pumicis inſtar ſpongioſam, atro-rubentem, fragilem, ac levem, quæque tritura facili in pulverem tenuiſſimum abit; ejus drachmam dimidiam & amplius ſine ullo metu exhibere licet. Si vero, finita deflagratione, materiam igne fortiori ad fluorem urgeas & effundas, minus poroſam, & regulo medicinali ſine ſale communi facto ſimilem, nanciſceris. Eodem Semeſtri *p.52* Cl. *Trew* memorat, ſibi, cum in ovarium Nabothianum inquireret, elegantiſſimum ſulcorum ordinem duplicem in parte poſtica prædictæ cervicis in conſpectum veniſſe, ſic, ut interjecta per medium longitudinis parva quaſi columella ſulci frequenter in utroque latere oblique adſcenderent, prætereaque in ſinu cujusvis plura oſtiola, ſetam facile ad lineam circiter admittentia, apparerent. Atque hæc in omnibus, qui ad manus erant, uteris, in ſpirituoſo liquore aſſervatis, apparebant. Anno autem 1732 *p. 285*, ita idem de his ſulcis: Uterus cingaræ poſt diuturnam in ſpiritu frumenti rectificato macerationem denuo examinatus, tantum quidem expectationi ſatisfecit, quantum ad utrumque columellæ, ſive eminentis lineæ longitudinalis, in parte poſtica cervicis ſitæ, latus complures omnino ſulcos nudo conſpiciendos præbuerat oculo, ex transverſo oblique adſcendentes, ſed qui profunditate pariter, ac longitudine ſua, valde exigui erant, etſi oſtiola ductuum excretoriorum copioſa ſatis paterent. Eodem tempore alius uterus vetulæ ſexagenaria majoris eodem in loco, eademque directione, ſed in ipſo jam recenti ſtatu, tractus ſulcorum, ductuumque excretoriorum hiatus, quam clariſſime oſtentabat. Ipſa horum ductuum ratio ex Figuris erit clarior, quibus autor eosdem illuſtravit, a nobis eam ob cauſam hic repetitis. Sed ſufficiant hæc ſpeciminis loco ex hoc Commercio, quod neminem legiſſe forſan pœnitebit. Varia quidem varii circa hoc inſtitutum monuerunt, quæ Autores ipſi in Præfationibus ſuis paſſim adducunt, atque ita reſpondent, ut vel locum iis relinquant, vel modeſta confutatione ſatisfaciant. Ipſi etiam quam maxime exoptant, ut Viri docti atque experientes ad talia maxime conferenda moveantur, quæ praxi Medicæ

Medicæ lucem clariorem ſubinde affundere queant; deinde ut in commemorandis chronicorum morborum caſibus hiſtoria cujusque morbi cum ſymptomatibus diligentiſſime conſcribatur, utilesque adjungantur indicationes & remedia, atque ea omnia enumerentur, quæ ad cognoſcendum morbum ratio & experientia tribuere valeant; ut vero eadem hæc & alii Medici præſtent, eodemque in caſu, quid ſentiant, quidve conſilii habeant, quidve curationis inſtituendum putent, aperiant, & ad uſus omnia publicos accommodent; tertio ut Medicina & Hiſtoria naturalis Obſervationibus illuſtretur ſolidis atque utilibus, ſive plane novis, ſive olim jam cognitis, at obſoletis, aut perperam deſcriptis, nunc vero correctis; ut nimirum, præter rariora illa, Obſervationes etiam recenſeantur frequentiori experientia confirmatæ, & ſua ſe utilitate commendantes, & in aphoriſmos, vel monita generalia, facile mutandæ. Et, quoniam eorum, quæ mittuntur, numerus quotidie augetur, decretum eſt, ſi ita placeat Lectoribus, per ſingula Trimeſtria, vel Semeſtria, vel quotannis, Supplementorum Tomum addere. Ita in paginis per hebdomadem evulgandis unice, ceteris omiſſis, nova propria exhibebuntur; relationes variæ, utiles quidem per ſe, verum aliis, plus neceſſariis, locum præripientes, vitæque curricula, Tabulæ Meteorologicæ, Obſervationes fuſiores, recenſiones Diariorum, in Supplementa rejicientur, ſimulque etiam tales librorum recenſiones expromentur quæ alias intermittendæ fuerant; nec minus etiam, quæ ad illuſtrandam ſupplendamque Medicinæ & Phyſicæ Hiſtoriam cujuslibet anni poſt longum temporis intervallum ad notitiam ipſorum venient, hac ratione repetentur; ac denique ſpatium ſupererit, pluribus Diariis & novis literariis copioſius recenſendis, ut ita minori temporis, ſumtuum, & laboris, impendio, quicquid ad rem Medicam & Naturalem pertinet, ſimul intelligatur, quam ſi ejus cauſa integræ Ephemerides pervolvendæ eſſent. Quod quidem conſilium æquis Lectoribus maxime probatum iri, plane non dubitamus.

Explicatio Figurarum:

TAB. VI Fig. 1. *Fig. 1* exhibet iconem uteri muliebris in vegeta adhuc ætate conſtitutæ, antica ſua parte longitudinaliter diſſecti, atque in

receu-

recenti suo statu considerati, utpote in quo absterso muco copioso, hic obvio, præter exiguas rimulas, nullæ prorsus conspiciebantur excavationes. In ipsa tamen substantia dissecta hinc inde occurrebant corpuscula globosa solida variæ magnitudinis, *a a* glandulis persimilia.

Fig. 2 uterum pari modo dissectum, sed aliquandiu jam spiritui frumenti rectificato commissum, sistit, qui columellam *b b* & sulcos *c c* eleganti manifestant ordine. TAB. VI Fig. 2.

Fig. 3 alium uterum, eadem ratione præparatum, refert, in quo non solum columella & sulci, verum etiam ductuum ostiola, omnium optime discerni queunt. Fig. 3.

Angenehme, curieuse und nützliche Nachrichten von Physical- und Medicinischen, auch dahin gehörigen Kunst- und Literatur-Geschichten, rc.

h. e.

MISCELLANEORUM PHYSICO - MEDICO - MAthematicorum, editorum a D. ANDREA ELIA BÜCHNERO, Instit. Med. P.P. Facult. Med. Assessore, & S. R. I. Med. Nat. Curios. Collega, integer Annus 1729.

Erffordiæ, apud Carol. Frid. Jungnicol, 1733, 4.
Alph. 4 pl. 8, Tabb. æn. 2.

Cel. *Büchnerus*, cui collatum ex merito, post *B. Ettmülleri* nostri obitum, Actorum Nat. Cur. directorium gratulamur, in his quoque Miscellaneis Physico - Medico - Mathematicis colligendis edendisque strenue pergit, ex quibus, ad A. 1729 spectantibus, aliqua, more nobis recepto, specimina repetere visum est. Inter Observationes Meteorologicas, præter consueta Diaria, tempestatum mutationes indicantia, præ ceteris eminent Observationes Barometricæ, in monte *S. Gothardi*, supremo Europæ apice, institutæ, a Cel. *Scheuchzero* communicatæ, & cum iis, quas Tiguri fecit, per totum annum collatæ; cumque mons hic limitaneus regionum cis, & trans, Alpinarum, imo & ventorum, ac tempestatum, dici mereatur, experimenta, pro

Digitized by Google

vera ejus altitudine determinanda ab eodem suscepta, *p. 46* recensentur. Ab eodem Cel. Viro communicata legitur *p. 43* relatio horrendi terræ motus, in Helvetia Mense Januario contingentis: neque minorem attentionem meretur *p. 479* descriptio tempestatis, Trecentæ in Italia Mense Augusto obortæ, ubi, post fulgura grandinemque insigni copia cœlo delapsam, fumus terra elevatus, atque sub specie ignis volantis per regiones adjacentes dispersus, omnia obvia partim evertit, partim incendio vastavit. Quicquid mutationis in cœlo contigit, ex acutissimorum Astronomorum Observationibus hic relatum legitur, quorsum eclipsis lunæ totalis *p. 103* & *501*, eclipses Satellitum Jovis *p. 368*, parrhelia *p. 201* & *435*, corona lunaris *p. 101*, paraselinæ *p. 102*, iris noctu visa *p. 301*, conjunctio Jovis & Martis *p. 508*, spectant. Cumque his temporibus phænomenon illud, quod auroræ borealis nomine insignitur, frequentius, quam olim, apparuerit, occasione insignis illius, quod d. 16 Nov. conspectum est, *Christfriedi Kirchii*, Astronomi Berolinensis, *Jo. Frid. Weidleri*, Prof. Mathem. Witteb. *Jo. Gottlieb Krausii*, Prof. Histor. Witteb. aliorumque Astronomorum celeberrimorum, accuratæ non solum relationes, sed & doctæ de hujus phænomeni causis disquisitiones, integræ adductæ sunt. Frigus hoc anno insigne variæ testantur undique concurrentes querelæ, hancque hiemem illo, qui A. 1709 frigore omnia adurebat, nihil mitiorem fuisse, Observationes, thermometro utroque anno a Cl. *Jo. Adamo Kulmo* Dantisci factæ, atque hic uno conspectu exhibitæ, comprobant: unde non mirandum, inter morbos, a tempestatis injuriis ortos, varios a frigoris noxa, uti febres catarrhales inflammatorias *p. 37*, hæmorrhagiarum anomalias *p. 152*, similesque, inductos commemorari. Frigore inde remittente, glacieque ac nive copiosa liquatis fluviorum inundationes multis locis novas dedisse turbas, *p. 253* legimus. Inde, procedente æstate, magna cicadarum caterva Silesiam peragravit, ut patet ex *p. 441*. Multæ quoque erucæ, similiaque insecta magnam, agris arboribusque passim noxam intulerunt, quorum tota familia, tempus modusque generationis, varius color & figura, accurate annotata, *p. 624* recensentur. In Botanicis attendenda relatio de diversis arboribus exoticis san-

ſanguinem draconis officinarum exhibentibus, occaſione draconis arboris, Viennæ in Celſiſſimi Principis *Eugenii* horto florentis, compoſita *p.* 445, nec non curioſa Obſervatio de plantis meteorophytis, quæ tempeſtates nunc totius anni, nunc dierum proxime inſequentium, certis ſignis indicare perhibentur *p.* 562. Inprimis vero notabilis viſus eſt naturæ luſus in regno minerali, cujus *p.* 369 mentio injicitur, de ſilice, formam cranii humani exacte referente, ita, ut ſuturæ etiam & foramina, in illis conſpicua, hic appareant, cujus propterea ectypum Lectoribus noſtris exhibere operæ pretium duximus. Fig. IV monſtrat oſſa cranii a latere dextro. A os frontis, B os bregmatis, C os occipitis, D proceſſus mammillaris, E os temporis a naturali ſitu aberrans, F ſutura coronalis, G ſagittalis, H Lambdoidea, I ſquamoſa, K foramen in orbitæ medio, per quod nervus opticus exit, L introitus meatus auditorii, M orbita oculi, N oſſis jugalis pars, O os naſi, P ſinus pro articulatione maxillæ inferioris, Q os quarti paris maxillæ ſuperioris quaſi mutilatæ. Fig. V exhibet cranium vertici incumbens. A os occipitis, B foramen, per quod medulla oblongata cedit in ſpinalem, C pars inferior oſſis temporum, D os baſilare, E E os jugale, quod deficit uſque ad lineam utrinque ductam, F proceſſus mammillaris, G G foramen pro ſinu laterali duræ meningis, H H ſinus oſſis temporum pro articulatione maxillæ inferioris, I I foramen, per quod arteria carotis intrat ſpecum oſſeum. Obſervationum Medico-practicarum magna copia ſingulis Menſibus exhibetur. Præter enim morbos epidemicos, ab aere derivandos, variis in locis annotatos, caſus etiam ſingulares recenſentur rariores, *p.* 53 de mania periodica cum epilepſia & vomitu, *p.* 58 de carcinomate oculi ſectione curato, *p.* 176 de ſudore cadaveris, ejusque cauſis, *p.* 316 de mola glanduloſa membranacea, *p.* 486 de morbis, ex terrore ortis, *p.* 512 de vera tabe dorſali a nimia venere; variæ etiam ſectiones nunc fœtuum monſtroſorum *p.* 116 & 773, nunc morbis defunctorum, ut pleuritici *p.* 49, morte ſubita exſtincti *p.* 775, inſeruntur.

TAB. VI Fig. 4.

Fig. 5

tur. Ut alia nunc silentio prætereamus, quæ Lectoribus non minus jucunda ac utilia fore speramus.

JOANNIS LAURENTII MOSHEMII DISSERTATIONUM sacrarum Syntagma.

Lipsiæ & Gorlizii, apud March, 4. 1733.
Alph. 4 pl. 16.

Cum multæ eruditorum Virorum Dissertationes, variis temporibus scriptæ, peculiaribus Voluminibus comprehensæ fuerint, præsentium quoque Collectio inter eas merito locum habet, quia non celeberrimo solum S. R. Autoris nomine, ac singulari doctrina, se commendant, sed & multis modis emendatæ, nec paucis accessionibus locupletatæ & illustratæ, prodeunt.
Pag. 7-132. Harum *primæ tres* Theologum non contentiosum sistunt, quæ de prudentia in controversiis Theologicis adhibenda, egregias omnino Observationes, circa phrases & locutiones, circa methodum, ac disputandi rationem, circa hæresin, & errores aliis imputandos, complectuntur.
134-332. *Quarta* magni momenti argumentum, prolixe & selecto cum eruditionis apparatu pertractat, nempe de eo, quod justum est circa sacrorum librorum ex profanis Scriptoribus interpretationem & emendationem, cui, præter Supplementa, in nova hac editione Vindiciæ contra malevolos Censores adjectæ sunt.
335-403. *Quinta* recentioris Sociniani, *Artemonii*, seu *Samuelis Crellii*, opinio de raptu Christi in cœlos refellitur, ac in ea varia, tam ad vitam & scripta hujus Adversarii, quam dogma ipsum, pertinentia, adduntur ac confirmantur.
407-514. *Sexta*, de pœnis Hæreticorum, nec ex S. Literis, nec sana ratione, nec antiquis doctoribus, probandis, contra *Stephanum Javorskium*, Archi-Episcopum Rezaniensem & Muromiensem, inclytum inter Ruthenos virum, gravibus ac ponderosis argumentis agit.
520-573. *Septima*, de vi argumenti, quod a tuto ducitur, in controversiis sacris, docte & ingeniose disquirit, idque nihil in hominis intelligentiam, plus voluntatem magis commovendam, ad accuratius examen religionis instituendum, posse asseritur. His
580-620. Dissertationibus S. Rev. Autoris venusta Oratio, de Christo Theo-

Digitized by Google

Theologo unice imitando, cum munus Theologiam publice docendi susciperet, recitata, subjungitur, & finis, per disceptationes *Kingii* & *Moylii*, de legione Fulminatrice, Latine versas, ac Notis stipatas, imponitur. Optamus autem, ut *secunda* ejus Dissertationum Ecclesiasticarum *Pars* lucem adspiciat, qua fusius de controverso admodum hoc miraculo, & ad Christianam religionem firmandam idoneo, commentabitur.

Pag. 623-891.

Kurtze Einleitung zur Wappen-Kunst, &c.

h. e.

BREVIS INTRODUCTIO AD HERALDICAM scientiam, & modum insignia Familiarum Illustrium interpretandi, qua exemplis perspicuis illustrantur omnia, tribusque idiomatibus, vernaculo, Gallico, & Latino, explanantur.

Petropoli, apud Cæsaream Academiam Scientiarum, 1731, 4. Plag. 16½, cum Tabb. æn. 37.

Liber hic, Augustissimi *Petri II*, dum viveret, usibus, quemadmodum ex Dedicatione ad Illustriss. Comitem, *Ernest. Jo. Bironium*, supremum Cubicularium Magnæ Imperatricis Russorum, Ordinumque Andreæ, albæ Aquilæ, & Alexandri, Equitem, præmissa, patet, destinatus, præcepta Heraldices scientiæ generalia complectitur, quæ insignibus rite cognoscendis interpretandisque viam sternunt. Divisus est in *duas Partes*, quarum *prior* undecim, *posterior* duodecim Capitibus constat, tametsi illa una serie omnia connumerantur. Inserendæ suis locis accedunt Tabulæ triginta septem æneæ, quibus uno se obtutu sistit, quod sine plurimis verborum ambagibus describi non potest. Laborem hunc perutilem summa perspicuitas commendat, quæ tanta est, ut tirones etiam, nulla hujus artis notitia imbuti adhuc, præcepta ejus nullo inde negotio haurire possint. Provectiores, præter concinnam, quæ erotematica est, methodum, allicient ad evolvendam hanc Introductionem notæ, quæstionibus subjectæ, quibus fusius nonnulla

& curatius Autor Consultissimus, *Jo. Simon Beckenstein*, J. U. D. persequitur.

NOVA LITERARIA.

Amstelodami in officina *J. Wetstenii & Guil. Smith*, nec non *Janssonio-Waesbergiorum*, primi subsellii librariorum, Opus paratur, omni ex parte illustre & magnificum, rerumque naturalium divitiis instructissimum, de quo satis sit dixisse, simile in hoc doctrinarum genere, sive corticem, sive nucleum spectes, nihil unquam prodiisse. Ejus en rubrum: *Locupletissimi rerum naturalium Thesauri accurata Descriptio, & Iconibus artificiosissimis Expressio, per universam Physices Historiam; Opus, cui, in hoc rerum genere nullum par exstitit. Ex toto terrarum orbe collegit, digessit, descripsit, & depingendum curavit* Albertus Seba, *Etzela-Oostfrisius, Academiæ Cæsareæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curiosorum Collega, Xenocrates dictus, Societatis Regiæ Anglicanæ, & Instituti Bononiensis, Sodalis.* Opus universum *quatuor* constabit *Tomis*, in folio, ut ajunt; quorum *primus* exquisitissimam dabit Collectionem Foliorum, Fructuum, Radicum, &c. arte singulari præparatarum, & in Sceleta redactarum; tum Plantarum peregrinarum, non vulgarium; dein & Animantium rarissimorum, inter quæ eminent cumprimis Volatilia; & præterea Canes, Feles, Glires, Mures, Sciuri, &c. alati; atque Aves, tam Orientalis, quam Occidentalis Indiæ, longe rarissimæ, una cum suis pleræque nidis, mira varietate conspicuis. Accedent & inusitata nobiles pictura Serpentes, Lacertæ, Crocodili, Iguanæ, Chamæleontes, Dracones volantes, Salamandræ, *Gekko* animalia, Glires, Mures, Bufones varii, majores & minores, alienigeni, hosque inter & qui *Pipal* vocantur; Ranæ, partim prægrandes, partim minusculæ, quarum generatio, & inaudita hactenus metamorphosis retrograda e Ranis denuo in Pisces, &c. ad oculum ostendetur. *Tomus secundus* & numero & varietate stupendas comprehendet species Serpentium, Viperarum, Lacertarum, e variis orbis terrarum partibus conquisitas, majores, & mino-

nores, quarum & gignendi modus & Anatome adjungetur. Intermista simul plurima Vegetantia exotica, & multa Lapidum, Animalium, Medicatorum, specimina, &c. jucundum utili ibi pulchre sociabunt. *Tertius Tomus* amplissimas, Maris potissimum, divitias pandet, Conchyliorum nempe, Echinorum, Stellarum, Fruticumque marinorum, Coralliorum, Muscorum, Fucorum, & aliorum, quæ mare profert, spongiosorum corporum, exempla & rarissima & numerosissima. Mineræ dein, nativis gravidæ metallis, hic sistentur pretiosissimæ, & erutorum de telluris gremio Lignorum, atque Conchyliorum, &c. in lapides mutatorum, & Lapidum, tam terrestrium, quam marinorum, species singulares. Ad *quartum* denique *Tomum* reservabitur congeries sane splendidissima Insectorum omnis generis rarissimorum, industria & sumtibus immensis e quibusvis regionibus collectorum, quæ & numero rursum & varietate quemque delectabunt. Singula autem, hactenus recensita, præter alia plurima, quæ speciatim enumerare nimis longum foret, iconibus artificiosissimis, nativam cujusque magnitudinem & habitum exprimentibus, secundum specimina, quæ Autor possidet, accuratissime descriptis & æri incisis, tam vivida ob oculos ponentur, ut vel Celeberrimus in Academia Lugduno-Batava Professor, *Hermannus Boerhaave*, nullum huic Operi unquam hoc in rerum genere par exstitisse, non dedignatus sit publice testari. Quin & sua singulis historia, & quæ de indole eorum, tam propria observatione, quam ex indicio fide dignorum hominum, didicit Autor, nova plurima, scitu dignissima, adjicientur, Latino & Gallico idiomate, in eadem simul pagina, exposita. Ne vero & Belgarum illi, qui neutram harum linguarum callent, incomparabili hocce Opere careant, pauca quædam exemplaria Latino simul & Belgico sermone imprimenda curabuntur. Charta, qua universum Opus typis describetur, Librarii utentur tali, qua non est vel forma major, vel aspectu elegantior; ejusque partim integris, partim dimidiis, ut vocant, foliis Tabulæ constabunt. Textus vero literarum typis selectissimis, & qui oculis sint gratissimi, describetur. Nec eorum

rum porro, quæ Operi exornando requiruntur, quidquam prætermittetur. Editioni maturandæ obſtabit nihil; cum Tabulæ æneæ omnes paratæ ſint, & integer jam Tomus primus prelo exierit. Quod tanto majori his, qui talia amant, incitamento eſſe poterit, ut conditionibus, ſtatim enarrandis, nomina ſubſcribant. Tomus quilibet ultra centum fere continebit Tabulas æneas, cum dimidiis, tum integris, foliis impreſſas; ipſe vero textus quinquaginta circiter philyras implebit. Accedent dein & tituli & ornamenta neceſſaria. In conſtituendo Operi pretio æquitatis ſe ſtudioſiſſimos præbent Bibliopolæ, & unumquemque Tomum, figuris abundantem elegantiſſimis & magnifice exſculptis, *Florenis Belg.* 40 vendent, ſed iis ſaltem, qui nomina ſua dederint intra præfinitum tempus, hacque ſimul conditione ſuperaddita, ſi forte contingat, (uti haud adeo exacte id determinari hactenus poteſt,) tres Tomos poſteriores ſingulos, vel Tabulas æneas, vel philyras, typo literarum impreſſas, aut plures, aut pauciores, continere, quam modo in Tomo primo deſignavimus, pretium modo ſtatutum cujusvis Tomi, plus, aut minus, continentis, ad normam computi, ſupra dati, auctum, vel diminutum iri. Subſcribentes præter *Flor.* 40, pro primo Tomo exſolvendos, inſuper *Flor.* 10 pro ſecuturis ſimul numerabunt; pro reliquorum vero ſingulis deinceps *Flor.* 40 perſolvent, excepto ultimo, a cujus pretio prænumeratis *Flor.* 10 ſubtractis, non niſi *Flor.* 30 ſolvendi ſupererunt. Subſcriptio fieri poterit ad Calendas uſque Septembres hujus Anni 1734, apud celebriores quoscunque, tam in Belgio, quam exteris in regionibus, Bibliopolas, & Lipſiæ quidem apud *Caſparum Fritſchium*, & *Jacobum Schuſterum*. Tomus primus, utpote jam paratus, ſubſcribentibus illico, ſoluto pretio, 50 nimirum *Florenorum*, tradetur: alter vero Cal. Februarii ſequentis Anni 1735, & ſic deinceps eodem menſe, ſingulis annis, unus Tomus certiſſime prodibit. Illi vero, qui nomina ſua non dedere, & tamen poſt tempus, ſubſcriptioni præfinitum, elapſum Opus ſibi comparare volent, pro Opere integro *Flor.* 225, ſive pro ſingulis Tomis *Flor.* 56, absque ulla deductione, numerare tenebuntur.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii Anno MDCCXXXIV.

THESAURUS JURIS ROMANI, CONTInens rariora meliorum Interpretum Opuscula, cum Præfatione EVERARDI OTTONIS, JCti, & Antecessoris. Editio secunda.

Tomi IV.

Trajecti ad Rhenum, apud Jo. Brodelet, 1733, fol. maj. Tom. I Alph. 9 pl. 1, Tom. II Alph. 9 pl. 6, Tom. III Alph. 10 pl. 13½, Tom. IV Alph. 9 pl. 20.

Et olim aliquando ab omnium temporum nationumque JCtis diu expectata, ardentissimisque votis expetita, præstantissimorum quorumcunque, quæ in Juris arte heroes reliquerunt, Opusculorum συλλογή. Et, cum non ita dudum auspiciis & providentia Ill. *Bynckershoeckii*, cura & vigiliis Cl. *Everardi Ottonis*, in vulgus exiret præstans ille Juris Civilis Romani Thesaurus, eo, quo nunquam liber quisquam, plausu exceptus, communia omnium suffragia tulit, adeoque se omnibus probavit, ut a prima Editione ne unum quidem lustrum integrum effluxerit, cum ejus exemplaria in librariorum tabernis nequicquam quæri, &, sicubi offenderentur, immodico pretio venire cœperint. Quæ si ita sunt, quam gratiam ab earum rerum intelligentibus iniisse censendi sunt Viri Clarissimi, & sua quisque laude non defraudandi, quorum non modo consilio, opera, & sumtibus, effectum est, ut

Opus aureum nunc rurſus venale proſtet, ſed qui etiam id ſibi negotium dederunt, ut nova hæc Theſauri ἔκδοσις tam chartæ characterumque nitore priori nihil cederet, quam iis, quibus bonus liber cenſeri ſolet, dotibus & prærogativis illam multopere anteiret, atque elegantior utique, & emaculatior, & integrior, imo auctior quoque & locupletior, in dias luminis aures prodiret. Quod ut ne quis ex eorum, qui repetitam quamcunque editionem auctiorem correctioremque non ſalutare piaculum habent, more & conſuetudine dictum, aut dicis gratia a nobis prolatum, exiſtimet, age, in rem præſentem veniemus. Qui enim *Tomum primum* Theſauri hujus *A. 1726 p. 107, alterum A. 1727 p. 55, tertium A. 1728 p. 385, quartum A. 1730 p. 224*, plenius nos recenſere meminimus, officio nunc noſtro ſatis defuncti erimus, ſi nova potiſſimum libri auctaria, &, quibus hæc ſe ad poſteros commendet editio, acceſſiones, aut ex iis, quæ nos antea forte prætermiſimus, potiora, latius perſecuti fuerimus. Et, quod ad chartæ quidem ſplendorem, formarum, quibus Opus exſcriptum eſt, æqualitatem & elegantiam, externasque alias ejus virtutes, pertinet, ea nunc latius a nobis commemorari, nihil opus eſt, propterea quod vel primum intuenti ſua ſponte occurrant, neminique, niſi cœcutienti forte, aut invito, obſcura eſſe, aut diſplicere poſſunt, ſed, quod non niſi cum cura inſpicienti apparet, in eo fidem haberi æquum eſt Cl. Editori, qui non tantum ex iis, quæ in prima Editione ſolicite ſublatæ erant, labeculis, nullas denuo irrepſiſſe, ſed & ſexcentas forte, quæ illam adhuc inquinaverant, alias nunc a medicante manu exemtas ſublatasque eſſe, idque cummaxime in *Fornerii, Suerinii, Marcilii, Perrenonii, Zoannetti, Prateji, Freheri, Catharini, Oſii Aurelii, Godofredi* etiam, in ſcriptis factum fuiſſe, affirmat. Sed, quæ prima Editionis novæ dos eſt, JCtus Celeberrimus, *Everardus Otto*, quibus quemque Tomum inſtruxit, bonæ frugis, multiplicisque doctrinæ plenas Præfationes, hinc inde emendavit, atque auxit, libros plenius recenſuit, ſuum cuique ſtatuit pretium, & non tam, quæ de ſingulorum argumentis ab otioſo homine dici poterant, quam quæ poſt aliorum curas dicenda ſupereſſe videbantur, annotavit.

Quo

Digitized by Google

Quod ſpeciatim ad *Tomum primum* attinet, præter alia, quæ minoris momenti ſunt, & duobus verbis, aut totidem verſibus, conſtant, prioris Præfationis Supplementa, ad *l. 18 de acquir. & om. hæred.* obſervat Vir Cl. verba: *Libro ſingulari regularum Pomponio Marcellus probat*, ita eſſe accipienda, non ut *Ulpius Marcellus* a *Pomponio* in hoc loco laudatus allegatusque ſit, ſed ut hic in *Pomponii* Librum Notas ſcripſiſſe intelligatur, quod & temporum rationi ex aſſe convenit, & tanto propius ad verum accedit, cum, in *Julianum* quoque ejusmodi Notas eum ſcripſiſſe, ex aliis legibus conſtet. Quæ paulo poſt in priore Præfatione de *Servio Sulpitio* monita erant, ea nunc pleraque hoc loco ſuſtulit Cl. *Otto*, fallimur, aut ideo, quod profeſſa opera *Sulpitii* Vitam concinnavit, & Tomo Theſauri quinto exhibebit Vir eximius. *Vindii* tamen, vel, ut alii, meliorum Codicum ope adjuti, nomen reſtituere, *Ummidii Quadrati*, JCti, nomen & memoriam ex tenebris eruit, & plurima luce colluſtrat. Et cummaxime laudabili fructuoſaque, qui his ſacris operantur, omnibus opera, Conſulatus nonnullorum maxime controverſos, *Quartini*, puta, *Oſtorii*, *Scapulæ*, *Senecæ*, *Juventii Celſi*, aliorumque, latius, verum cuique Conſuli nomen, calculoque cum cura poſito, quantum ob monumentorum penuriam, Faſtorumque incertitudinem, fieri potuit, ſuum cuique annum aſſignat. Quæ cum omnia, occaſione ab *Auguſtini* de nominibus propriis τȣ̃ Π Florentini Capitibus prioribus ſumta, attulerit, iis largum omnino diverſorum, quæ in *Auguſtini Cap. V* occurrunt, & olim pleraque intacta relicta ſunt, nominum ſpicilegium ſubnectit, idque variis ex interioris literaturæ penu depromtis Obſervationibus illuſtrat. Impudenti viragini, quæ ſuo coram Prætore latratu effecit, ut prætorio Edicto illa, & advocatorio munere fœminæ ad unum omnes, interdicerentur, ut Noſter docte monſtrat, *C. Afrania* omnino nomen fuit, &, cum Viri quidam celebres, *Afraniam* huic Edicto cauſam dediſſe, adverſus *Ulpianum* negent, propterea quod pro ſe, non æque pro aliis, poſtulaverit, mulierem potius impudentiæ & impolitiarum ream eſſe, quam *Ulpianum* neſcio cujus oſcitantiæ arguen-

Pag. 18. 24. 26. 27. 32. 35.

guendum esse, doctus Editor existimat. Non progressa olim ultra quintum *Augustini* Caput Præfatio, reliqua ipsius, ac ce-
Pag. 40. teros hujus Tomi Libros, sicco pede prætererat, nunc vero simul ficta illa technica nomina, *κοινὰ ὀνόματα* nostri vocant, quibus cives peregrini, servi, fœminæ omnes, quarum nomen verum incertum est, vel ignoratur, compellari solent, ad *Cap.*
42. *VI* enarrat omnia, & ad *Cap. VII* provinciarum, regionum, urbium, quarum est in Pandectarum libris mentio, nomina summo digito attingit, & simul, quo loco aut numero reliqua, quæ in Sylloges hujus volumen migraverunt, Opera habenda & æstimanda sint, sigillatim recenset. Quorum cum nos recensum antea egisse meminerimus, id nunc solum addimus, *Catharini* Librum Observationum, qui conjecturarum quarundam sine ordine & numero farraginem olim exhibuit, nunc, id quod & in *Ferrandi Adduensis* duobus Explicationum Libris factum est, Capitum numeris distinctum atque Lectorum usui magis accommodatum esse.

Accedimus nunc ad *Tomum secundum*, curiose lustraturi, quid opis adjumentique inde sperare queat melior Jurispruden-
13. tia. Ad *Lib. I Cap. 25 Selectionum Gulelmi Fornerii* observat Eruditiss. *Otto*, falli peregrie *Fornerium*, quando apud *Alfenum* in *l. 15 de publican.* legem *Censoriam*, i.e. decretum Censorum, & conditionem, in locatione vectigalis propositam, intelligit, pro *Cæsar* legens *Censor*. Sed hic omnino præferenda est communis lectio, propterea, quod *Cæsar* in ordinatione insulæ, a *Cæcilio Metello* jam expugnatæ, ejus vectigalia locaverit, & Censoris more præscripserit, ne quis præter redemtorem post Idus Martias cotem ibi fodere aut eximere au-
14. deret. *Lib. II Cap. 2 Fornerius l. 12 §. 1 de Usu & hab.* quam inter damnatas recte utique retulerunt veteres, illustrat. Quoniam enim usuario pomis, fœno, olere, & lignis, uti permittitur, ineptum videbatur, usum foliorum caducorum a *Nerva* ei denegari. Ut itaque dirimeret litem, arbitriumque præstaret *Fornerius*, folia, quorum mentionem *Nerva* injicit, unguenta maximi pretii, ex foliis confecta, interpretatur. Quid ad hæc Cl. *Otto?* Loqui ipsi videtur *Nerva* de usu fundi vulgari,

Digitized by Google

gari, adeoque de fructibus communibus, pomis, oleribus, frumento, oleo, vino, quæ tantum diſtant a foliis barbaricis & foliatis, quantum Roma, ubi *Nerva* ſcribebat, ab infelicibus Novæ Zemblæ Inſulis. Proinde in *Galvani*, *Broei*, *Jani a Coſta*, *Merillii*, & *Ravardi*, ſententiam diſcedit, qui Græcos φύλλοις, i. e. foliis, legere contendunt. Hæc enim ad paſtum pecoris æſtivum, vel hybernum, eximebantur, & magis uſui boum erant, quam hominum. Atque hæc ratio eſt, cur, uſus ſervitute plene nondum deſcripta, *Nerva*, uſuarium foliis non uſurum, putaverit, quamvis in foro *Caſſii*, *Sabini*, *Labeonis*, & *Proculi*, ſententia prævaluit, maxime ſi teſtamento uſus fundi relictus eſſet. Unde Græci in Baſilicis foliorum uſum concedunt, licet *Juſtinianus* in *§. 4 I. de Uſu & hab.* improbatam *Nervæ* ſententiam tantum retulerit, cetera vero ex *Ulpiano* nobis ſupplenda reliquerit. Parentis, *Gulelmi*, vivam ſpirantemque imaginem in ſcriptis ſuis exprimit *Radulphus Fornerius*, in quem illius ſingulares & eximiæ ingenii animique dotes auſpicata atque fortunata μετεμψυχώσει commigraverant. Male, ſi *Ottonem* audimus, *Lib. II Cap. 12 Rerum quotidianarum* motum arboris in *l. 7 de Serv. urb. præd.* per transplantationem, translationem & ademtionem arboris explicat, ut idem ſit, ac dicimus, movere Senatu, ordine, & quemadmodum ſylvæ moveri dicuntur. Optime rem definiverunt *Zoannettus*, *Balduinus*, & *Cujacius*, qui ad vegetationem creſcentis arboris motum iſtum retulerunt. Etenim circulatio liquoris vitalis efficit, ut quotidie nova veluti arbor ſit, &, quæ olim luminibus non offecerat, nunc, mutato ſtatu, officiat, qua ſignificatione, præter *l. 26 §. 2 de Acq. rerum dom.* & *l. 76 de Jud.* præſtantiſſimi quivis ex Græcis Latinisque Scriptoribus utuntur. *Lib. II Cap. 13* ex vero exponit *Fornerius*, qua ratione fundi, vel ædium, uſusfructus pars dominii cenſeatur, ut *Juliani* & *Modeſtini* in *l. 6 de Uſufr. ear. rer.* & *l. 19 de Uſu & uſufr. leg.* opinionem defendat, qui, legato uni fundo, alteri ejus fundi uſufructu, ambo illos in uſufructu concurrere, recte ſtatuerunt, quam veritatem Cl. *Otto* contra iniquam *Chryſoſtomi*, *Autumni*, *Græneweg enii*, &

Pag. 16.

17.

Pag. 18. *Leuwenii*, censuram fortiter tuetur. Eodem *Lib. II Cap.* 20 illam maxime arduam atque perdifficilem quæstionem de ordine causarum in judicio tractandarum attingit, in qua explicanda perplurimi Viri docti frustra laborarunt. *Radulphus*, voculam *ita* in *l. 1 C. de Appell.* non comparationis & similitudinis vim habere, sed ordinem temporis notare, cum Græcis existimat, ut idem sit *post*, *postea*, *deinde*. *Otto* noster, *Jacobi Gothofredi* conjecturæ subscribit, qui particulam *ita* per illico & consequenter interpretatur. Dissidium, quod inter *l. 1 & 37 C. de Appell.* est, ut tolleret *Radulphus*, monet, possessionem notare proprietatem, idque verba finalia indicare. Sed fortius argumentum *l. 5 §. 1 ad L. Jul. de vi publ.* præbet. *Lib. III Cap. 11 Juliani* verba, binis locis ab *Ulpiano* recitata, sub examen revocat. Suspecta videntur *Fornerio* in *l. 5 §. 3 ad L. Aquiliam* verba: *ut oculus ei perfunderetur*, itidemque in *l. 13 §. 4 Loc. ut ei oculus effunderetur*. Illa enim nativæ sermonis Romani castitati pulchritudinique repugnare censet, & usitatiore vocabulo *effoderetur* legendum decernit. Alia longe sententia sedet Cl. *Ottoni*, qui hunc in modum pronuntiat. Si *Ulpianus* utroque loco cetera *Juliani* verba nobis integra dedisset, sine mora in *l. 13 Loc.* vocabulum *perfunderetur* pro *effunderetur* substituisset, quoniam hoc *Julianum* in *l. 5 ad L. Aquil.* usum fuisse constat. Nunc, cum in *l. 13* magis sententiam *Juliani*, quam verba retulerit *Ulpianus*, nihil temere mutandum, sed *Julianum* improprie effundere oculum, pro *eluscare*, *visu orbare*, scripsisse censet. Quod si durior videtur phrasis oculos effundit, mavult Cl. *Otto offunderetur*, unica litera mutata, quam effoderetur, *Livii*, *Taciti*, & ceterorum optimæ notæ Scriptorum adjutus testimonio, qui hanc vocem

19. de oculis semper usurpant. *Lib. III Cap. 28* illam JCtorum crucem, *l. 69 pro Socio*, explicat, & Parentis, *Gulelmi*, conjecturam, qui pro *epulis* substituerat *empolas*, vel *empulas*, docte atque prolixe confirmat. Neque hanc conjecturam penitus probat Cel. *Otto*, sed, post allatam perplurimorum Juris Autorum ad hanc legem medicinam, *Ulpianum* nundinarum significatum obscuriorem, quo Socii mercatores usi

Digitized by Google

usi fuerant, aliis vocibus Latinis clarius exposuisse, opinatur. Aliquam laudem merentur, qui *Radulphum* excipiunt, *Josephi Nerii* Analectorum libri. Majori forsitan digni, si ipsius conjecturæ firmiori stabiliorique fundamento nonnunquam inniterentur. Sic enim sat infeliciter *Lib. I Cap. 27* verba apud *Cajum*, in circulo manumittere, in universum omnes, nullo nominatim appellato, libertate donare, explicat. Posteaquam enim Lege Fusia Caninia modus positus esset nimiæ & profusæ morientium inprimis liberalitati, intra certum numerum continebatur manu mittendi licentia. Si quis igitur intra numerum quorundam nomina circulo inscripserat, omnes liberi fiebant, ast, si numerum excesserat, nullus liber erat, quia nesciebatur, quis primus sit. Eodem *Libro Cap. 31*, vix ferri posse, contendit, ab iis, qui jus Quiritium tractant, quod *Plinius* in *Panegyr. Cap. 38* scribit: *Vim legemque naturæ semper in ditione parentum esse liberos jubere.* Singulare enim id jus fuisse Civium Romanorum, quod nulla alia gens habuerit, *l. 3 de his, qui sui.* Sed, ex *Ottonis* judicio, *Plinius* voce ditionis intelligit speciem imperii, quæ magis sit autoritas, quam potestas & ἐξουσία, quod conductis probatæ fidei Autoribus late copioseque confirmat. De ceteris, qui hanc Syllogen constituunt, Scriptoribus, cum jam olim sententiam abunde dixerimus, nihil proferre attinet, sed paucis ad *Tomum tertium* pedem promovemus; in cujus fronte comparent *Jacobi Gothofredi* Quatuor fontes Juris Civilis, nobile & perenne felicissimi ingenii *Gothofrediani* monumentum. Et quis est vel leviter imbutus a literis, qui ignoret *Gothofredum*, & immortalia ejus in literas elegantiores, & masculam præcipue Jurisprudentiam, merita? cujus incredibili beneficio magis pulchram atque decoram faciem nacta est illa, & ornatior, splendidior, emendatior, magnificentior exstitit. Neque repertus est quisquam, qui loco suo movere ausus fuisset illas, quas ex amplissima vastæ eruditionis diffusæque lectionis supellectile, ad melioris Jurisprudentiæ incrementum, protulerat, sententias, præter Ill. *Bynckershœckium*, & Cl. *Ottonem*, qui quasi nati factique esse videntur ad id, ut meritissimæ *Gothofredi* laudi conjecturis suis detrahant, & errores levissi

Pag. 20.

22.

vissi

viſſimos ipſi exprobrando, laureolam ſtudioſe affectent. Luculenta hujus rei veſtigia reperies in elaboratiſſima hujus Tomi Præfatione, in qua propoſitum ſibi habuit Cl. Editor, recalcitrare *Gothofredo*, & divortium facere a ſententiis ejus, ſive bene, ſive male, prolatis. Fatemur ingenue, hominem fuiſſe *Gothofredum*, erraſſe nonnunquam, & in illa Critices parte, quæ emendandis Autoribus occupatur, plerumque infeliciter eſſe verſatum. Id tamen vix tolerari poterit, omnem occaſionem te quærere avide, ut officias Viri ſummi gloriæ, eundemque de principe, quem, ſuffragantibus applaudentibusque ſupremæ caveæ JCtis, meruerat, loco deturbes atque dejicias. Decem Capitibus de Legibus XII Tabularum, de earundem dotibus atque nævis, de Decemvirorum æquitate & prudentia, ſigillatim diſputaverat Cl. Editor, quibus in hac repetitæ prælectionis Editione duo de novo adjecit, primum nimirum & octavum Caput, in quibus tum ea, quæ ad Hiſtoriam duodecim Tabularum pertinent, perſequitur, tum præcipua harum Legum capita pereruditè illuſtrat. Sed adeo breviter ſtrictimque, ut, ſi quædam in medium afferre vellemus, integra *Ottonis* verba nobis adſcribenda eſſent. Nec eſt, quod aliquid, poſt ea, quæ olim diximus, moneamus de reliquis hujus Tomi Autoribus; ſed potius læti, & portum jam anhelantes, ad quartum incomparabilis hujus Collectionis Tomum nos convertimus. Singularis *Mureti* opinio eſt, quando, legem Re-

Pag. 7 ſeq. vertimus. Singularis *Mureti* opinio eſt, quando, legem Regiam ab *Ulpiano* in *l. 1 de conſt. princ*, eam vocari exiſtimat, quam *L. Flaccus*, Interrex, tulit de *Sulla*, Dictatore perpetuo, qua ei ſummam plane & regiam poteſtatem permiſit, ut omnia, quæcunque feciſſet ille, rata eſſent. Renovatam eam poſtea eſſe in *C. Julio Cæſare*, cum Dictator perpetuus fieret, deinde in *Auguſto*, & ſequentibus, cum Imperatores perpetui crearentur, donec, exſtincta Senatus ac populi autoritate, ſine illo inſtrumento Princeps poſſet omnia. Cl. *Otto Jo. Frid. Gronovii* ſententiam amplectitur, qui legem Regiam fuiſſe dicit inſtrumentum Imperii, quod ſub *Auguſto* natum, & ſub ſingulis Principibus deinde repetitum auctumque ſit, donec illud, firmata magis Principum poteſtate, & odio Regii

nomi-

nominis cessante, sub *Antoninis* Lex Regia palam appellaretur. Quam opinionem tum aliorum Scriptorum, tum novo, & ante ipsum nemini viso, *Dionis Cassii* loco comprobat Cl. *Otto*, illumque contra acerbam & immitem *Grævii* censuram, qui *Dionem*, quid sit legibus solvere, ignorasse, nimis confidenter atque audacter decernit, mascule tuetur. In *Theodori Marcilii Collectis & Interpretamentis Legis XII Tabularum* multa improbat Doctiss. *Otto p. 257.* Caput Legis Decemviralis ex *Ciceronis Philipp. II Cap. 28* profert: *Illam suam suas res sibi habere jussit ex XII Tabulis, claves ademit, foras exegit*, quam lectionem etsi *Victorius*, *Muretus*, *Charondas*, *Hottomannus*, Pag. 10.
Cujacius, & *Contius*, probent, nihilominus novum Caput de divortiis non videri propositum fuisse Lege XII Tabb. *Otto* noster arbitratur. *Pag. 263 Marcilius* conjicit, Decemviros 11.
de perpetua fœminarum tutela Caput tulisse, quia *Cicero* & *Livius* ad instituta majorum referunt, quod fœminis ne privatam quidem rem agere sine autore licuit, propter sexus imbecillitatem, & rerum forensium ignorantiam. Cl. *Otto* tempora illa majorum sub Regibus quærit, quorum complura instituta deinde, mutata Reipublicæ forma, in mores abierunt, licet in Leges XII Tabb. non essent relata; qua occasione vexatæ & obscuræ legi 9 de *L. Pomp. de Parricid.* lucem 12.
affundit clarissimam. Quando *Marcilius p. 301* ex lege De- 14.
cemvirali mutuatitiam esse censet legem apud *Ciceronem Lib. II de LL. Perjurii pœna divina exitium, humana dedecus esto*, quia idem *Tullius Lib. III de Off. Cap. 31* ait, leges in XII Tabb. indicare, majores nullum vinculum ad adstringendam fidem jurejurando arctius esse voluisse; *Otto* noster illius natales ex moribus populi Romani sapienter ingenioseque repetit. Plura non addimus, propterea quod unicuique ex luculentis hisce, quæ dedimus, speciminibus facile patet, quam præclare munere suo denuo defunctus sit Cl. *Otto*, & quam singularem gratiam inierit ab harum literarum studiosis. Nos vere atque ex animo gratulamur Ampliss. *Ottoni* decus illud, quod indefessa industria, & elegantissimis ornatissimisque Præfationibus sibi peperit, eundemque per publica commoda ro-

Digitized by Google

gamus, obtestamurque, ut quintum præstantissimæ hujus Collectionis, cujus spem nobis fecit lætissimam, Tomum in lucem conspectumque omnium propediem proferat, & novo hoc & insigni beneficio sibi mirifice obstringat masculæ elegantiorisque Jurisprudentiæ cultores.

SACROSANCTA CONCILIA, AD REGIAM Editionem exacta, quæ olim quarta parte prodiit auctior studio PHILIPPI LABBEI & GABR. COSSARTII, Soc. Jesu Presbyterorum, nunc vero, integre insertis STEPHANI BALUZII & JOANNIS HARDUINI Additamentis, plurimis præterea undecunque conquisitis Monumentis, Notis insuper ac Observationibus, firmiori fundamento Conciliorum epochas præcipue fulcientibus, longe locupletior & emendatior exhibetur, curante NICOLAO COLETI, Ecclesiæ S. Moysis Venetiarum Sacerdote Alumno.

Tomus XIV, XV, XVI, XVII, XVIII, XIX, XX, & XXI.

Venetiis, apud Sebastianum Coleti & Jo. Baptistam Albrizzi, Hieron. Fil. fol.

Tomus XIV ab A. MCCXLIII ad A. MCCCX, 1731. Alph. 8 pl. 8.

Tomus XV ab A. MCCCXI ad A. MCCCCXIII, 1731. Alph. 7 pl. 22.

Tomus XVI ab A. MCCCCXIV ad A. MCCCCXVIII, 1731. Alph. 8 pl. 1.

Tomus XVII ab A. MCCCCXIX ad A. MCCCCXXXIX, 1731. Alph. 7 pl. 21.

Tomus XVIII ab A. MCCCCXXXVIII ad A. MCCCCXXXIX, 1732, Alph. 8 pl. 5.

Tomus XIX ab A. MCCCCXXXVIII ad A. MDXLIX, 1732. Alph. 7 pl. 22.

Tomus

Digitized by Google

Tomus XX ab A. MDXLV ad A. MDLXV, 1733.
Alph. 8 pl. 2.

Tomus XXI ab A. MDLXV ad A. MDCCXXVII, 1733.
Alph. 10 pl. 13.

Cum inter Tomos horum Conciliorum nuper recensitos ultimus fuerit *XIII*, ordo omnino postulat, ut nunc fiat a *XIV* initium. Ab eo igitur incepturi, reliquos, qui prodierunt, omnes conjungemus, atque adeo totius Operis præstantissimi recensionem tandem absolvemus.

Tomo XIV ad A.1244 ex *Aguirre* sufficitur Concilium Tarraconense præside *Petro Albalatio*, Archi-Episcopo, hoc ipso anno celebratum; ex quo pariter refertur ad A.1246 Concilium Ilerdense, eodem præside celebratum. A. 1247 memoratur Concilium Coloniense, pro electione Imperatoris agitatum. A. 1249 ex *Hansizio* affertur Concilium Muldorfense, a *Philippo*, Archi-Episcopo Salisburgensi, celebratum. * A. 1250 & 1251 interjicitur Concilium Eboracense, de ornamentis Ecclesiæ a *Waltero Gray* incerto anno celebratum, quemadmodum illud ex MSto Codice Bibliothecæ *Cotton.* ediderat Collector Anglicanus. A. 1255 leguntur Constitutiones Synodales Valentinæ Diœcesis sub *Andrea de Allalato*, Episcopo Valentino, primum ab *Aguirre* editæ. A. 1260 narratur Synodus Cypria sub *Germano*, Amathuntis Episcopo, & summo Græcorum in Insula Cypro Antistite, ab *Allatio* laudata. A. 1267 ex *Martene* Statuta dudum edita per bonæ memoriæ D. *Jacobum*, Ebredunensis Ecclesiæ quondam Archi-Episcopum, & ceteros Archi-Episcopos Comitatus Provinciæ, quæ inter alia, voluerunt & præceperunt infra suam civitatem Digniensem & Diœcesin ab omnibus observari, sufficiuntur. A. 1268 nunc primum Statuta Synodalia Claromontensis Ecclesiæ sub *Guidone de Turre*, Episcopo Claromontensi, ex vetusto Codice MSto Bibliothecæ Collegii Parisiensis Societatis Jesu, qui Codex, ex sententia peritorum ejusdem, atque hæc ipsa Synodus, ætatis est, in lucem eduntur. A. 1268 Concilium Londinense, ab *Othobono*, Card. Sedis Apostol. Legato, celebratum, restituitur,

[Margin: Pag. 37. 107. 109. 121. 123. 209. 249. 371. 375. 401 seq.]

tur, quod perperam A. 1269 Parisiensis Continuator, Collector
Pag. 444. vero Anglicanus A. 1248 attribuit, docente id in nota ad hoc
675. Concilium *Gabr. Cossartio.* A. 1279 affertur ex *Lunigii Spicileg.*
Eccles. Synodus Vratislaviensis a *Thoma*, Vratislaviensi Episco-
793. po, celebrata. A. 1284 ex *Hansizio* adducitur Synodus Pata-
viensis, a *Godefrido*, Episcopo, in Monachos quosdam Alta-
896. henses, celebrata. A. 1286 ex *Martene* Concilio Bituricensi non
897. addenda solum, verum etiam ejusdam Statuta contra exemtos
1107. subjiciuntur. A. 1287 sufficiuntur Constitutiones Domini *Cæ-*
lestini, Legati in Lombardia, quibus præmissa est brevis Obser-
1185 seq. vatio *Ludovici Antonii Muratorii.* A. 1290 nunc primum
affertur ex amplissima Bibliotheca Illustrissimi Archi-Episcopi
Remorum Coadjutoris, *Mauritii Tellerii*, Concilium Nugaro-
liense, ab Auscitanæ Provinciæ Episcopis, præside *Amaneo de*
Armaniaco hujus nominis secundo, hoc ipso anno celebratum,
1192. cui adjecta est Observatio *Gabr. Cossartii.* A. 1294 Concili-
1211. um Salmuriense, jam editum in metropoli Turonensi, & ite-
1247. rum collatum cum MStis, exhibetur. A. 1296 legitur ex *Ugel-*
li Italia sacra Concilium Gradense, in quo plura tum ad di-
sciplinam Ecclesiasticam, tum ad divinorum officiorum ritus
& Clerici mores pertinentia, sancita sunt, & Synodus Torcella-
na, in qua prædicti Gradensis Concilii Constitutiones promul-
1419. gatæ sunt. A. 1310 refertur Concilium Trevirense ex tribus
MStis Codicibus, uno Ecclesiæ Metensis, altero Collegii So-
cietatis Jesu Metensis, & tertio Conventus Cœlestinorum Me-
tensis.

111. *Tomo XV* A. 1312 duplex ex *Aguirre* memoratur Concilium,
alterum Tarraconense, præside *Guilelmo*, Archi-Episcopo in
113. causa Templariorum, alterum Salmaticense, præside Archi-
Episcopo Compostellano celebratum, quibus ad A. 1313 subjun-
gitur Concilium apud B. Mariam de Prato, quod ex duplici
211. MSto *Bigotiano* primum edidit *P. Bessin.* A. 1320 traduntur
Acta Concilii Adanensis Armeni, jussu *Constantini*, Patriarchæ,
& *Oscini*, Regis Armeniæ, propter unionem Ecclesiæ Armenæ
273. cum Romana celebrati. A. 1323 habetur Concilium Parien-
se, a *Guillelmo de Meloduno*, Senonensi Archi-Episcopo, & suf-
fraga-

Digitized by Google

fraganeis pro Jurisdictione Ecclesiastica & disciplina celebratum, ex Codice MSto Victorino antea a *Ludov. Bail* editum, nunc denuo cum MSto collatum. A. 1326 ex Synodalibus Pag. 333.
Remensis Ecclesiæ MStis affertur Concilium Silvanectense, a *Guillelmo de Bria*, Archi-Episcopo Remensi, & ejusdem Provinciæ Coepiscopis, celebratum. A. 1327 ex MStis duobus 41.
Collegii Parisiensis Societatis Jesu nunc primum editum habetur Concilium Roffiacense, ab *Arnaldo*, Burdegalensi Archi-Episcopo, cum suffraganeis hoc ipso anno die Mercurii post Festum B. Hilarii hiemalis celebratum. A. 1336 Concilium 499.
apud castrum Gonterii a *Petro*, Turonensi Archi-Episcopo, & suffraganeis, actum iterum ex MSto Collegii Paris. Soc. Jesu affertur. Inter A. 1336 & 1337 legitur Concilium Avenionen- 511.
se, a trium Provinciarum Episcopis in Monasterio S. Rufi celebratum, nunc primum editum ex MSto Codice Ill. Archi-Episcopi Remensis Coadjutoris, *Mauritii Tellerii*. A. 1363 791.
refertur Concilium Andegavense, a *Simone*, Turonensi Archi-Episcopo, cum suffraganeis celebratum, ex metropoli Turonensi & MSto Viri Cl. *Ægid. Menagii*. A. 1368 Concilium 833.
Vaurense, a trium Provinciarum Episcopis celebratum, ex Codice MSto Illustriss. *Franc. Bosqueti*, Monspeliensis Episcopi, editum, reperitur. A. 1398 sistuntur Acta tertii Concilii Regis & Ec- 1003.
clesiæ Gallicanæ, Parisiis celebrati, in quo decreta subtractio obedientiæ *Benedicto XIII*, quemadmodum illa edidit *Chastenet* ex MSto Victorino. A. 1409 Concilio Aquilejensi in Austria, 1103.
pro tollendo Schismate per *Gregorium XII*, Papam, celebrato, 1110.
adjiciuntur Animadversiones *F. Jo. Franc. Bernardi Mariæ de Rubei*, Ordinis Prædicatorum. A. 1410 ex *Aguirre* repe- 1379.
titur Concilium Salmaticense, & A. 1412 ex eodem Concilium Hispalense, præside Patriarcha Ecclesiæ Hispalensis Administratore, coactum. In Appendice ad hunc Tomum invenitur duplex Concilium Beneventanum, quorum alterum habitum est A. 1331 a *Monaldo*, Archi-Episcopo, alterum vero A. 1378 1387.
ab *Hugone II Guidardo*, Archi-Episcopo, utrumque ex Card. 1423.
Ursini Synodic. Benevent. arcessitum.

Tomo XVI continetur celeberrimum Concilium Conſtan-
tienſe, ita ſuppletum, ut nulla facile ſit ejus ſeſſio, cui non
Pag. 9. acceſſio quædam facta ſit. Nec ei ſolum præmittitur Præ-
fatio ex prima Editione, *Hagenoæ* A. 1500 facta, ſed etiam
Schedula quædam ex MSto Vindobonenſi, quæ *Joanni XXIII*,
Pontifici, in generali Congregatione, die Jovis 14 Novembr. A.
15. 1414 eodem Papa præſide habita, proximo die ante ſeſſionem
26. publicam fuit propoſita. Seſſioni I acceſſerunt ex MSto Vin-
dobonenſi de duobus Pontificibus, *Gregorio XI*, & *Benedicto
XIII*, blande invitandis ad ſpontaneam ceſſionem Schedula,
præſentata per *Petrum de Alliaco*, Cardinalem Cameracenſem,
Cardinalibus, deinde *Joanni XXIII*, Papæ, in generali Congre-
29. gatione, concluſiones Cardinalis Cameracenſis cum quibus-
dam Additionibus, & declaratio in principio propoſita, abſen-
tiam duorum Pontificum, *Gregorii* & *Benedicti*, non obſta-
re Tractatibus Concilii, Legatosque eorum ad Concilium eſſe
30. admittendos, ac in eo audiendos a Cæſare, Schedula, oblata per
44. Legatos pro *Gregorio XII* Papatu abituro, Schedula de ceſſio-
46. ne oblata *Joanni*, Papæ, per Concilium, & Aviſamenta deni-
que, oblata in natione Germanica in Conſtantienſi Concilio,
quando fuit via ceſſionis contendentium omnium de Papatu
54 ſeq. tractata. Seſſio II aucta eſt nonnullis ex MSto Victorino,
quibus continentur petita Concilii, & ad ea Reſponſiones d. 16
Martii factæ per os Papæ, & prius per os D. Cardinalis Flo-
59. rentini in palatio Apoſtolico, & Epiſtolis *Joannis*, Papæ, tum
ad *Sigismundum*, tum ad Regem Franciæ, ex MSto Vindobo-
64 ſeq. nenſi. Seſſioni III addita quædam ſunt ex MStis duobus *D.
69 ſeq. a Schelſtrate;* Seſſioni IV ex Codice MSto Lipſienſi, ex
76. MStis *D. a Schelſtrate*; Seſſioni V iterum ex MStis *D. a
86. Schelſtrate*, & ex MSto Brunſuicenſi. Seſſioni VI acceſſit ex
100. MSto Brunſuicenſi Epiſtola Academiæ Pariſienſis ad *Sigismun-
101. dum*, Cæſarem, in Concilio exiſtentem, & Epiſtola Legato-
104 ſeq. rum Univerſitatis Pariſienſis, Conſtantiæ exiſtentium, ad *Caro-
lum VI*, Regem Francorum, & quædam ex MSto Victorino.
114. Seſſio VII aucta eſt nonnullis ex MSto Brunſuicenſi, & ex
116, 117. MStis quatuor *D. a Schelſtrate*. Seſſio VIII quibusdam ex
MSto

Digitized by Google

MSto Victorino. Sessioni IX adjecta est ex MSto Brunsuicensi Epistola Universitatis Parisiensis ad Cæsarem *Sigismundum*; Sessioni X ex MStis quatuor *D. a Schelstrate* quædam; Sessioni XI ex MSto Victorino nonnulla, ex quo etiam aucta est Sess. XIII. Sessioni XVII addita est ex MSto Codice Helmstadiensi Epistola Concilii ad Bohemos, & ex eodem Sessioni XVIII accessit Epistola Concilii Constantiensis ad *Sigismundum*, Cæsarem, de rebus Hussitarum, & ex MSto Cæsareo de salvo conductu *Hussonis*; Sessioni XX ex duobus MStis *D. a Schelstrate* Epistola *Francisci*, Narbonensis Episcopi, ad quinque Cardinales de unione inita cum obedientia *Benedicti XIII*, & ex MSto Cæsareo libellus novem assertionum *Joannis Parvi*; Sessioni XXI ex MSto Cæsareo Vindobonensi Dorr. circa hoc tempus in Concilio explicata quæstio, quid fuerit realis obedientia *Gregorii XII*, Papæ; Sessioni XXXVIII protestatio Cardinalium contra reformationem, electioni Pontificis præmittendam, d. 9 Sept. A. 1717 edita a *D. a Schelstrate* ex MStis Romanis; Sessioni XLII quædam ex MSto Brunsuicensi accesserunt; Sessioni XLIII ex MSto Parisiensi Bibliothecæ *S. Victoris* copia certarum Constitutionum, in Concilio generali Constantiensi factarum, quæ fuerunt præsentatæ in Curia Parlamenti Regii Parisiensis per Dominum *Martinum*, Episcopum Atrebatensem, A. 1418 d. 10 Junii, sed non acceptatæ per eandem curiam. Ipsi Concilio generali Constantiensi subjicitur Appendix, ubi, quæ suis locis supra inserta non sunt, exhibentur.

Pag. 136. 145. 206 seq. 221. 280 seq. 286. 291. 330. 392. 464 seq. 690. 717. 729 seq. 793 seq.

Tomo XVII A. 1415 sufficitur ex *Bollando* Concilium Novagradense in Lituania, in quo *Phociey*, Metropolita Kijoviensium, depositus est. A. 1416 quædam dubia proposita in Comitiis Ecclesiasticis Provinciæ Tolosanæ circa quædam puncta, tractata in Concilio Cleri Gallicani, Parisiis hoc anno habito, afferuntur ex *Martene*. A. 1422 ex *Bessin* memoratur Concilium Provinciale, apud Vernonium exeunte Januario, vel ineunte Februario, A. 1422 de mandato Regis celebratum, ad deputandum ad Concilium Papiense, Senas postmodum translatum. A. 1430 ex *Martene* repetitur Concilium Narbonense, hoc ipso

11. 15. 83. 185 seq.

anno

Pag.217 seq. anno habitum. A. 1431 incipit Concilium Basiliense œcumenicum, sub *Eugenio IV* celebratum, cujus quidem Sessionibus ipsis hic accessit novi nihil, in Appendice tamen nova, eaque altera, non spernenda leguntur additamenta, quæ in *Labbeana*
1325. Editione frustra quæsiveris. Nam ibi ex *Martene* afferun-
1330. tur Oratio *Philippi*, Archi-Episcopi Turonensis, habita in Concilio Basileensi; literæ Synodi Basileensis ad *Joannem*, Ab-
1331. batem Bonævallis, apud Ruthenos; Bulla *Eugenii IV*, lecta in
1332. Congregatione generali d. 17 Sept. A. 1434; litera Regis Arragonum, missa in Concilio, lectaque in Congregatione gene-
1334. rali die Veneris; Epistola *Henrici*, Anglorum Regis, ad Con-
1335. cilium Basileense; Oratio Reverendi in Christo Patris, D. *Ambrosii*, Generalis Ordinis Camaldulensis, in Concilio Basileensi habita d. 7 Cal. Septembris, cum ab *Eugenio IV*, Rom. Pontif. ad Concilium missus esset Orator A. 1435, nunc primum eruta ex Codice MSto *num.* 55 Bibliothecæ præstantissimi Viri,
1343. *Jo. Baptistæ Recanati*, Veneti Patricii; Exhortatio Cardinalis Salinensis Legati, qui fuit *Jordanus Ursinus Romanus*, eruta ex MSto Bibliothecæ Augustinianorum Patavii per Fratrem, *Sylvestrum Meranum*, nunc primum typis vulgata munere
1353. laudati modo *Recanati*; Epistola Concilii ad *Joannem*,
1355. Episcopum Salzburgensem, ex *Hansizio*; Oratio præambula Responsionibus Deputatorum, sive hujus Concilii ad Articulos Bohemorum per Dominum Abbatem Cisterciensem ex
1371. *Hommey Supplem. Patrum.* A. 1438 exhibetur Synodicon Venetum *S. Laurentii Justiniani*, Proto-Patriarchæ Veneti, jussu ex vetustis prædecessorum ejus & Patriarcharum Gradensium Constitutionibus A. 1438 consarcinatum, quo ipso Tomus hic concluditur.

Tomus XVIII complectitur Historiam & Acta generalis Florentinæ Synodi omnia, nec huic Editioni hoc in Tomo quid-
539. quam accessit præter Græcorum Confessionem de verbis consecrationis & transsubstatione, a *Bessarione* expositam in Con-
540 seq. cilio Florentino, ex *Mabillonio* repetitam, cujus accedunt in illam Observationes.

21. *Tomus XIX* hæc maxime accessere, in aliis non obvia. A. 1440 Concilium Aschaffenburgense a *Theoderico*, Archi-Episcopo Mogun-

Moguntino, hoc anno, mense Augusto, celebratum, ex *Schmi-*
dii Diff. de Conciliis Moguntinis. A. 1451 Concilium Mo- Pag. 115.
guntinum ex *Lunigio.* A. 1456 Concilium Salisburgense, a 163.
Sigismundo, Archi-Episcopo, hoc anno celebratum, ex *Hansi-*
zio, cui præmittuntur conquestiones variæ, postulationes, in-
terrogationes, informationes, a Diœcesibus Salisburgensis Pro-
vinciæ Concilio prohibitæ, ad Acta ejusdem Concilii quodam-
modo exhibenda. A. 1457 Concilium Avenionense a *Petro* 183 seq.
Albanensi, & *Alano S. Praxedis*, Cardinalibus, Apostolicæ Se-
dis Legatis, celebratum, ex *Martene*. E quo etiam adducun- 287.
tur antiqua Statuta Synodalia Ecclesiæ Æduensis A. 1467. A.
1470 Concilium Beneventanum, d. 24 Aug. a *Corrado Capycio*, 367.
Archi-Episcopo, habitum sufficitur, quemadmodum illud ex
exemplari, in Archivo metropolitano asservato, edidit Card.
Ursinus in *Synodico Beneventano.* A. 1473 Concilium Ma- 381.
dritense, præside D. *Roderico de Borgia*, Cardin. Legato, cele-
bratum, ex *Aguirre* refertur. A. 1489 Concilium Mag- 433.
deburgense ab *Alberto*, Archi-Episcopo, celebratum, in quo
etiam Provincialia prædecessorum suorum Statuta reformat, 495.
ex *Lunigio* habetur, & ex eodem A. 1490 Concilium Salis-
burgense, ab *Henrico*, Archi-Episcopo, celebratum. A. 1509 539.
Concilium Avenionense ex *Martene*. A. 1511 Convocatio Con- 563.
ciliabuli Pisani, tam per Cardinales schismaticos, quam nomi-
ne *Maximiliani*, Imperatoris, & *Ludovici*, Galliarum Regis, 565.
edita, memoratur. A. 1512 Concilium Hispalense, præside Archi- 579.
Episcopo, D. *Didaco Deza*, celebratum, ex *Aguirre*. Literæ
Maronitarum ad *Leonem X*, ex Bibliotheca *Latini Latinii* Vi- 1003.
terbii, in Ecclesia Cathedrali a *Dominico Magno*, Melitensi, Ro-
ma transmissæ. A. 1522 Concilium Rotomagense, a *Georgio II*, 1071.
cum suffraganeis, celebratum, ex *Bessin* affertur. A. 1527 ex 1095 seq.
Martene repetitur Concilium Lugdunense, celebratum ad im-
ponendum subsidium pro liberandis regiis liberis, ab Impera-
tore detentis, ad reprimendam hæresin *Lutheranam*, & refor-
mandos Cleri mores. A. 1528 Concilium Bituricense Provin- 1141.
ciale, præside *Francisco Turnonio*, Archi-Episcopo, d. 21 Mart.
in quadragesima adversus dogma *Lutheri* ejusque sequacium,

ad reformationem morum, nec non pro decimarum solutione, habitum, sufficitur, ex veteribus chartis, pæne situ obsitis, descriptum.

Tomi XX maximam partem efficit Tridentinum Concilium Oecumenicum, quod ex Editione Lovaniensi repetitum hic exhibetur. Accedit vero Appendix, ea continens, quæ nec in hac ipsa Editione, nec in Collectione Puteanorum fratrum,
Pag. 1103. exstant, *Pauli III*, Papæ, Bullam, quæ supplicationes, seu processiones, pro celebratione Concilii indicit, ad jejunia adhortatur,
1105. ac plenariam indulgentiam largitur: ejusdem Epistolam tam ad Episcopos & Abbates aliquot Helvetiæ, quæ monet, ne diu-
1106. tius differant proficisci ad Concilium, quam ad Helvetios, quæ hortatur, ut religionem retineant, & promovendo Concilio al-
1108. laborent; concionem R. P. Fratris *Bartholomæi Carranza de Miranda*, Hispani, Ordinis Prædicatorum, habitam ad Synodum Tridentinam prima a Dominica Quadragesima A. 1546:
1117. Orationem *Alphonsi Salmeronis*, Theologi de Societate Jesu, in Concilio Tridentino die festivitatis Divi *Joannis*, Evange-
1127. listæ, A. 1546 habitam: Orationem ad idem Concilium *Joannis Baptistæ Campegii*, Bononiensis, Majoricensium Episcopi,
1133. de religione tuenda: Orationem *Ludovici Majorani*, Gravinatis, Canonici Ordinis Lateranensis, de optimo Reipublicæ statu, ad Patres in Concilio Tridentino missam, una cum ejus-
1150. dem Epistola, qua hanc Orationem *Herculi Gonzagæ*, Concilii Tridentini Præsidi, nuncupavit, & Gonzagæ responsione ad il-
1152. lam: Apologiam indictionis Concilii Tridentini, factæ a *Pio IV*, Pontifice, adversus *Joannem Fabricium Montanum*, Autore *Gasparo Cardillo Villalpandeo*, Hispano Segobiense, Docto-
1216. re Theologo: Orationem Fr. *Antonii Pagani*, Veneti, Minor. Observant. ad Tridentini Concilii Patres pro Ecclesiæ re-
1236. formatione: Orationem *Jacobi Ferrausii*, Valentini Doctoris Theologi, in festo assumtionis sacræ Dei genitricis *Mariæ* ad Patres in hoc Concilio habitam. Habentur tamen in hoc
1238. quoque Tomo nonnulla, huc nunc primum relata. Sic A.
1449. 1557 sufficitur Concilium Viennense ex *Martene*. Eadem ratione adduntur Orationes in Concilio Cameracensi ad Patres habitæ,

habitæ, quæ in Editione Pariſienſi *Ludovici Odeſpuni*, Turonenſis, deſiderantur, e. g. Oratio per ***Franciſcum Ricardotum***, Epiſcopum Atrebatenſem, per *Rogerum Varlerium*, Sacræ Theologiæ Doctorem, per ***Joannem Carthenium***, Carmelitam, Theologiæ Profeſſorem, per ***Matthæum Galenum Veſtcappellium*** habita. Pag. 1456. 1468. 1474.

Tomo XXI quæ præcipue memorari merentur, ſequentia fere ſunt. A. 1570 affertur ex *Harduino Gregorii III*, Papæ, Bulla contra propoſitiones *Michaelis Baji*. A. 1581 exhibentur Decreta Synodi Provincialis, habitæ Rothomagi ſub *Carolo*, Cardinale Borbonio, civitatis Avenionenſis & S. R. E. de latere Legato, Archi-Epiſcopo Rothomagenſi, Primate Normaniæ. A. 1582 Synodus Memphitica ex *Tomo II* Apparatus ſacri ad Bibliothecam ſelectam *Antonii Poſſevini*, atque ex Annalibus Eccleſiaſticis *Henrici Spondani*, refertur. A. 1583 Decreta Synodi Provincialis Turonenſis, partim Turoni menſe Majo, partim Andegavi menſe Septembri, hoc anno habitæ, a ſede Apoſtolica correcta & approbata, adducuntur. A. 1585 celebratum Mexici Concilium præſidente *Petro Moya de Contreras*, Archi Epiſcopo Mexicano, Romæ confirmatum d. 27 Octobris A. 1589, narratur. A. 1590 legitur Concilium Provinciale Toloſanum, quod *Franciſcus de Joyoſa*, S. R. E. tituli Sanctiſſimæ Trinitatis in monte Pincio Presbyter Cardinalis, habuit. A. 1599 Diamperienſe Concilium Provinciale, ab Archi-Epiſcopo Goenſi in oppido Diamper, quod eſt in Aſia prope civitatem, quæ dicitur Sancti Thomæ, habitum, recenſetur. A. 1624 Concilium Provinciale Burdigalenſe, a *Franciſco*, Cardinale *de Sourdis*, Archi-Epiſcopo Burdigalenſi, Aquitaniæ Primate, menſe hujus anni Septembri habitum, refertur. A. 1642 Concilium Conſtantinopolitanum hoc ipſo anno contra *Calvini* dogmata Græce & Latine reperitur. A. 1672 Synodus Hieroſolymitana, ſub Patriarcha *Doſitheo* adverſus Calviniſtas celebrata, Græce iterum & Latine exhibetur. Univerſæ huic Collectioni ſplendidiſſimæ colophonem imponit Concilium Provinciale, Ebreduni menſibus Auguſto & Septembri A. 1727 habitum. 610. 617. 681. 805. 1015. 1269. 1427. 1539. 1629. 1657. 1909.

Johann Heinrichs von Falckenstein Nordgauische Alterthümer ꝛc.

h. e.

JO. HENR. A FALCKENSTEIN ANTIQUItates Nordgavienses, in quibus de vera Episcopatus Aureatensis facie exponitur.

Tomus II.

Francofurti & Lipsiæ, apud Jo. Georg. Lochnerum, 1733, fol. Alph. 5 pl. 10.

Aggredimur nunc alterum *Falckensteiniani* Operis Tomum, in quo veram Episcopatus Aureatensis faciem scite atque eleganter delineat atque repræsentat Autor. ***Sex Capita*** hunc ***Tomum*** constituunt. ***Caput I de Capitulo Aichstattiensis Ecclesiæ Cathedralis, & Principum, Comitum, Baronum, & Nobilium, qui locum aliquem inter Canonicos obtinere possunt, familiis***, præcipit. Varia hic affert Ill. Autor de voce Capituli, Canonicorum, Præpositorum, cetera. Inter alia, Canonicos
Pag. 4. olim *Gottesjunckern* vocatos fuisse, observat. Longa & operosa probatione gentilitiæ nobilitatis defungi debent, qui ad Canonicatum Templi Cathedralis Aichstattiensis adspirant.
5 - 8. Non solum enim sedecim majorum, qui nullo vago & illicito concubitu sese contaminarunt, & intra decimum gradum Juris Civilis neque cives fuerunt, neque civitatis jus exercuerunt, imagines ostendere, verum etiam quatuor vetusta progenie nobiles hoc sacra jurisjurandi religione confirmare debent. Jucundum erit antiquitatum patronis legere nomina & monumenta sepulchralia Præpositorum, Decanorum, Scholasticorum, Cantorum, Custodum, Cellariorum, & Canonicorum
9 - 18. hodiernorum, quorum memoriam ex mediis vetustatis parieti-
18 - 285. nis eruit *Falckensteinius*. Inprimis Genealogiam familiarum, quæ Canonicatuum Aichstattiensium capaces sunt, laudabili industria confecit, & summa, quam adhibuit, accuratione Antecessores suos longissime superavit. De *Rixnero*, celebri illo

lo torneamentorum Scriptore, annotat, & illos fallere, qui omnem plane fidem ipsi abjudicant, & inter nugatores doctosque impostores referunt, & illos suaviter errare, qui nimium tribuunt ipsi, ejusque dicta, tanquam divina oracula, venerantur. Mediam itaque opinionem amplectitur, & non plane contemnendum esse *Rixnerum*, sed non temere credendum esse illius assertis statuit, & hunc canonem ponit: Quamcunque familiam, cujus *Rixnerus* meminit, fundatam habere intentionem, usque dum aliquis contrarium probet, &, eandem illo, quo *Rixnerus* librum suum edidit, tempore nondum exstitisse, solide evincat. *Albrechtum de Eib Margaritam Poeticam, librum de re uxoria, de mortis præparatione, & Epistolas*, Pag. 54.
posteritati reliquisse, commemorat. *Georgius de Gemmingen*, vir in sacris & elegantioribus literis mirifice doctus, Doctor 71.
& Professor Juris utriusque, Philosophus & Rhetor clarissimus fuit, atque, conscriptis *Orationibus de machinis bellicis, de ratione duelli, de cura militum*, & *Annotatiunculis pro Confessoribus*, quæ Opera *Eucharius Hennerus* Spiræ typis imprimenda curavit, insignem nominis famam sibi peperit. Quantum poesi valuerit, versus, quibus *Jacobi Wimphelingii Elegiacum de immaculata conceptione B. M. Virginis* assensione sua comprobat, luculenter testantur, quos in Lectorum gratiam apponere haud pigrabimur:

Qui cecinit Christi genitam sine crimine Matrem,
Illius in labiis mella fuisse putes.
Ut numeris cunctos, ita vincit carmine vates,
Qui procul a vitio Virginis ossa probat.

Ex eadem Gemmingensi prosapia prodiit *Julius Henricus de Gemmingen*, Orator eloquentissimus, & libro, cui titulus: 72.
Fasciculus Myrrhæ & Aromatum, ex passione Domini collectus, celebris. *Christophorus Franciscus de Hutten*, Episcopus Wurceburgensis, antiquissimos aliquos libros ex Bibliotheca Capituli 100.
Wurceburgici, quos rusticani belli tempore majores abdiderant, ex latebris suis in lucem protraxit, & incredibili hoc beneficio doctos viros sibi immortaliter devinxit. Inter hos erant *Codex Theodosianus*, pulchre eleganterque scriptus, ipsi-

Digitized by Google

que Tuſco Pandectarum volumini æquiparaendus, cujus collationem novis Codicis *Theodoſiani* Editoribus minime negligendam eſſe arbitramur, *Eccleſiaſtes*, literis quadratis exaratus, *Pauli Epiſtolæ*, literis Longobardicis veteribus curſoriis, in quibus literæ initiales ſingularem plane figuram repræſentant, *Dialogi & Homiliæ Divi Gregorii*, *Liber Bedæ de temporibus*, cum marginalibus hiſtoricis; ejusdem *Martyrologium*, *Soliloquia Auguſtini*, *Juvenalis*, perbelle ſcriptus, & perplures
Pag. 109. alii Codices, raritate ſua commendabiles. De *Jo. Egolpho de Knæringen*, Epiſcopo Auguſtano, eum prudentia, ſingularique eloquentia & doctrina floruiſſe, libros nonnullos ex Latino in vernaculum idioma tranſtuliſſe, literas & literatos mirifico amore foviſſe, Bibliothecam Ingolſtadienſem condidiſſe, & in majus illius incrementum *Glareani* Bibliothecam ſuo ære re-
153. demtam illi donaſſe, obſervat. *Matthæus*, *Comes de Pappenheim*, *Chronicon Auſtrale* apud *Freherum Tom. I Script. Moguut.* & de origine familiæ ſuæ Commentarium, compoſuit. Miſera Seculo XVI Germaniæ erat conditio, ubi potatores & helluones immane regnum exercebant. Permo-
222. vit hoc *Joannem de Seckendorf*, ut filium *Caſimirum* ſeſe obligare cogeret, ſe intra proximos ſex annos nulli neque plenos,
286-294. neque ſemiplenos, cantharos, velle præbibere. *Caput II de Ca-*
295-317. *pitulis collegiatis Epiſcopatus Aureatenſis* agit. *Caput III Decanatus rurales, in Epiſcopatus Aureatenſis Diœceſi ſitos*,
318-410. ſiſtit. *Caput IV Cœnobia, Monachis & Virginibus ſanctimonialibus alendis deſtinata*, complectitur. Inter doctas mu-
321. lieres inſignem locum meretur *Rilindis*, Abbatiſſa Monaſterii Bergenſis, quæ ſæpe carmine luſit. Recitabimus verſus, quos virgini veſtali cœnobii ſui dicavit:

Vos, quos includit, frangit, gravat, attrahit, urit
Hic carcer mæſtus, labor, exilium, dolor, æſtus,
Me, lucem, requiem, patriam, medicamen & umbram,
Quærite, ſperate, ſcitote, tenete, vocate,

Alio tempore ſequentes verſiculos compoſuit:

O pie grex, cui cælica lex, eſt nulla doli fex:
Ipſe Sion mons, ad patriam pons, atque boni fons,

Qui

Qui via, qui lux, hic tibi ſit dux, alma tegat crux,
Qui placidus ros, qui ſtabilis dos, virgineus flos,
Ille regat te, commiſerans me, ſemper ubique.

Refert quoque Autor, Epiſcopum Aureatenſem perpetuum Pag. 410.
Academiæ Ingolſtadienſis eſſe Cancellarium. *Caput V Geographice* deſcribit *Epiſcopatum Aureatenſem.* In Bibliotheca E- 418.
piſcopali, quemadmodum docet Autor, inter alios Codices reperitur Codex Biblicus, figuris exornatus, & pergamenus, in quo Monachus Dominicanus conſpicitur, qui aqua luſtrali *Salomonis* templum inaugurat. Egregium & novum errorum a pictoribus commiſſorum exemplum! *Capite VI Vaſallos Epiſcopatus Aureatenſis* breviter atque confuſe recenſet, & ſimul univerſo Operi finem lætiſſimum imponit, de quo, ſi Delineationem veteris Nordgaviæ & Codicem Diplomaticum computaveris, nullum in tota Germania Epiſcopatum tam inſigni cura ſolicitudineque elaboratum exſtare, præter Aureatenſem, Ill. Autor vere gloriari potuit.

VINDICIÆ ARBORIS GENEALOGICÆ Auguſtæ Gentis Carolino-Boicæ ab ipſo Autore vindicatæ contra Satyram PALIGNESII, cum Appendice ſuccincti Reſponſi ad Autorem OTTONIS FRISINGENSIS defenſi.

Monachii, typis Mariæ Magdalenæ Riedlin, viduæ, 1732, fol. Alph. 4.

Illuſtris Autor ante triennium, & quod excurrit, hodiernorum Bavariæ Principum ab *Arnulfi*, Imperatoris, filio, *Arnulfo Malo*, derivationem vindicare aggreſſus eſt. Inde nactus adverſarium *Paligneſium*, qui non ſine eruditionis apparatu demonſtrandum putavit, familiam *Carolingicam* Ducum Bavariæ in *Ludovico*, filio *Arnulfi*, Imperatoris, defeciſſe, hodiernæque
conditorem eſſe *Luitpoldum*. Jam in eo eſt Ill. *de Wilhelm*, 27.
ut *tot annorum laborumque partum ſuum*, id eſt, Vindicias arboris ſuæ, vindicet, & falſitatis errorisque graviſſimi in multis convincat *Paligneſium*. Mittimus more noſtro alterius in alterum

alterum dicacitatem, tunc etiam, cum modeſtiæ ſpeciem induit, ſatis vehementem & acerbam, ea ſolum, quæ ad cauſam pertinent, attingentes. *Primis octo Capitibus* negat Autor, noviter a ſe in gratiam Principum inventum hoc Schema Genealogicum, quippe quod jam dudum receptum, & ab Autoribus graviſſimis fuerit approbatum, nempe a *Trithemio*, quem Vindiciarum ſuarum inter alios pæne anteſignanum vocat, a *Cuſpiniano*, a Chronicis Schirenſibus, & ab *Onuphrio Panvinio*. Singulorum in genere autoritatem contra *Paligneſium* multis teſtimoniis probat, & de Chronicis Schirenſibus ait, ſcripta eſſe A. 1283, quo ſuperſtites adhuc Duces Schirenſes ignorare non potuerint, utrum a *Luitpoldo*, an ab *Arnulfo*, Imperatore, duxerint genus. Inde a *Cap. IX* regulas *Paligneſii* de autoritate teſtium examinat. Primum ille autoritatis locum tribuerat coævis, præſentibus oculatisque teſtibus. Addit Noſter: modo ſcripta eorum ſint genuina, non interpolata, modo teſtes ſint bonæ fidei, non creduli, non cupiditate aliqua permoti. *Paligneſius*, quæcunque a recentioribus ſine antiquiorum teſtimonio citraque eorum tam inter ſe, quam cum rerum natura & ſerie, conſenſum afferuntur, fide indigna & fabuloſa eſſe, cenſuerat.

Pag. 43 ſeq. Reſpondet Autor, ita eum evertere omnem recentiorum autoritatem, qui non ſemper ſua firmare ſoleant antiquis teſtimoniis. Porro *Paligneſii* regulam: *Traditio rei geſtæ tempore, cujus nullus exſtat Scriptor, pro non facta vel incerta*

Cap. 10. *habenda*, Noſter plane ex cerebro confictam pronuntiat, & contrariam opponit: *Traditio rei geſtæ tempore, cujus nullum certum habemus Scriptorem, ſi tamen poſt CC vel CCC annos graves Autores, & unus ſaltem, aliis etiam refragantibus, rem ita factam aſſeveranter afferant, fidem omni jure*

11. *meretur*. De loco *Reginonis*, quem primarium ſuæ ſententiæ adduxit *Paligneſius*, monetur, incertum eſſe, ubi finierit *Regino*, & quinam Continuator, quonam tempore, locum adje-

12, 13. cerit. *Otto Friſingenſis* in hac cauſa pro teſte iniquo & ſuſpecto habetur, & verba ejus: *ad tempus*, ita explicantur: defecit *ad tempus* gens Carolina in dignitate Imperatoria, *non perpetuo*

P. I p. 27. in ſua ſtirpe. Id quod jam in Vindiciis. Carpitur Defenſio *Arenbe-*

Digitized by Google

Arenbeckii, & hujus occaſione pluribus oſtenditur, Hungaros ab initio Seculi X habuiſſe Reges. Caſtigatur *Palignefius*, qui Genealogiam hanc ſpe præmii, aut per adulationem, in lucem protractam dixerat, ſimulque nova teſtimonia in rem ſuam cumulat Cl. Autor, nempe ex *Dietbelmi Zelleri* Vitis Imperatorum & Regum, Tiguri A. 1558 editis, & quam latiſſime ex *Kbevenbilleri* Annalibus. Porro Autor, teſtimonium Chronici Schirenſis defenſurus, has regulas ſuppeditat & firmat: 1) *Scriptores Seculi XIII, XIV & XV, plerumque in ſuis Genealogiis non docent gradum, ſed tantum lineam ſucceſſionis, ideoque unam aut ſubinde plures perſonas intermedias transſiliunt;* 2) *Scriptores coævi & ſolertes ſæpe nepotes cum filiis, filios cum nepotibus, confundunt;* 3) *Tantum fidei Scriptoribus, etiam imperitis, adhibetur, quantum non gravantur ſuſpicione falſitatis.* Quod ad tabulas Schirenſes attinet, fatetur Autor, eas nonnihil poſterioris ævi eſſe, ita tamen, ut rem ipſam, ex antiquioribus ſcriptis & traditionibus deſumtam, coloribus ſua ætate uſitatis depictam exhibeant. Inſignium uſum in clypeis jam ante Sec. XI apud Germanos viguiſſe, oſtendit variis argumentis. Inter alia probat, antiquiſſimos Germanos ſcuta coloribus diſtinxiſſe, ut gentem a gente, familiam a familia, diſcernerent. Ergo memorari ſcuta nigra Ariorum, ergo familiarum & propinquitatum turmas & cuneos: ſcuta item iis fuiſſe jure quodam gentilitia, ex quo ſummæ infamiæ & piaculi, ſcutum in prælio perdidiſſe. Ex Decreto electionis *Ludovici IV* in Regem Romanorum, quod Autor Vindiciis inſeruit, verba: *de alto & generoſo ſanguine Divorum Regum natum*, intelligenda ſtatuit, non ratione maternæ originis, ſed quod *Ludovicus* certa omnium Principum opinione inter poſteros *Caroli M.* referretur. Ceterum *Palignefius* traditionem de hoc ſtemmate cum iis comparaverat traditionibus, quæ olim fidem merebantur, nunc vero jam pridem exploſæ ſunt, e.g. de *Cyriaco* Pontifice, de Baptiſmo *Conſtantini M.* ejusque donatione, de Trojæ excidio, &c. Et, ſicut ille copioſior iis in rebus fuerat, ita reſpondendum ſibi accuratius ad ſingula putavit Ill. *de Wilbelm*, & totus eſt in

Cap. 14 ſeq. 17.
18.
19.
Pag. 129.
Cap. 20.
P. II p. 130.

Cap. 21. in infirmanda hujus argumenti negativi efficacia. Hinc do-
22,23,24. natio *Conſtantini* videtur ei minimum corrupta & interpola-
25,26. ta, non omnino falſa. Hinc Trojam vere exciſam docet.
27,28,29. Hinc *Homeri* fidem defendit. Hinc verum ſitum Trojæ fu-
31,32,33. ſius demonſtrat, aliasque *Palignefii* objectiones, ex Hiſtoriæ dubiæ momentis deſumtas, refellit.

Quibus ita præmiſſis, incipit Ill. Autor progredi ad id, in quo cardo rei vertitur, & confutare *Palignefii* argumenta de Imperatoris *Arnulfi* filiis, *Arnulfo Malo*, & *Wernhero*, nullis.
35. Probat enim, potuiſſe eos exiſtere, etiamſi nulla eorum habita ſit mentio in Conventu Forcheimenſi, quia forte pater iis providerat jam antea in Conventu aliquo Procerum Bajoariæ, ratione Provinciarum in Regno Orientali. Item fuiſſe eos ab *Arnulfo* genitos, adhuc Duce, nondum Rege, ideoque in Conventu Forcheimenſi non habitos legales & idoneos ad ſucceſſionem regni, ubi ſpes erat accipiendi heredis regii ex altera uxore, jam Regina. *Agnetem* fuiſſe uxorem legitimam *Arnulfi*, ſed non legalem, quod eam clanculum duxiſſet, ne ſibi hoc matrimonio, propter ſimultates Francorum cum Græcis, viam ad Imperium præcluderet. Eleganter docet, pro lege olim a Proceribus Imperii tam Orientalis, quam Occidentis, fuiſſe obſervatum, ut filii in purpura, patre, jam Rege, & matre Regina nati, jure ſucceſſionis potiores haberentur illis, qui ante regnum in lucem prodiiſſent. Atque hanc ob cauſam *Arnulfo Malo* & *Wernhero*, natu majoribus, prælatum fuiſſe *Ludovicum Parvulum*. Denique *Palignefius* verum Ducatum *Luitpoldi* probaverat ex eo, quod æquales Scriptores teſtentur, *Arnulfum*, Ducem, fuiſſe filium *Luitpoldi*, ejusque in Ducatu ſucceſſorem. Reſpondet, *Luitpoldum* fuiſſe quidem Ducem Bavariæ, ſed limitaneum atque militarem, non feudatarium, idque his potiſſimum rationibus evincit: 1) quia *Luitpoldus* ſuſcepiſſe dicitur Ducatum ſuperſtite adhuc Imperatore *Ludovico*, Principe indubio Bavariæ, quippe quam *Carolus M.* & Succeſſores, *Arnulfus* præcipue, metu Ducum, per ſe regere ſoliti erant. Ergo *Luitpoldum* non niſi nomine Regis, tanquam Ducem militarem, præfuiſſe; 2) quia non exſtant tabulæ conceſſio-

Marginal notes: Conf. Vind. P. II p. 124 ſeq. (beside "ratione Provinciarum…"); Conf. Vind. P. I p. 50. (beside "ante regnum in lucem…"); Cap. 37. (beside "Ducatu ſucceſſorem…").

cessionis Regiæ, vel electionis, a Proceribus factæ; 3) quia *Luitpoldus* obiit A. 907, *Ludovicus* autem demum A. 911 vel 913, adeoque vivo legitimo herede non potuit ille fieri Bavarorum Princeps; 4) quoniam in monumentis habetur, *Arnulfum* successisse patri *Luitpoldo* in Ducatu, nempe militari illo, non in Ducatu Bavariæ, & præterea hic *Luitpoldus* filius accurate ab *Arnulfo Malo* distinguitur. Hæc fere habuit Ill. Autor, quæ *Palignesio* responderet, si qua ulterius contra se in publicum protrudantur, omnia, tanquam responso indigna, silentio damnaturus. Pag. 281.

Jam excusserat Autor, ut ait, arma *Palignesio*, ex arena profugo, cum alius athleta, qui se *Baronem de Bransdorf* nominat, stantem adhuc in armis & strenuum invasit. Huic dicam scribit, & Epistolam ejus examinat, in qua denuo incisam voluit arborem Genealogicam Carolino-Boicam. Carpit primo affectatam ab eo elegantiam linguæ Latinæ, &, adjecto Catalogo barbarismorum, ostendere studet, eum obscurorum virorum æmulum oppido felicem. Probat inde, quod jam in Vindiciis instituerat, 1) *Ottonem Frisingensem* amori & odio indulsisse nimium, cum de familia Principum Bojorum commemorat. In æstu enim animi concitati narrare ad A. 955 ea de Comitibus Schirensibus, quæ manifestæ tunc veritati repugnabant, scilicet *plerosque omnes, latrociniis inservientes, miseram vitam mendicando transegisse*, cum tot opulenta Monasteria fundarint, & virtutibus nobilitati sint. Affert ex *Pithœi* editione *Ottonis Frisingensis* locum longe diversissimum, & secundum rei veritatem jussu ipsius Præsulis moribundi commutatum. 2) Ait, lacunam, in *Reginone* expletam, a *Bransdorfio* non satis intelligi; & tandem 3) *Bransdorfium* male fingere aliena manu in *Andreæ*, Presbyteri, Chronicon inserta, quæ ille de *Arnulfo Malo* & *Wernhero* tradidit.

286, 317 seq.

296 seq. Conf. Vind. P. I p. 18 seq.

Pag. 311 seq.

OBSERVATIONES DE FEBRIBUS, PRÆcipue intermittentibus, & ex earum genere continuis, deque earum periculis ac reversionibus prænoscendis,

& præcavendis, per medelam tempestivam, efficacem, adæquatam, candide & perspicue propositam; ad Viros clarissimos & experientissimos, Autores Commercii Literarii Norimbergensis, occasione Problematis de febribus intermittentibus soporosis & apoplecticis, scribebat PAULUS GOTTLIEB WERLHOFF, D. Magnæ Britanniæ Regis Medicus Aulicus.

Hannoveræ, typis & impensis Jo. Christoph. Ludolph. Schulze, 1732, 4.

Alph. 1 pl. 21.

Merito quodam suo, nec sine animi voluptate, in Annales nostros referimus elogium *Werlhoffiani* Operis, externa quidem mole non magni admodum, rerum tamen præstantia doctrinæque copia gravis. Pridem jam Cl. Autor constitutum habuit, Observationes meditationesque suas de febribus intermittentibus, morbisque inde generatis, in Systema aliquod theoretico-practicum colligere, & doctrinam de hoc febrium genere, illarumque medelis, prout eam quidem animo complexus est, ordine pertractare. Sed, cum partim ob argumenti gravitatem, partim negotiorum multitudinem, Opus hoc post aliquod demum tempus in lucem proditurum esse videatur, nonnulla etiam ipse observaverit, in quibus alienam experientiam ad confirmandam illustrandamque propriam exquirere dudum exoptavit, nuper autem peropportune contigerit, ut in Commercio Literario Norimbergensi Problema aliquod de observandis, prænoscendis, curandisque febribus quibusdam intermittentibus, post quartum, quintum, vel sextum paroxysmum ex apoplexia subito exitiosis, proponeretur, hanc occasionem non dimittendam ratus, breviorem Epistolam de hoc argumento ad Cl. Collectores dare instituit, ipsis Speciminibus inserendam. At vero cœptum semel Opusculum in hanc, quam nunc præ se fert, molem, ultra eorum Schediasmatum spatium, invitante sensim argumenti ubertate, excrevit. Et, quam-

quamvis initio, nomen ſuum alieno velo tegere, Cl. Autori conſtitutum, eoque conſilio tota jam Opella ſcriptione & typis abſoluta eſſet, amicorum tamen monitis, aliisque rationibus, victus, conſilium poſtea mutavit. Nec videmus nos quidem, quare id non mutaturus fuiſſet, quandoquidem, id ipſum Opus *Werlhoffiano* nomini ſingulari fore decori & ornamento, quilibet intelligentes, & ab invidia præconceptisque opinionibus alieni Lectores ingenue fatebuntur. Tractat enim argumentum generi humano utiliſſimum, idque tanta diligentia & doctrina, quanta nos quidem omnes libellos medicos ſcriptos eſſe, quam maxime cuperemus. Certe, ſi obſervationes accuratiſſimas, easque complures, plane novas, de hoc febrium genere, aliisque, cogites, Cl. Autorem ad candorem fidemque in obſervando veterum quam proxime accedere, lætus videbis, ſed, ultra hanc laudem, quanquam ea maxima omnino eſt, progredi ipſum, initio vix putabis. At, ſi theoreticas ſimul veritates cum de rebus aliis, tum de periodis typisque febrium, hic propoſitas, animo contuearis, ipſum theoriis ejusmodi addictum plane, & philoſophari potius domi ſuæ, quam multum temporis obſervationibus dare clinicis, tibi perſuadebis. Adeo ubique excellit, ſui ſemper ſimilis. Ne quid de varia illa & ampliſſima lectione, nec de amœnitatibus, ex omni humaniori literatura condimenti inſtar repetitis, dicamus. Obſervationes potiſſimum generaliores, nempe quæ in plerisque, ſimiliter laborantibus, æque reſponderunt, annotavit, ſexcentorum narratione exemplorum, niſi ea ſupervacanea eſſe & nauſeoſa videretur, roboranda. Particulares paſſim obſervationes immiſcuit, ſed eas ſolum, in quibus ſingulare aliquid a ceteris notatum eſt. Regulas ex obſervationibus repetitis, & generatim ſimiliter ſuccedentibus, conſtituit, diſtincteque inculcavit, additisque exceptionibus circumſcripſit. Inprimis vero etiam corticem peruvianum, gravibus non inter Medicos tantum, ſed abjectiſſimam quoque plebem, cavillationibus & injuriis expoſitum, tam egregie ab ejusmodi calumniis vindicavit, idque remedium divinum omnino & ex communi Medicorum, vere experientiſſimorum, a longo inde tempore per regiones

 con-

conſtitutioneſque plurimas ſtabilito, iis in rebus conſenſu,ſuiſque obſervationibus, ſub legitimo uſu cùm ad curandos morbos alios, tum ad ſanandas febres, certiſſimum æque ac tutiſſimum & innocentiſſimum eſſe, tam docte accurateque oſtendit, ut patronus Quinquinæ,qui cauſam ejus oret, & adverſarios tam feliciter profliget, magis idoneus obtingere vix poſſe videatur. Si qui vero adhuc divinum illud beneficium calumniari, & ſuſpectum reddere, & Medicos ægrotoſque, quantum fieri poteſt, ab uſu ejus abſterrere amant, veretur, ne iſti tandem Deo, medicinæ datori, difficulter rationem reddituri ſint, vel vanæ timiditatis, vel præfractæ in morborum impetu permittendo temeritatis, immitiſque in omittendo miſerorum ægrotantium levamine pertinaciæ, ni abunde moniti,meliora acceptare, aut acceptata candide profiteri, aut ſaltim, donec uſum multiplicem ab abuſu diſtinguere cognoverint, tacere,diſcant. Addidit, quæ majorem fere Operis partem efficiunt, ubique Annotationes, textui ſubjunctas,quibus judicia,experimenta, & amœnitates, ex aliis Autoribus conquiſitas, admiſcuit, varias etiam hic illic, data occaſione, alienas quidem aliquo modo a proprio tractationis argumento, ſed præſtantiſſimas tamen,& experientia confirmatas, veritates medicas per digreſſionem explicuit, ſententias & conjecturas theoreticas, pro ſentiendi libertate, omnibus permiſſa, interſperſit, Illuſtriſque *Stahlii*,& plurium ejus aſſeclarum,placita, ea tamen, qua in ejusmodi controverſiis decet, modeſtia, confutavit. Et, quanquam ipſemet ſtili negligenter labentis nævos ſua pro modeſtia excuſat, is tamen tantum a barbarie, quæ pleriſque noſtrorum temporum Medicis in arte ſua placet, abeſt, ut potius dictionis nitore hoc Opuſculum longe commendabilius reddiderit. Poſtquam hæc generatim de hoc Opere præfati ſumus, nunc quoque potiora ejus momenta hic repetamus. Cumque in *ſex* abeat *Sectiones*, *prima* earum affectus notitiam, pericula, ſigna, cauſas, exponit. Pernicioſus ille, qui febribus nonnunquam inopinato ſupervenire ſolet, & de quo hoc libro præcipue agitur, affectus, ſopor nimirum ille profundiſſimus, apoplexiæ nomine vocatus, carus dici meretur, ut ex da-

Sect. I §. 1.

ta

ta hujus morbi definitione satis patet. Quanquam vero tam §. 2.
a veteribus, quam recentioribus, Medicis, magno numero re-
censitis, ejusmodi febres jam commemorantur; Cel. Autor 3.
tamen inprimis in statu epidemio novissimo inde ab A. 1726
& 1727, quibus omnium generum febres tam frequentes ha-
buerunt circuitus, in intermittentium verarum paroxysmis, ve-
ternum annotavit profundissimum, haud raro, ubi invasit, per-
niciosum, & veræ apoplexiæ immedicabilis nomine dignum.
Unde quidem perspicuum est, de laudibus febris, ejusque in- 4.
dole perpetuo tuta, & quasi sacrosancta, nostro hoc ævo tam
operose decantatis, non adeo magnifice sentiendum, merito-
que iis, qui de noxis & imposturis febrifugorum vociferantur,
noxas earum febrium & imposturas ad animum esse revo-
candas, quas Autor, eundo per omnes intermittentium classes,
commonstrat, *Hippocratis*que sententiam, qua niti vulgo so-
lent salubritatis patroni, vindicat, & egregie illustrat. Oritur 5.
autem ille sopor utplurimum in tertianis, vel quartanis, inci-
ditque in tertium primariæ accessionis paroxysmum, sive in
diem morbi quintum, aut ubi accessiones valde anticiparunt,
quartum. Pulsus in plerisque frequens est, in quibusdam ra-
rus & tardus, exantlato paroxysmi tempore naturalis, in multis
durus & intermittens animadvertitur. Ceterum caro hoc cor-
repti, sine omni sensu & motu jacent, ut nec digitum moveant,
& sola respiratione, ore hiante, singultim, & cum stertore fa-
cta, a mortuis distinguantur. Nonnullis prima statim vel al-
tera talis accessio exitio fuit. In aliis, quando desinebat pa-
roxysmus, solvebatur, ita tamen, ut obtusiores tum quoque sen-
sus viderentur, neque plane integri, & quodam quasi stupore
præoccupati. At sub ingressum novi paroxysmi, iterum so-
pore plerumque, sæpe apoplexia insanabili, affecti, sub iis ipsis
rarius post aliquot demum dies exspirarunt, nonnullis, advo-
cato mature satis Medico, ab instante paroxysmo & mortis
periculo vindicatis. Unica enim, cum morbo diu conflictata,
sine medicamentis cum sanitate rediit in gratiam. Signa au- 6.
tem, e quibus tam grave malum instans prænoscitur, a Nostro
hæc recensentur: 1) in primo vel secundo paroxysmo, vel, ubi

serius

ſerius malum invadit, præcedentium acceſſionum aliqua, profundior naturali ſomnus, 2) urina craſſa, coloris intenſi, ſubfuſci, lixivii, in quibusdam ad nigrorem vergentis, cum innatante quaſi pinguedine aliqua, valde etiam fœtens, & præſertim cum frequenti micturitione, & dyſuria, aut ſtranguria, prodiens, 3) ſanguis vena ſecta floridus plerumque, & ſatis æquabilis, ſed copioſiſſimo ſero virideſcente perfuſus; interdum variegatos colores oſtendit; aliquando ſeri pars viſcidior ſuperius in liquamen gelatinæ inſtar coierat, in fornicem quaſi elevata, pars autem ſeri cum intermixtis grumis ſanguinis, patellæ adhærentibus, inferius fluctuavit; 4) dolor hypochondriorum; 5) cardialgia gravis; 6) ex cauſis antecedentibus medicamenti purgantis, etiam lenioris, uſus, ſine expectata aut præſtita coctione, & non bene judicatis orgaſmi & vergentis naturæ indicationibus; 7) potus & remedia ſpirituoſa & calida; 8) corpus ſenile cholerico-melancholicum, ſcorbuto calido affectum, bilioſum, & ſuccis craſſis, acribus, & ad putredinem vaporiferam pronis, plenum, nervis & viſceribus, cerebro inprimis, ac hepate, debilioribus inſtructum, menſium & hæmorrhoidum, aut aliorum excrementorum, capiti minantium, turbis anomalis obnoxium, ſcabie & ulceribus male ſanatis corruptum, & gravibus diætæ vitiis, ex quibus ſucci craſſi, & vaporibus ſulphureis mixti, generantur, bilis anomaliæ foventur, & robur viſcerum enervatur, afflictum. In tertianis ejusmodi epidemiis cum ex aliis ſignis, tum ipſa etiam ſectione, patuit, bilis præcipue officinam, craſin, & directionem, valde fuiſſe vitiatam.

Sect. II. *Sectio ſecunda* curationem remedio certo & opportuno tempeſtivam indicat. Id vero remedii certi tutique genus, corticem chinæ eſſe monet. Quippe ex aliorum æque, ac ſuis, multiplicibus experimentis, tam perſuaſum habet Cel. Autor, quam quod in toto artis medicæ ambitu maxime, hujus medicamenti particulas humano corpori ſano, æque ac innocentiſſimum quodvis medicamentum vegetabile, moderate amarum, & aromaticum, ſubadſtringens, innocuas eſſe, neutiquam autem per ſe nocivas, aut venenatas.

§. 3. Hinc totus eſt in eo, ut probet corticis innocentiam, & ab objectio-

jectionibus, suspicionibus, & injuriis aliorum, vindicet. Sed & §. 4.
alia simul remedia febrifuga secura enumerat, morbosque, qui- 5 seq.
bus convenit cortex, quibusve minus congruit, exponit. *Se-* Sect. III.
ctio tertia medicinam, tum habitu & præparatione corporis,
tum electione, dosi, continuatione, efficacem, exhibet. Quan- §. 1.
quam, in tempore parandam esse medicinam, Cl. Autor recte 2.
inculcat, nihil tamen in paroxysmo non admodum soporoso moliri decet, nisi ut febris pro circumstantiarum ratione consueto modo tractetur. Ubi ægrum sopore jam aut apoplexia oppressum reperit, apoplectici instar affectus, sed cum febre juncti, curavit morbum vesicatoriis pluribus, ad carpos, nucham, & ipsi capiti raso admotis, venæsectione justa, scarificatione, hirudinibus, sternutamentis ex elleboro albo, vel turpetho minerali, frictionibus, aliisque notis excitantibus & epispasticis, exeuntis maxime paroxysmi tempore. Postquam condocuit, 3.
quomodo cortex eligendus comparatus esse debeat, & notitiam ejus externam copiosam atque exquisitam tradidit, ubi il- 4.
le locum habet, exeunte, & in intermissionem, imo vel remissionem satis notabilem, terminato paroxysmo, facta vel omissa pro indicationibus evacuatione, drachmam integram ejus in pulverem redacti tertia vel altera quavis hora exhibitam abs se esse, commemorat, quocunque modo minus nauseoso deglutiri commode potuit, ut uncia una aut etiam amplius in accessionum intervallis assumta, vel penitus instantia symptomata averteret, vel minueret certe, & periculum amoliretur. Ubi deinceps larga copia, & sine correctione, dandum esse corticem disputavit, singularem exhibendi medicaminis methodum ita enarrat: Datum pro re nata felicissime est medicamentum, vel solum, vel additis, aut interpositis succo nasturtii aquatici, & inde paratis, potu Thee, Cafe, spiritibus & salibus volatilibus acidis, alcalinis, mediis, qui & venenis soporiferis adversantur, & corticis virtutem intendere creduntur *Rajo*, *Pitcarnio*, *Hoffmanno*, *Mangetto*, *Cobausio*, & aliis. Redeunte forsan paroxysmo, qui, si recte fiunt omnia, teste multoties repetita experientia, levior & periculi expers futurus est, non nisi quæ temperant & reficiunt, dare licebit, omisso

tantiſper cortice, donec accedat declinatio. Regimen & διαφόρησις, quæ æque ac διὐρησις & aliæ excretiones naturæ roboratæ viribus expeditius a cortice ſuccedere ſolet, juſto in moderamine ſervari debet. Paroxyſmo & ſudore penitus exantlato, removenda ſunt lintea, halitu ſebriculoſo inquinata, quæ mutatio deinde etiam ad plenam uſque ſanitatem eo tempore repeti debet, ea cum cautione, ut lintea probe ſiccata, &
§. 5. alii forte homini ſano per noctem adhibita, uſurpentur. Declinante acceſſione, repetendus eſt ſtatim cortex, nullaque alia medicina, niſi quid urgeat, interpolatus, in notabiliorum paroxyſmorum intervallis tertia vel quarta quavis hora dandus, neque deſiſtendum eſt prius, quam paroxyſmi fugati ſint penitus, & æger cum ſanitate in gratiam rediiſſe videatur, adjuvante optima diæta, &, quamprimum fieri poteſt, moderato
6. motu in aere liberiori puriorique. Quæ porro deinceps conveniant, perſequitur, ſimulque ſymptomatum, a febriculoſi protei reliquiis, & ægri conſtitutione, dum ſit medicatio, exortorum, e. g. hæmorrhoidum cœcarum, teneſmi, alvi adſtrictionis, aurium tinnitus, ſurditatis, temulentiæ, rhevmatiſmi,
7. tuſſis, dolorum, diarrhœarum, paſſionum hypochondriacarum, ſcorbuti, febris lentæ, &c. curationem explanat, exempla ſimul
8. aliquot abs ſe curatarum febrium ſoporoſarum refert, & ad extremum, ſi quid a febre relictum eſt, id non fraudibus corticis imputandum eſſe, monet, eosque ſatis refellit, qui cortici
Sect. IV. impoſturam tribuere non verentur. *Sectio quarta* de prænoſcendis & præcavendis febribus recidivis agit, & medelam
§. 1. oſtendit ordine & repetitione adæquatam. Quanquam certum eſt & indubitatum, febres, china curatas, nonnunquam reverti; redeunt tamen ex ingenio ſuo, redieruntque ſemper ante uſum chinæ introductum, quod probatiſſimis omnis ævi obſervationibus conſtat, ut nunc etiam alia quacunque via tractatæ facile poſt aliquot tempus vires recipiunt; e contrario autem aliquando vel chinæ uſu, vel alia methodo, depulſæ penitus ceſſant, nunquam reverſuræ. Cumque febres recidivæ in veras, ubi ad integritatem actionum redierat æger, vel nothas, ubi morbidi motus non penitus ceſſarant, dividantur;

hæ

hæ a qualibet naturæ vel artis ope imperfecta frequentiſſime
contingunt, illæ vero fiunt vel poſt febres ſua indole reci-
divas, quacunque ex curatione deſiverint, vel poſt eas, quæ
diuturniores futuræ remedio interceptæ fuerant, quod mate-
riam profundius latentem & immaturam, ſed ſponte deinde
renaſcentem, attingere uno curationis filo non potuerit;
quamvis, ſi id juſto tempore repetatur, reverſio certo præpedi-
ri poſſit. Vulgaris igitur eſt, ſed manifeſtus, error, quo ipſi
remedio recidivæ febres, quaſi ipſi aquæ incandeſcens incen-
dium, imputantur. Quam febrem recidivam poſtquam ab ipſa §. 2.
febre ſæpius oriri ulterius deduxit Cl. Autor; non eſſe præ-
ſtantiorem ad hos reditus præcavendos medicinam contendit, 3.
quam ut prima febris primo quoque tempore, ubi tuto id fie-
ri poteſt, uſu corticis fugetur; eoque continuato, ad omnium
functionum integritatem æger perducatur. Quamvis vero 4.
etiam poſt febres ſoporoſas novus inſultus aliquando redierit, is
tamen fuit cari & apoplexiæ metu vacuus, & ſat facile ſana-
bilis, ac longe plerumque priori mitior. Tempus reditus ex
cauſis extraordinariis eſt incertum. Cum vero poſt integre
reſtitutam corporis œconomiam a medelis plane abſtinuit æ-
ger, neque ſontica quadam cauſa præmature morbum revo-
cavit, multiplici experientia cognitum eſt Cl. Autori, febres ex
tertianarum genere recidivas longe plurimas aliquo ſecun-
dæ hebdomadis die, ſive poſt quartam lunaris menſis par-
tem ab omiſſa remedii aſſumtione, contigiſſe, atque, ſi ope na-
turæ aut artis rurſum evanuerint, ſemel, vel aliquoties ſæpe,
præterea pro morbi ſtatusque epidemii ingenio alternis ſem-
per hebdomadibus, reverſas eſſe, vel molimina ſaltim ſatis ma-
nifeſta oſtendiſſe. Imo id ipſum ſub aliis interdum circum-
ſtantiis contigit, ſuo etiam modo in quartanis & quotidianis
veris ita ſe habet. Quæ omnia aliarum quoque obſervatio- 5.
num, quamvis ea obſcurius ſignificent, conſenſu confirmantur.
Idcirco, quando cortex id efficit, ut ad delendam febrem nihil 6.
ſupereſſe videatur, deſinit Cl. Autor illum exhibere, & liben-
ter quidem circa phaſeos alicujus lunaris tempus. Inde vero
omittitur omnis medicatio per hebdomadem accurate unam,

five ad proximam circiter lunæ phasin, quod tunc superflua foret. Octavo autem die, ubi sensus febris adhuc abest, omnibusque per totam hebdomadem consecutis, corticis usus continuatur, non prohibente mensium hæmorrhoidumque fluore. Securius ad primum vel secundum usque posterioris hebdomadis diem medicatio portenditur, quam ante statutum tempus ab ea abstinetur. Si qua fuerit febris tertiana simplex, vel duplex vulgaris magis chronica, & quæ typum adsciverit constantem, sufficit dosis ad scrupulum unum, aut drachmam dimidiam, aut integram, aut duas, pro morbi indole, singulis, aut alternis, pro typi ratione, diebus, per totum octiduum exhibita, bihorio forte ante illud tempus, vel eo ipso tempore, quo paroxysmus expectari debuisset, si perdurasset febris. In istis vero morbi præcavendis reversionibus, ubi periculi instantis causa, & typo ad tertianæ duplicis, vel multiplicis, & instabilis, naturam prono, propinatur cortex, non semel aut bis solum minutis maxime dosibus tractari debet febris reditura, ni supprimatur ex suo ingenio, sed potius quinquies aut sexies scrupulus unus, aut drachma media, aut ter in die, vel bis certe, integra drachma exhibeatur, aut robore fere par alicujus decocti, infusi, vel extracti, dosis. Eodem deinceps modo, si morbus præsertim pertinax & chronicus, ex sui ingenii vel corporis ratione, futurus fuisse videtur, & regimen haud omnino exquisitum sperare licet, & constitutio epidemica vel contagium ad inducendas febres inclinat, iterum iterumque per hebdomadem conquiescere, & per alteram vel octiduum medicamento uti, oportet. Tunc autem, victo subiti periculi & soporis, inflammationisque, & continuæ febris, periculo, infusum etiam vinosum, ad *Talbotii* vel *Sydenhamii* saltim mentem paratum, egregie conducit. Quodsi sub hoc usu repetito motus quidam febriculosi cooriantur, qui tamen non aliud remedium, quam continuatum ejus ad exitum usque hebdomadis usum, postulant, necesse est, ut, postquam rursus per hebdomadem unam intermissa fuit medicina, altera insequenti eadem repetatur, neque ab ejusmodi alternis vicibus cessetur prius, quam alternæ morbidorum motuum vices per suas hebdoma-

domades redire penitus deſinant. Atque hæ regulæ ceteris
etiam, quæ febrem domant, remediis, ſalibus præcipue ama- §. 7.
ris, conveniunt, & in præſervandis quoque recidivis quotidia-
nis, quartanisque, locum habent, modo non alterna, ſed ter-
tia quavis hebdomade repetatur medela prophylactica, quod
Noſter pluribus declarat. *Sectio quinta* nonnulla de conſtan- Sect. V
tia effectuum, & ſecuritate methodi, ſubnectit. Quippe hanc §. 1.
adeo ſecuram reperit Cl. Autor, ut, pauciſſimos ex plurimis
hac methodo abſoluta perſanatis ſub gravibus etiam cauſis fe-
brem denuo paſſos eſſe, obſervarit, dum alii innumerabiles,
quos natura, vel ars minus certa, ſanitati reſtituit, ſub hoc ſtatu
epidemio novos inſultus frequentes, graves, difficiles imo ſæ-
pius ſine cortice vix tollendos, ſuſtinuerunt, etiamſi cauſa gra-
vior allegari vix potuit. Hæcque ſecuritas & ſalubritas 2.
per nubem teſtium Medicorum, ſcilicet ex omnibus Provinciis
præſtantiſſimorum, corroboratur, atque apparens quorundam 3.
diſſenſus, & incongrua doſeos cenſura, itemque præparationis 4.
& expectationis laudatio, & opinio de motibus ſine materia
demum ſiſtendis, ſub examen revocantur. Cumque de quo- 5.
rundam diſſenſione vera & hæſitatione, variis ex cauſis orta,
melior ſpes ſuperſit, naſutuli & artis medicæ ignari monentur, 6.
ne ſua ſapientia, & de corticis damno perſuaſione, alios a ſa-
lutari uſu detineant, experientia nonnullorum experientia ve- 7.
ri nominis recte convellitur, abſoluta cura, reliquias neque a 8.
febre, neque a remedio, metuendas eſſe, ſed ſanitatem potius,
& robur viſcerum, egregie augeri, docetur, & medicamenti 9.
denuo innocentia permultis exemplis, ex propria experientia
deſumtis, declaratur. *Sectio* denique *ſexta* obſervationes & Sect. VI.
conjecturas ætiologicas de modo, quo operatur remedium, ty-
pisque, & periodis, proponit. Recte inculcatur, perperam illi §. 1.
vim mere adſtringentem tribui, ſed multa potius ante excu-
tienda eſſe, quam virtus ejus eruatur. Putat vero Doctiſſ.
Autor, remedium hoc particulis leniter adſtringentibus, tonum
fibrarum atque nervorum, inprimis ventriculi, inteſtino-
rum, ductuumque, & glandularum, eo pertinentium, & eviden-
tiſſime quidem vaſorum biliariorum, quin imo latius diſſe-
minata virtute, reliquorum etiam vaſorum & viſcerum

 totius

Digitized by Google

totius corporis roborare, eademque vi tonica & balſamica craſin chyli, ſanguinis, & humorum, inde derivatorum, bilioſi maxime, pancreatici, & ſimilium, nimis exſolutam coercere, particulis temperate amaris, ſaponaceis & aromaticis digerere, abſtergere, & quaſi bilis vices gerere, & hanc inertem vel vapore corruptam, ac alios humores, ſimiliter vitiatos, chylumque inprimis corrigere, earundem vero particularum ſulphure leniter anodyno, quod amara & aromata & balſamica habere ſolent, fibras & nervos demulceri, minores præſertim, & a contactu terreæ & ſalinæ fixioris ſubſtantiæ remotiores, & qui neque inſigni ſpaſmo actu conſtringantur, neque niſu, vim remedii ſuperante, ad eum proxime inclinant; tonum pariter ſenſumque nervoſiorum partium alicubi, in ventriculo præcipue, & ubi ſalium excretiones peraguntur, ſtimulari ſale earundem particularum medio fixiori, &, quod in ſinu ferunt, volatili oleoſo, quamvis id haud omnino corpore eliciatur; iisdem quoque ſalibus, & ipſa laxiori partium vaſorumque majuſculorum, & exquiſitiori ſenſu pollentium tonica adſtrictione, leniter deinde aperiri obſtructas vias, relaxari vaſa minora remotiora, & minus ſenſu prædita, & ſuccos aliquantum viſcidiores incidi, atteri, promoveri, fluidioresque reddi. Ex his forſan explicari debet potentia remedii manifeſta in curandis febribus aliisque morbis. Si cui vero hæc non ſufficiant, omne erit perfugium in virtute illa celebratiſſima febrifuga ſpecifica, cujus ope materia febrilis certiſſime, ſi reliqua recte ſe habent, corrigatur & ſubjugetur, & iſta plerumque, qua naturæ niſus eſt, via exterminetur; pro varia vero & imperfectiori medicatione afficiatur plerumque, ſed diverſo & imperfectiori effectu. Illud vero mirabile eſt, quod natura humana in febribus ſeu typis & periodis diurnis, ſeptimanis, ſive octonis, menſtruis, annuis, quaſi ad legem naturæ univerſi ita adſtringat, ut in horographicos aſtronomicosque calculos juraſſe videatur, quod latius eleganterque deducit Noſter & probat. Cauſæ hujus rei obſcuriſſimæ, nec dum detectæ, habentur. Novas Cl. Autor conjecturas hic affert, dignas utique, quas non prætereamus. In ipſa, quæ humano generi com-

munis

munis eſt, craſi ſanguinis, aut etiam in fibris motricibus, eſt aliquod connatum, & perpetua cum externo aere communicatione ſuſtentatum, elementum, ubique fere ſimile, aereum, elaſticum, quod arcte intextum eſt texturæ naturali fluidarum ſolidarumque corporis partium, earumque compage coercetur, ne oſcillatione ſua & niſu elaſtico alios, niſi ſalubres & naturales, motus, aut ſervores, facile cieat. Illud ipſum, ſi qua de cauſa expandatur nimium, & ſui juris plus juſto fiat, ultra craſeos humorum æquilibrium, ſi præſertim inquinetur a particulis peregrinis, vel male moveatur, eum orgaſmum inducere valet, qui fervorem hunc typicum repræſentet, hanc naturæ luctam, cum eo, quod alienum eſt, quam febrim vocamus. Illa ipſa materia elaſtica humani corporis ob intimam immixtionem pars, pars tamen etiam eſt purioris & ſubtilioris athmoſphæræ aereæ, & hujus motus naturales & adventitios ſequi amat per mechanicam homogeneorum & connexorum rationem. Eosdem forte magis minusque accurate ſub ſtatu febrili ſequitur, & oſcillante ſuo motu periodos & typos regulares qua tales inducit, ſed qui diverſi evadant, neceſſe eſt, pro admixtæ materiæ alienæ, pro aucti, imminuti, preſſi, relaxati, elateris diverſa ratione, & proportione ad humores fibrasque corporis, quæ itidem ſingula mechanico motu & niſu nativo gaudent. Hi typi, hæ periodi ſervant eapropter plerumque ſuo modo reſpectum ad naturalem illum, & ſecundum ſolis & lunæ periodos, ad horas, dies, hebdomades, menſes, annique tempora, ordinatum athmoſphæræ totius, præſertim qua purioris, motum perpetuum, fluxumque & refluxum, quem tot ac tanta effluvia terraquea, inferiori aeri immixta, turbare penitus non poſſunt, licet diverſo modo afficiant, & mutent, uti etiam aer noſtro corpori intus admixtus varias mutationes a partibus ipſius corporis, & a peregrinis ſæpe inquinamentis, patitur. Quod vero aliæ atque aliæ febres alios atque alios typos, ſibi accurate reſpondentes, habeant, cauſa eſt materialis, & corporea, non moralis, quæ motum febris cujuslibet naturali conſecutione ciet, eaque materia craſin & elaſticam vim habere debet ſingularis generis, quamdiu typum

typum ſibi peculiarem excitat. Naſcitur illa forſan a peregrina impuritate aquoſa & aerea, ex aquis in variam, lixivam, ſulphuream, & vaporoſam, fortaſſis etiam verminoſam, putredinem ſtagnatione & elateris expanſione, & motu partium inteſtino, reſolutis, hauſta infeliciter vel in cibis ſumta, vel ex pariter corruptis alicubi ipſius corporis ſuccis, aut ipſius partibus ſolidis, oriunda. Talis materies pro diverſa ſui & corporis, & ambientis aeris, conſtitutione ad orgaſmum diverſe febrilem excitandum prona fieri potuerit, ſi certis tum viſceribus & fibris, tum ſanguinis, ceterorumque humorum partibus ſe profundius inſinuet, atque partes quidem ſolidas in obeundo munere turbet, humores vero varia ratione corrumpat, & aerem internum æquilibrio moveat. Ex hac deinde motus & mixtionis & æquilibrii turbatione, atque ita ex conjunctione & proportione ſpecifica præternaturalis illius humoris cum aliquo naturali, qui ex ſua indole jam ad motus quotidianos, tertianos, quartanos, magis aptus ſit, & ex motu præter naturam hinc neceſſario mechanice conſequente, continentem cujusque febris paroxyſmi ſymptomatum, periodi cauſam oriri, probabile eſſe videtur. Neque enim vana omnino veterum eſt ſententia, a bile tertianas, a parte ſanguinis magis terrea & ſalſa quartanas, quotidianas ab hac ac pituita ſimul fieri, & ſeroſos ſalinosque humores moveri ſolere quotidie, bilem ſaponaceam flavam & amaram fervidiorem tertio, atram ſalſam & auſteram graviorem quarto die, ſicubi inquinentur maxime, & reſtagnent, & incitentur. Fieri autem illa cuncta videntur ad Mechanices & Hydroſtatices regulas, ad quarum normam contingit tum generatio cujusvis materiæ febrilis, tum quies ejus typica, niſi tunc motus potius inſenſibilis eſt, & commotio denuo notabilis, exaltatio, & orgaſmus acceſſioni excitandæ ſufficiens, & reliqua, quibus febriles motus abſolvuntur.

§. 2. Cauſæ autem illorum intervallorum, quatenus ſiderum periodis diurnis, ſeptimanis menſtruis, annuis reſpondere, & horas, dies, hebdomades, menſes, numerare videntur, quærenda forſan eſt in proportione materiæ febrilis, aerisque elaſtici, qui illius, ut omnium in corpore humorum, parterа

tem conſtituit, ad aerem athmpſphæricum. Atqui hic non ſolum vaporibus terraqueis tempeſtatibusque mutatur, verum etiam oceani inſtar regulares ſiderum circuitus ſequitur, & ventum exinde generalem ab Oriente in Occidentem excitat, ut quotidiana ſolis maxime periodus fert,imo ipſos fluxus & refluxus ordinatos, quamvis ſenſibus haud obvios, patiatur, neceſſe eſt, per dierum, menſium, & anni, mutationes mutandos, ad mechanicum ſolis,vel terræ potius, & lunæ, motum,quæ ſidera ætherem inter & terrarum orbem per ordinatas periodos quotidie per ſingula puncta ſemel ſua corpora interponunt. Ne quid dicatur de effectibus hanc in rem ceteris manifeſtioribus quotidianæ annuæque ſolis periodi in aerem corpusque noſtrum. Ut adeo non ſolum ſubtilior aer conſtanter ita typice moveatur, ſed & venti & tempeſtates, aliaque meteora, aliquem ſemper ſuo modo reſpectum ad hanc generalem motionem ſervent. Qualis reſpectus in corpore etiam humano, pro diverſis ejus partibus, quarum motus per ſtructuram & texturam longe magis exquiſite regulares ſunt, & quæ aerem ſubtiliorem includunt, juſta proportione ſervari debere videtur. Et, poſtquam objectiones forte excogitandas diluit Cl. Autor, plures deinde periodos & circuitus in ſtatu ſano & morboſo ſine febre attingit, inprimisque ad periodi menſtruæ naturalis in fœminis rationes explicandas multa, eaque egregia, ſubminiſtrat, quæ tamen hic,ne juſto longiores ſimus, repetere non vacat. Deinde,ubi conſenſum practicum cum theoria mechanica & organica, quas leviter diverſas eſſe oſtendit, indicavit, egregie explicat, quid per naturam humanam conſervantem, ſanantem, errantem, indicantem, intelligi debeat. In epicriſi monet, has ſuas obſervationes non ad hujus theoriæ, ſed experientiæ,tribunal eſſe vocandas, multaque de vitæ ſtudiorumque rationibus ſubjungit. In Addendis denique agit de præſtantiſſima corticis virtute in ſphacelo curando, ſæpius jam in hoc libello tradita, nunc vero pluribus exemplis confirmata. Quod ſupereſt, vitam, bonamque valetudinem, & inprimis honeſtum otium, Cl. Autori comprecamur, ut non ſolum affectum de febribus intermittentibus Opus

§. 6.

8.

9.

Digitized by Google

systematicum ad colophonem perducere, sed pluribus etiam limatissimis libris gloriam artis medicæ asserere & tueri, queat.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE &c.

h. e.

COMMENTARII, HISTORIÆ CELEBERRIMOrum in Republica literaria Virorum inservientes. Accedunt Catalogi librorum, a singulis scriptorum, de iisque judicia.

Tomus XIX.

Lutetiæ, apud Briassonium, 1732, 8.
Plag. 18, & totidem pl. dim.

Satis hic fit eorum desiderio, quibus cognoscere volupe est vitam & scripta *Ambrosii Camaldulensis*, qui, *Emanuelis Chrysoloræ* discipulus, Latina multorum librorum, a Græcis Ecclesiæ doctoribus scriptorum, versione, inprimis Latina interpretatione *Diogenis Laertii*, clarum consecutus nomen est, factus etiam Ordinis sacri Camaldulensis Generalis, m. A. 1439 d. 21 Octobris; *Helenæ Lucretiæ Cornaræ*, m. A. 1684 d. 2 Julii; *Jo. Petri de Valbonnays*, scriptoris *Historiæ Delphinatus*, m. A. 1730 d. 2 Martii; *Olai Borrichii*, m. A. 1690 d. 30 Oct. *Marci Battaglini*, m. A. 1717 d. 15 Sept. Episcopi Cæsenatis; *Thomæ Jamesii*, m. A. 1629 mense Augusto; *Jani Cordesii*, cujus nomen sua Bibliotheca fecit nobile, m. A. 1642; *Joach. Camerarii*, m. A. 1574 d. 17 April. *Franc. Mothæi Vayerii*, m. A. 1682, anno ætatis octogesimo quarto superato; *Petri Guillebaldi*, sive *Romualdi*, m. A. 1667 d. 29 Martii; *Petri Danesii*, m. A. 1577 d. 23 April. *Degorei Wheari*, m. A. 1647 d. 11 Aug. *Hippolyti Julii Pileti Mesnardierii*, m. A. 1663 d. 4 Junii; *Bernardini Ochini*, qui falso traditur esse conditor Ordinis Capucinorum, m. A. 1564; *Martini Lipenii*, m. A. 1692 d. 6 Nov. *Joannis Bruyerii*, Scriptoris *Characterum moralium*, m. A. 1696 d. 10 Maji; *Nicodemi Frischlini*, m. A. 1590 d. 29 Nov. de cujus vita scriptisque non ita pridem prodiisse Cl. *Car. Henr. Langii*, Gymnasii

mnasii Lubecensis nunc Sub-Rectoris, Commentarium luculentissimum, addimus; *Christiani Hugenii*, m. A. 1695 d. 8 Junii; *Joach. Frid. Felleri*, Lipsiensis, m. A. 1726 d. 15 Febr. *Engelberti Kæmpferi*, m. A. 1716 d. 2 Nov. cujus *Historia Japonensis*, e Germanico in Anglicum & Belgicum sermonem traducta, prodiit A. 1727 & 1729; *Hermanni Conringii*, m. A. 1681 d. 12 Dec. *Antonii Fabri*, m. A. 1624 d. 1 Martii; *Claudii Fabri Vaugelasii*, m. A. 1650 mense Februario; *Q. Marii Corradi*, m. A. 1575; *Sebastiani Corradi*, m. A. 1556; *Hugonis Grotii*, m. A. 1645 d. 28 Aug. *Jacobi Goari*, m. A. 1653 d. 23 Sept. *Jo. Isaaci Pontani*, m. A. 1640, & *Guil. Xylandri*, m. A. 1576 d. 10 Februarii.

Libet paucis hinc repetere vitam *Petri Danesii*. Natus is A. 1497 Lutetiæ, totum se juvenis dedit literis humanioribus, nactusque Græcis in literis magistros *Jo. Lascarem*, & *Guil. Budæum*, usque adeo profecit, ut A. 1530 a Rege, *Francisco I*, crearetur Professor linguæ Græcæ: quo in munere discipulos habuit *Amiotum*, *Billium*, *Brissonium*, & *Auratum*. A. 1546 Legatus missus est ad Tridentinum illud Concilium: ad quod & Orationem habuit, paulo post editam. Hinc factus est præceptor *Francisci II*, ejusdemque deinde Confessarius: tum A. 1557 Episcopus Vaurensis. A. 1562 iterum abiit Tridentum, in eoque Concilio Episcopo cuidam Italo, Galli cujusdam Episcopi querelas de curiæ Romanæ abusibus hac voce excipienti, *Gallus cantat*, hunc in modum nervose respondit: *Utinam ad hujus Galli cantum excitaretur Petrus, & fleret amare!* Ibidem ursit concessionem calicis in sacra Cœna: quanquam nullo successu. Oratione eum funebri laudavit *Gilbertus Genebrardus*. A. 1533, alieno adscito nomine, emisit *Plinium majorem*, & quidem diligenter emendatum. Opuscula ejus A. 1731 conjuncte sunt edita Lutetiæ. Addimus nos, vitam *Danesii* etiam persecutum esse *Amelotum de la Houssaie* in *Commentariis historicis & literariis*, Amstelodami A. 1722 editis, & quidem in *Tomi secundi p. 189 - 208.* Nec prætermittendum nobis videtur Elogium *Jul. Cæs. Scaligeri*, ita *Exerc. 307 Sect. 15* differentis: *Pe-*

trus Danesius, modestissima prudentia, summo judicio, maximis operibus, ea molitur, quæ præsentis seculi fidem, posteritatis omnem superent exspectationem.

ALBUM BAVARIÆ IATRICÆ, SEU CATALOgus celebriorum Medicorum Bavariæ, ab Anno 1450 in hodiernam usque lucem continuatus, studio & labore FRANC. JOS. GRIENWALDT, Med. Doct.

Monachii, typis Riedlinianis, 1733. 8.
Plag. 10½.

Ex *Præfatione* discimus, in *Bibliothecis Medicis*, quas concinnarunt *Schenckius*, *Spachius*, *Lindenius*, *Lipenius*, *Beughemius*, *Mangetus*, alii, perraram esse mentionem Medicorum Bavariæ; in *Melch. Adami* vero *Vitis Germanorum Medicorum* vix unum e Bavariæ Medicis produci, *Laurentium Gryllum*. Quæ res Cl. Autorem permovit, ut eorum *scripta*, quotquot reperire potuit, (*vitas* enim eorum describendas permittit aliis,) referret hunc in *Catalogum*, eumque publicæ luci exponeret. Quod insigni futurum esse credimus laudi Cl. Autori, præsertim cum, ut ipsemet docet, Bavaris adhuc non fuerit moris, vitas civium suorum ingenio clarorum describere, ac *Valentinus Rotmarus*, cujus *Vitæ Theologorum & JCtorum Ingolstadiensium* A. 1581 prodierunt, successorem in hoc scripturæ genere habuerit neminem. Instare vero nunc non exiguam Historiæ literariæ messem in Bavaria, inde conjicimus, quod (& hoc ex Præfatione hac didicimus,) inde ab A. 1722 usque ad A. 1728 edita fuerunt Monachii *Nova Literaria Bavarica*, ita inscripta; *Parnassus Boicus, oder Neueröffneter Musenberg, worauf verschiedene Denck- und Lesswürdigkeiten aus der gelehrten Welt, zumahlen aber aus den Landen*

den zu Bayrn, abgehandelt werden. Ceterum *Catalogus* hic, Alphabetico contextus ordine, ſubinde adjectas gerit Annotationes Biographicas. Nos clariores (certe in Bavaria clariſſimos) Medicos Bavariæ inde producemus in medium, quorum nonnulli ſunt adſcribendi polygraphis. Sunt ii *Jo. Agricola*, Profeſſor Ingolſtadienſis, m. A.1570; *Jo. Joach. Becherus*, m. A. 1685, cujus tantum illi libri hic loci nominantur, quos edidit Monachii; *Jo. Lonæus Boſcius*, m. A.1585; *Leonardus Fuchſius*, ob Lutheranam religionem delatus Tubingam; *Malachias Geigerus*; *Laurentius Gryllus*, m. A. 1560, cujus vita, ab ipſomet luculenter expoſita, *p. 41 - 61* exhibetur; *Wolfgangus Hæverus*, m. A. 1647; *Edmundus Hollyngus*, m. A. 1612; *Cyriacus Lutzius*, qui in captivitate (fuit enim a Turcis captus,) libros conſcripſit aliquot; *Jo. Jacobus de Maphæis*, m. A. 1676; *Albertus Menzelius*, m. A. 1632; *Thomas Mermannus*, m. A. 1612; *Raymundus Mindererus*, m. A. 1621; *Jo. Adamus Moraſchius*, adhuc Profeſſor Ingolſtadienſis, isque πολύγραφος; *Jo. Bapt. Neeff*, ejus adhuc Collega; *Ferdinandus Sagittarius*, m. A. 1647, *quo* (ut ait Poeta *Jac. Baldius*,) *non major in orbe tabaci helluo*, & cujus in cadavere non cerebrum exſiccatum, uti Ulmenſis quidam Medicus ſcripſit, ſed cor ex toto tabidum, deprehenſum fuit; *Phil. Jac. Schœnfelderus*, m. A. 1685; *Franciſcus Ignatius Thiermairius*, (quod nomen & *Aventino* fuit, illi Bojorum Hiſtorico celebratiſſimo,) Profeſſor Ingolſtadienſis, cujus plurima ſcripta, partim edita, partim ad prelum ſubeundum parata, hic memorantur; *Jo. Jac. Treylingus*, adhuc Profeſſor Ingolſtadienſis, *Carolus Ferdinandus Vacchierius*, m. A. 1729; *Jo. Menradus de Vorwaltern*, m. A. 1724; *Jo. Albertus Wimpinæus*. Noſter in exitu libri hujus pollicetur, ſe libellum, nondum editum, *F. I. Thiermairii de Ortu & progreſſu Facultatis Medicæ Ingolſtadienſis*, brevi editurum, eumque non modo illuſtraturum eſſe Annotationibus, verum etiam ad hanc noſtram ætatem continuaturum: ſimul indicans, ſe nunc verſari in elaborando libro ſingulari *de aquis medicatis Bavariæ*.

NOVA LITERARIA.

Collecta magna labore Concilia in lucem proferre curarunt eruditi quamplurimi; eorum vero induſtria tam felices exitus non habuit,ut omnia eruere atque explorare potuerint. E cujusque Collectoris ſpicilegio crevit poſtremi ampliſſima ſeges. *Morlinus* provinciam illam primus ſuſcepit, cui poſtea ſucceſſit *Crabbus*, deceſſorisque Collectionem auctiorem fecit. *Crabbum* ſecutus eſt *Surius*, majore opum vi beatus, quem tamen ſuperavit *Binius*. *Labbeus* autem eos omnes Collectores vicit, obſcuravitque, edita Conciliorum ampliſſima Collectione. Præter ea, quæ marte ſuo inveſtigavit, Synodos in lucro appoſuit, quas in Opera ſua induxere *Ughellus*, *Marca*, aliique. Ab A. 1671 Scriptores aliquot, *Cotelerius* nempe, *Bollandus*, aliique, Eccleſiaſtica monumenta in lucem edidere, atque inter ea Synodis locum vindicarunt. Ceteri ſingularia quædam Concilia in unum corpus abire juſſere. *Baluzius* non modo *Galliæ* Narbonenſis Concilia A. 1668, novæque Collectionis Conciliorum Tomum primum A. 1683 juris publici fecit, verum etiam nonnulla Miſcellaneis attexuit. Cardinalis *Saens d' Aguirre* Conciliorum Hiſpaniæ longe curioſam maximamque Collectionem vulgavit. *Beſſinus* Normanniæ Concilia congeſſit. Tanta opum acceſſione,non magnæ difficultatis fuit *Harduino*, ampliorem conficere editionem Conciliorum, quam abſolutam magis feciſſet, ſi, acceptis e variis Europæ regionibus Conciliis, atque iis, quæ a Collectoribus modo memoratis mutuatus fuerat, latentes apud diverſos Eccleſiaſticos Scriptores Synodos adjunxiſſet, tritum a *Labbeo* iter emenſus. *Coletus* denique Venetiis Conciliorum ampliſſimam Collectionem in lucem protulit; *Labbeanam* merito adoptavit, edita ab *Harduino* Concilia addidit, doctas Scriptoris celebris obſervationes in rem ſuam convertit, nec non Concilia, Synodaliaque Statuta,deſcripſit,quæ *Martenus*, ceterique id genus eruditi, in monumentorum Collectiones invexere. Quamvis Conciliorum varii Collectores laborem non contemnendum perfecerint; additamenta tamen multa ſupereſſe,certiſſimum eſt. In Gallia Vir quidam eruditus,cujus nomen adhuc ignoramus, præ manibus habet quamplurima Concilia,Synodosque,aut hactenus ignotas,aut

inedi-

ineditas, vel in Conciliorum Collectionibus deſideratas. Quantum ad Synodos attinet, eas ſolum repræſentabit, quæ ante A. 1300 habitæ fuere, *Labbei* veſtigia ſecutus. E graviſſimis illis Additamentis ortum illi eſt Supplementum edendi conſilium. Cum vero *Labbeana* Conciliorum editio vulgatior ſit, eruditorumque manibus tritior, conſtitutum eſt ipſi, ab *Harduino, Coleto*que, juris publici facta Concilia adjungere iis, quæ ipſe primus exploravit. Hæc omnia monumenta Notis illuſtrabuntur, quibus orationis obſcuritas depellatur, atque lectionibus variis, quas e manu ſcriptis, aut editis, Codicibus libavit. Ex iis omnibus effloreſcet Supplementi Pars prima, rerum accurato Indice locupletata. Verum, Collectionis *Labbeanæ* Conciliorum Supplementum imperfectum confecturum fuiſſe ſe, exiſtimaſſet, ſi monumentis iis colligendis duntaxat ſtuduiſſet. In animo ergo habuit, illud multo utilius efficere, Collectionem integram accurando atque emendando. Quamobrem, depoſito cenſoris ſupercilio adverſus omnes Conciliorum Collectores, laude ſua non fraudandos, nihil ipſi antiquius fuit, quam orationis contextum caſtigare, plures interpretationum locos ad genuinum ſenſum revocare, omiſſos ſupplere, qui nempe in manuſcriptis, aut primum editis, Codicibus reperiuntur, locutiones denique proprias reſtituere, quarum loco intruſæ fuere peregrinæ. Eam ob cauſam editos Codices contulit MStis, quos conſulere licuit. Eo etiam diligentia ejus ſpectavit, ut typographici errores emendarentur, qui, ut notum eſt, orationis ſenſum obſcurum, atque menti impervium, efficiunt. Hac una via genuinam reperias *textuum* lectionem, atque monumentorum conſtat utilitas. Præter laborioſum illum conatum, in loca difficiliora Notas compoſuit, quas plerisque Conciliorum Collectoribus promiſiſſe ſatis fuit. Vix ullæ unquam *Labbei* Notæ lucem adſpexere, quamvis ad eas Lectorem nonnunquam remittat. *Sirmondus*, egregiis Notis concinnandis par atque idoneus, ſi quis unquam fuit, iis carere non eſt paſſus Concilia Galliæ, quas *Labbeus* poſtea *Harduinus*que in Collectiones ſuas tranſtulere. Ceteri vero Conciliorum Synodorumque Editores Notas pauciores inſeruerunt. *Harduinus*, Obſervationes, quarum neceſſi-

Digitized by Google

neceſſitatem bene callebat, ſupplere ſe poſſe, judicavit, ſi rerum accuratum Indicem conficeret, in quo ad minuta quæque deſcenderet: at ex eo Indice natum eſt Notarum deſiderium. Hæc autem inprimis enodanda ſibi propoſuit novus Editor, quæ pertinent ad Conciliorum epochas, ad regiones, ubi habitæ fuere, eorum cogendorum occaſionem, ac difficultates, in Canonibus obvias, quæ peritiorum criticen exercuere. Eorum labore profeciſſe ſe fatetur, propriasque adjunxit Obſervationes. Ut virili pro parte difficultates omnes enuclearet, Indicem quendam adornavit barbarorum, obſcurorum, ignotorumque verborum, quæ in avthenticis Conciliorum tabulis occurrunt, indicatis variarum collectionum paginis. Certus autem redditur verborum ſenſus, interpretatione, vel e penu ipſius, vel e Doctorum Commentariis, hauſta. Id ſedulo curarunt primi Editores, ut in Præfationibus, aut paginarum oris, annotarent Archiva, Bibliothecasque, e quibus depromſerant, quæ in lucem jam tum proferebant. Hinc eorum vis autoritasque conſtabat, lectorique copia fiebat ad fontes recurrendi, e quibus hauſerant; ſucceſſores autem notulas illas, quamvis neceſſarias, ſprevere; cui incommodo occurrere cupiens, eorum omnium Conciliorum, quæ in Collectionibus diverſis continentur, Indicem confecit, additis Archivorum & Bibliothecarum nominibus, e quibus deſcripta fuere. Correctionum, variarum Lectionum, Catalogorum, congeries Supplementi Partem alteram abſolvet. Quanquam in iis diſponendis ad *Labbeanam* Collectionem reſpexerit, atque eam ob rem diverſas Obſervationes exegerit ad ordinem Tomorum paginarumque Collectionis eruditi Jeſuitæ; interea, ut Supplementi utilitas etiam in eos redundaret, penes quos eſt alia quæcunque Conciliorum Collectio, *Crabbi* nempe, *Surii, Nicolini, Binii, Harduini, &c.* illud etiam ipſi curæ fuit, ut cujuscunque Collectionis paginas indicaret, ad quas Concilia, ac proinde Notæ, Correctiones, Lectionesque diverſæ reſpondere debent. Multum eruditis debere ſe profitebitur, ſi Obſervationes ſuas impertiri ipſi velint, Bibliopolarum interpoſito miniſterio, Pariſiis *Briaſſoni*, Genevæ *Fabri & Barilloti*, qui Supplemento edendo ſumtus impendent. Ne autem bis emantur peculiares Conciliorum Collectiones, in Gallia editæ, cavebunt Bibliopolæ, ne in Supplementum inducatur *Baluzii* Volumen inſcriptum: *Nova Collectio Conciliorum.* Si tamen aliter videatur eruditis, eorum ſententiæ facile Bibliopolæ accedent. Supplementum autem edetur iisdem typis, eadem forma, ac magnitudine, quam *Labbeana* Collectio; atque exemplarium paucior erit numerus, quæ minori pretio ab iis ementur, qui ea mature ſibi reſervata volent. Nullum autem exemplar charta magna edetur, niſi expreſſe poſtulatum. Ut Supplementi utilitas melius dignoſcatur, accuratus illius prodromus quamprimum juris publici fiet.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti Anno MDCCXXXIV.

LOCUPLETISSIMI RERUM NATURALIUM Thesauri accurata Descriptio, & Iconibus artificiosissimis Expressio, per universam Physices Historiam; Opus, cui in hoc rerum genere nullum par exstitit, ex toto terrarum orbe collegit, digessit, descripsit, & depingendum curavit ALBERTUS SEBA, *Etzela-Oostfrisius, Academiæ Cæsareæ Leopoldino-Carolinæ Curiosorum Collega, Xenocrates dictus, Societatis Regiæ Anglicanæ, & Instituti Bononiensis, Sodalis.*

Tomus I.

Amstelodami, apud J. Wetstenium & Guil. Smith & Jansonio-Waesbergios, 1734, fol. maj.

Alph. 2, Tabb. æn. III.

Majorne sit felicitas, qua terræ marisque conventum in Museo suo indixit Cl. Autor, an animus major, quo tantum Opus condere aggressus est, imo vero an amplior inge-

nii fertilitas, qua hiſtoriam rerum naturalium uberrimam tradit, dubitare omnino fas eſt viſurum & luſtraturum hæc naturæ ſpectacula, prodigia, monſtra etiam & portenta, quæ in orbis eruditi conſpectum producuntur. Solent quidem in Bibliothecis aſſervari, magnoque pretio haberi, *Oligeri Jacobæi*, *Olai Wormii*, *Kircheri*, *Calceolarii*, *Valentini*, aliorumque, Muſea, ſplendida fortaſſe illa ætate, qua vixerant, viſa, & amplius Tabularum *Vincentianarum* Elenchus; verum parum abeſt, quin credamus, ſicut certum eſt, ad hanc gloriam neminem hactenus adſpiraſſe, ita ſimile vix futurum, ubi feliciter ad finem perductum fuerit, id quod non ſperamus, ſed confidimus, ſplendore & apparatu Opus. Sufficit libro, quod *Boerhavio* placere meruit, nec alia, quo vendibilis fiat, indiget hedera; ea tamen futura erat veritatis, etiamſi hunc clypeum non tuliſſet, ſicut ferre poſſe, gloriæ cedit, apud omnes efficacia, ut calumniæ parum, laudis vero, niſi penes amuſos, rerumque, quæ tractantur, ignaros, plurimum, inventurus ſit, etiam in Deorum conviviis prælegendus; liber. Non deſunt, quibus cum Autore intercedit neceſſitas, & quibus, amicitia ejus frui poſſe, magno in pretio eſt, quorum ſcilicet ocularis inſpectio, ſicut vere *Xenocrates*, quod ipſi nomen eſt, id eſt, hoſpitalitatis ſtrenuus cultor, eſſe prædicatur, de rerum, quæ depictæ jam animo admirationem pariunt, copia, ordine, &, quam contra annorum injuriam ſalvam obtinuerunt, integritate, nos certiſſimos fecerunt. Exſuperat omnem, quam conceperamus de edendo libro, expectationem rei ſucceſſus, merenturque præter lucrum, quod ipſis opulentiſſimum auguramur, nominis famam Editores, quorum prætoriis ſumtibus effectum eſt, ne diutius langueſceret ſpe, votorum impatiens, orbis eruditus. De methodo rerum ſuarum inſtituenda nec cogitavit, nec cogitare poterat Autor, evitaturus rixas vanasque contentiones, quæ ex præoptata quadam ordinum claſſiumque inſtruendarum ratione plerumque ſuboriri ſolent. Aliter *Jonſtonus* ſentit, aliter *Rajus*, aliter de plantis pronuntiat *Bœrhave*, aliter Gallorum, aut Germanorum,

Italo-

Italorumve, scholæ. Quid faceret? Classicum caneret, pomumque Veneri adjudicaret, videretque suam decennali obsidione cingi Trojam? Acquievit, quam casus tulerat, ordinis digestione, sicut solent, qui aleæ jactu, aut sorte, non judicio, controvertentium lites componunt. Idem est Cel. *Bærhavii* de hac re in Præfamine judicium. Rerum ipsarum elegantiæ, descriptionis industriæ, hoc ipso, quod vegetabilia animalibus mixta eadem Tabula conspiciantur, nihil decedit, invertuntur plerumque, qui nimis ordinantur, rerum conceptus, maximamque inivit undique gratiam Cl. *Seba*, dato nobis promte Thesauro, quem, priusquam in classes redactus fuisset, decennium forte expectassemus. Interim, quantum ejus fieri potuit, similia similibus adjudicata esse, deprehendimus. Magnus ipsi est foliorum, radicum, fructuumque, arte *Ruyschiana* evisceratorum, numerus, quorum Catalogum Tabula I-VI tradit, felix auspicium laboris regni vegetabilis evolutione facturus. Ipse hujus Sceletopœiæ vegetabilis insignis est artifex, &, qua enchiresi illuc deveniri possit, in Schediasmate ad Academiam Leopoldinam, cujus meritissimus est Socius, peroravit. Succedunt plantæ integræ, exoticæ æque ac indigenæ, rariores, quas, affabre exsculptas, ad mentem *Horti Batavi* denominatas tradit, studiosus antiquæ veritatis cultor, quo factum, ut in descriptione Ficoidum, nomine *Mesembryanthemi* ad mentem neotericorum, utpote præter necessitatem allato, minus delectatus, illud prorsus omiserit. Ericas, quas Tab. XX exhibet, capenses, acutissime ex flore urceolaris figuræ quadrifido, calyce etiam tot segmentis diviso, judicavit. Eadem est in ceteris judicii maturitas, siquidem *Breynii*, *Commelini*, *Pluckenetii*, aliorumque, nomina solertissime apponit, probe gnarus, nomina, ex autoritate majorum imposita, in re herbaria plus valere illis, quæ nimia sui fiducia a novaturientibus excogitantur. Sequitur glirium muriumque familia, inter quos eminent, qui agrii, seu sylvestres, ex descriptione *Merianæ*, apud Americanos appellantur, quorum στοργὴ & impensus catulorum amor prædicatur, quos scilicet, dorso matris adhærentes, in fugam secum

abripiunt, qui, ne ex genere *Philandri*, ſeu *Opaſſi*, eſſe viderentur, quamvis non levis utrinque intercedere deprehendatur differentia, ſedulo ab ejusdem ſocietate divelluntur, cujus ſcilicet Tabulæ XXXVI explicatione ſingularem nutriendorum catulorum induſtriam prædicat, quos ſingulari, in abdominis cute exiſtente, ſacculo ſecum aufert, intra quem ſoboles, fugiente matre, ſe recipit, ita fabrefactum, ut claudi atque recludi commode poſſit, donec grandiorem factam mater abigat. *Myrmico Leonis*, ſeu *Myrmicophagi*, gliris, rapina formicarum viventis, non minus curata eſt deſcriptio, cujus variæ Icones cum deſcriptione ex *Marggafio* exhibentur. *Ichneumones*, ſeu *Vulpeculæ*, quas varias ſiſtit, non male loco, quem obtinuerunt, conveniunt, cum ex gliris familia eſſe manifeſte deprehendantur. Eminent de cetero inter quadrupedia curioſa Muſei *Sebani* tres ſimiolarum ſpecies, *tardigrada* ipſi dicta, *Cynocephala*, & quam *caput mortuum* appellat, &, ſicut quadrupedium volantium ſtudioſiſſimus fuit Collector, ita, præter Veſpertilionum Americanarum varias ſpecies, etiam Glirem volantem Tab. LVI, duas Sciuri volantis ſpecies, canem etiam Ternatanam volantem Tab. LVII, exhibet, quæ utrum male a noſtratibus Felis volans appelletur, eo nomine dubium eſſe poterat, quod fortaſſe neutrum ſit animal; parum ſane eſt differentiæ inter felem canemque volantem, qui eadem Tabula LVIII exhibentur, Veſpertilionum ordini eo magis accenſenda animalia, quo certius apparet, ex mammellarum, ſuperiore in loco exiſtentium, protuberantia, perinde eſſe cum Veſpertilionibus. Apri Indiæ Orientalis, quem Apro Cervum appellat, integram figuram Tab. L apponit, cujus capita ſceleta facta in plurimis curioſorum Muſeis obſervantur. Asmodillus ipſi alius eſt ſcutifer, alius ſquammatus, quem diabolum Javanicum appellat. Inter ſerpentes, variis in locis exſculptos, eminent Ammodites Tab. XXXVI, qui ſerpens idololatrarum, aut ejus ſpecies, eſt, *Abgott-Schlange* vulgo, ſerpentibus phyticis, Tab. LXII recenſitis, forte annumerandus; Nintipolonga Tabulæ XXXVII, quæ, cum dentibus armata deprehendatur, utrum ad vipe-

viperas referenda, dubium fecit; Cobræ de Capello ſpecies Tab. XLIII, ad cujus familiam colubros vittatos, qui perſpicilli figuram in cervice gerunt, refert. Serpens Americæ arborea, (quorſum etiam dryina Tab. LXXXIV referenda,) quæ Tabula LIII exiſtit, cum ſocio Asmodillo ſquammato, ſeu Diabolo Tojavonico, quandoquidem ejus pullis veſcitur, magni æſtimanda eſt. Dubium ſupereſt nullum, prodituros ſequentibus Tomis vel ſerpentum, vel viperarum, ordines, ſuis deſcriptionibus illuſtres, quandoquidem illa Hiſtoriæ naturalis pars curioſos cumprimis exercet. Tabula LIX ad LXVIII avium Icones exhibet e Manucodiatarum, Pſittacorum, Ardearum, Merularum, Picarum, Fringillarum, aliarumque, familia. Phœnicopterus Tabulæ LXVII ille idem eſt, quem *Catesby* delineatum dedit. Nidi avium cum Colubridis & Aranei Surinamenſis ex recenſione *Meriana* ultimo inter avium ordines loco adducuntur, ex quo ſcilicet aquatilium, amphibiorum, & inſectorum, ſeriem orditur. Prolixus eſt in recenſenda Ranarum, quarum fortaſſe rariores adhuc ſpecies ipſi ſuperſunt, & Bufonum hiſtoria. Perplacet Bufo cornutus *Virginianus*, Tabula LXXII exhibitus, cum rana maxima *Virginiana*, certo perſuaſis, ob nominis ſaltem analogiam ranarum piſcatricium Icones admixtas eſſe, utpote quæ ex aquatilium pinnigerorum, ſeu piſcium, ſunt familia. Curioſa omnino ſunt, quæ de transmutatione piſcium in ranas, harumque retrograda in piſces metamorphoſi, ediſſerit, ſicut omnes hujus mutationis ætates, vel in Amboinenſibus, vel noſtratibus, ranis ad normam modumque *Merianæ de inſectis Surinamenſibus* ſedulo collegit. Equidem vulgare illud eſt experimentum, quo exuviis ſuis caudiformibus prodire ranulas conſtat, ſicut etiam id ipſum in Amboinenſibus uſu venit; verum, ranas denuo in piſces abire, proût hujus rei rationem in Americanarum ranarum Ichthyometamorphoſi Tabula LXXVIII reddit, id ſane curioſum eſt, & ulteriore ſcrutinio dignum. Elegans eſt Lacertarum ſeries, quas coronidis loco Tomo hoc primo recenſet, ita quidem, ut agmen ducant lacertæ macrocephalæ arboreæ,

 Cha-

Digitized by Google

Chamæleontes, quarum muscas aucupandi, lingua ejaculata, ratio clare & perspicue adducitur. Succedunt Cordyli caudatæ & caudiverberæ; inde strumosi cum cristatis, Lequani dictæ, seu ophiomachi, *Streit-Schlangen*, subsequuntur, quarum elegantissimæ depinguntur species. Eminet inter omnes caudiverbera Tab. CI, quamvis dubium adhuc esse possit, genuinane sit Hydra Hamburgensium Lernæa, quæ Tabula CII Eptacephalus depingitur. Plurimum valent ingenium & naturæ æmuli artifices, qui ex Raja dracones volantes effingunt, cur ex capitibus catulorum maris affabre junctis, nam dentes capitisque forma optime conveniunt, superinducta pelle Crocodili, appensisque serpentis exuviis, Hydram efficere non tentarent? Crocodilorum genesin ex ovo, exacte descriptam, magni facimus, nec dubium est, Crocodili Ægyptiaci & Americani differentiam in rostri formæ consistere, quod his productius, illi compressius est. Commendatissimum cupimus Opus illis, qui Museorum Collectores sunt, quorum apparatui Catalogi loco inservire Liber poterit, &, quam magno pretio etiam constare videri possit, etiamsi splendor ille regius non esset, deliberato tamen animo, male parci sumtibus, si quis eundem sibi comparare nolit, vitam, sanitatem, laboris constantiam, Cl. Autori insimul comprecati, pronuntiamus.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES AB Anno Æræ Christianæ D ad MD. LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS, Serenissimi Ducis Mutinæ Bibliothecæ Præfectus, collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit.

Tomus XXII.

Mediolani, ex Typographia Societatis Palatinæ, 1733, fol. Alph. 7, Fig. 2.

Fervent in medio bellorum æstu Societatis Palatinæ prela, nec adhuc ipsam hanc urbem, quæ omnium maxime

Gal-

Gallorum nuper invasionibus patuit, suua Apollo reliquit. Auget id maximopere famam Sociorum, qui, cum minime videantur a calamitate publica integras servasse fortunas suas, haud quidquam tamen animum remiserunt ab amplificando, quantum in ipsis esset, patriæ honore. Adjuvit laudatissimos conatus *Muratoriana* industria, impatiens moræ omnis, & *Archimedea* illi similis, inter medios hostes circulis suis exturbari nesciæ. Suscepit præsentis *Tomi* patrocinium Eminentiss. Ecclesiæ Purpuratus, *Annibal Albanus*, cui & dedicatus est a *Philippo Argelato*, primum inter Socios Palatinos locum tenente. Quos hic legis Scriptores, etsi numero non multi, tamen selecti sunt, &, qui posteris innotescant, dignissimi. Primum hic locum Socii dederunt *Tristani Caraccioli*, *Patricii Neapolitani*, *Opusculis historicis*. Pertinent hæc ad illustrandam Neapolitanæ Reipublicæ Historiam, nec, post complures alios, qui regionis hujus fata exposuere, Scriptorem hunc absque fructu leges. Opuscula numero octo habes, quorum 1) exhibet *Vitam Joannæ I, Reginæ Apuliæ*; 2) *Vitam Serzanis Caraccioli, magni Seneschalli*; 3) *Joannis Baptistæ Spinelli, Cariati Comitis, Vitam, ad Ferdinandum, illius filium*; 4) *de Varietate fortunæ libellum*; 5) *de Inquisitione Epistolam*; 6) *Genealogiam Caroli I, Siciliæ Regis*; 7) *Ferdinandi, qui postea Rex Aragonum fuit, Historiam, ejusque Genealogiam*; denique 8) *Nobilitatis Neapolitanæ Defensionem, ad Legatum Reipublicæ Venetæ*. Transscripta hæc ex Codice Illustriss. Principis *Torelli*, ex ipsa *Caracciolorum* gente oriundi, cum Cel. *Muratorio* communicavit Cl. *Constantinus Grimaldus*, Augustissimo Imperatori in Neapolitana ditione a Consiliis, vir in omni doctrinarum genere eruditissimus. Non conjungenda cum his Doctiss. Editor putavit scripta hujus *Tristani* reliqua, docte quidem satis & eleganter scripta, quin ita comparata partem maximam, ut Neapolitanis rebus fœnerari aliquam lucem possint, at tædio futura Lectori, magnum jam scriptorum *Caraccioli* cumulum ante oculos habenti. Scripsit autem, præter hæc ipsa, quæ modo nominatim indicavimus, *Tristanus Disceptationem*

quan-

quandam priscorum cum junioribus de motibus suorum temporum; *Orationem ad Alphonsum juniorem*; *de Inconstantia*; *de cujusque vanitate in loquendo*; *Epistolam de statu Civitatis Neapolis*; *Plura bene vivendi præcepta ad Filium*; *de Funere Ferdinandi I Epistolam*; *de Vita Autoris pauca quædam*; *Joviani Pontani Vitam brevem*; *Didonis Reginæ Vitam*; *Penelopes castitatem & perseverantiam*; *Quid sit in tot variis artibus junioribus amplectendum*; *Opusculum ad Marchionem Atellæ*; *de Sororis obitu*; *de Concordia, & de ineundo conjugio*; *Ordinem servandum a militibus Hierosolymitanis in electione magni Militiæ Magistri*. Cel. Editori magno labore constitit *Opusculorum*, quæ primum hic luce donantur, editio, propterea quod Codex ille *Torellianus* loco non uno multum esset corruptus, & Lectorem posceret ingeniosum, artisque Criticæ peritum, nec ex ceteris Codicibus, eadem quippe labe infectis, quidquam peti medelæ posset. Emendanda igitur hic multa fuerunt *Muratorii* partim, partim *Grimaldi*, ingenio, multa etiam, quæ desperata prorsus videbantur, suis sordibus relinquenda. Quod vero ad Autorem ipsum, hunc gravem Editor, & sermonis Latini elegantia amabilem, prudentem etiam, & virtutibus, quæ decent Historicum, instructum, dicit. Sed fore nonnullos suspicatur, qui assentationi nimium dedisse dicant *Tristanum* in illa *Joannæ I Apologia*, fœminæ quippe plurimorum Scriptorum testimonio in scelestissimis habendæ, & turpissimis criminibus notatæ. Sed meminisse hos jubet, non temere negandam fidem esse Scriptori, ætati *Joannæ* proxime viventi, & illarum rerum probe gnaro, multa etiam non tam negari a *Tristano*, quam excusari saltem. Prodiit Autor Seculo XV illustrissima *Caracciolorum* gente, ad hoc usque tempus antiquum servante decus suum, Neapoli annum circiter 1439 natus. Incidit ejus pueritia in illa tempora, quibus Neapolis in ditionem cessit *Alphonsi I*, Aragonum Siciliæque Regis. Patrem habuit *Joannem*, in Regia Camera *Summariæ* munere functum, sed tenuis fortunæ hominem, etsi prolis admodum fœcundæ, quippe natorum quatuor, pluriumque filiarum, parentem. Quæ causa fuit, cur *Trista-*

Digitized by Google

Tristano adhuc juveni major rei domesticæ, quam studiorum equestrium, aut literarum, cura fuerit. Non enim nisi matura satis ætate ad elegantiores artes animum convertit, &, quæ pueri in scholis addiscere solent, prima Grammaticæ elementa jam fere senex cœpit memoriæ mandare. Ubi faventem satis Apollinem expertus, intra breve tempus gradum ad altiora fecit, & diligenti partim veterum Autorum lectione, partim propria ingenii exercitatione, nullius ductu magistri, tantam nactus est sermonis Latini copiam, ut inter *αὐτοδιδάκτους* omnium felicissimos suo jure sit numerandus. Uxor ei *Cicella Piscicella* fuit, ex qua filiam genuit, nomine *Liviam*, nuptam *Joanni Baptistæ Spinello*, *Cariati Comiti*, cujus hic vita, a *Tristano* descripta, legitur. Sed, uxore hac præmatura morte exstincta, novas *Caracciolus* cum fœmina ignoti nominis nuptias contraxit, quæ filiorum quatuor totidemque filiarum parentem fecit. Superstites filios non nisi duos habuit, quorum natu major, vivente patre, ex gente *Caracciolorum* uxorem duxit. Annum, quo ex hac vita excessit *Tristanus*, non indicant illius Seculi Scriptores, colligit tamen ex ipsius *Vita Spinelli Muratorius*, non ultra annum 1517 ipsi ætatem productam. *Opusculis Tristani* adjunctos vides *Annales Forolivienses ab A. 1275 ad A. 1473*, Autore scriptos *Anonymo*, nec antehac unquam editos. Hos ut nunc primum in lucem proferret Cel. Editor, factum est singulari humanitate Comitis *Brandolini de Brandolinis*, Patricii Foroliviensis, qui Codicem horum Annalium pervetustum *Muratorio* liberaliter utendum concessit. Noluit Autor, inotescere posteritati nomen suum, sed, *famam suam in obscuro versari*, ipse nos in Præfatione docet; vixit tamen, si quid valet *Muratoriana* conjectura, circa annum 1485. & consarcinasse potius, quam scripsisse, historias videtur. Nam diversa prorsus eorum, quæ hic leguntur, facies est, &, quæ usque ad A. 1300 gesta in Romandiola, ac præsertim Forolivii, narrantur, facile deprompta putes ex antiquiore quodam Chronico, cujus & in margine Codicis sæpissime fit mentio; quæ vero inde ab initio Sec. XIV ad annum usque 1375 commemorantur, non nisi ex Scriptoribus

Bononienſibus congeſta ſunt, ſcatentque adeo erroribus multis, aut obſcura ſunt partem maximam; tum curatius ediſſeruntur rerum ab A. 1375 ad 1473 geſtarum momenta, etſi ſub ipſam Operis calcem ſtili aliquantum immutati veſtigia appareant. Ab ipſo Opere reſecare ea, quæ partim ad antiquiſſima Forolivienſis civitatis tempora ſpectabant, utpote incerta ac fabuloſa, partim aliunde melius cognoſci poterant, conſultum duxit Editor, ut adeo, quæ publicantur hic, ſelecta ſint diligenter, & ſuum Lectori uſum ſpondeant. Ceterum animadvertit *Muratorius*, idem, quod aliis Scriptoribus uſu veniat, ut neſciant accurate ſatis Forum Livii a Foro Julii diſtinguere; ipſi horum Annalium Autori accidiſſe, idque exemplo *Cornelii Galli*, Poetæ, oſtendit, quem Noſter cum pauciſſimis Forolivienſem, plerique alii Forojulienſem dicunt. *Annales Forolivienſes Anonymi* ſubſequitur *Anonymi Diarium Parmenſe ab A. 1477 ad A. 1482*, mutuo acceptum olim Cel. Editori ex Bibliotheca Comitis *Franciſci Torelli*, jam A. 1731 ex hac vita egreſſi. De Autore hujus *Diarii* certi nihil conſtat; conjicit tamen Doctiſſ. *Muratorius*, fuiſſe hunc *Jacobum Caviceum*, Virum illius ætatis non ineruditum, firmans conjecturam ſuam argumentis non omnino ſpernendis. Quisquis fuerit Autor, illud ex lectione *Diarii* apparet, virum honeſtum fuiſſe, ac prudentem, gnarumque rerum. Si ex titulo rem æſtimes, levia hic & minuta quæque expectes, quæ prætermitti ſolent ab Hiſtoricis, exhibentibus Hiſtoriarum elaboratiores Commentarios. Sed ex hoc *Diario* meliora longe & locupletiora petas. Utitur enim ſermone Autor, qui delectare facile Lectores poſſit, &, omiſſis, quæ ſunt momenti levioris, res notatu digniſſimas commemorat. Sed dolendum, in ſerie narrationis lacunam animadverti, quam cum aliunde ſupplere non licuerit Editori, vel mutila hæc grato animo ex manu ejus accipi, fas putamus. Finem huic Tomo imponunt *Vitæ Ducum Venetorum, Italice ſcriptæ, ab origine urbis, ſive ab A. 421, ad A. 1493*; *Autore Marino Sanuto, Leonardi filio, Patricio Veneto.* Petita hæc ſunt Cel. Editori ex Codice perantiquo, quem ſervat Ducum Eſtenſium Bibliotheca.

Et

Digitized by Google

Et ſuo jure hæ *Vitæ* publica donandæ luce videbantur, cum ad ſupplenda *Andreæ Danduli* & *Raphayni Careſini Chronica* nihil his ipſis aptius veniri poſſet. Nam, poſt *Danduli* laborem, omni laude digniſſimum, huic Hiſtoriæ præ ceteris omnibus, quibus Venetorum res geſtæ ſunt conſervatæ, palma præcipua debetur. In narrando uſus eſt Autor fide monumentorum, partim quæ omnibus patent, & vulgo æſtimantur plurimi, partim quæ adhuc in tenebris latent, & ſingularia multa, parum huc uſque nota, continent. Horum inſignem copiam in Præfatione collegit Editor, ut Scriptori ſuo famam & autoritatem conciliaret. Inprimis quæ ab A. 1100 ad 1493 commemorantur, magnam Autoris induſtriam teſtantur, cum antiquiora non careant fabulis ſuis. Si de tempore quæras, quo ſcripſit hos Commentarios *Sanutus*, ex *Jacobi Philippi Bergomatis Supplemento Chronicorum* apparet, ſaltem ante annum 1503 compoſitos. Præterea mentionem facit Cel. Editor Epiſtolæ, ab *Aldo Manutio* ad hunc *Sanutum* datæ, & in fronte editionis *Operum Ang. Politiani*, quam curavit *Aldus*, collocatæ, ubi de *Vitis* his *Ducum Venetorum* ſcriptum ſit honorifice. Sed addit *Muratorius*, incertum eſſe annum, quo *Aldina* hæc *Operum Politiani* editio in lucem exierit. Nos vero miramur, hæc tam confidenter ab eo affirmari, cum vulgo notum ſit, & ultima libri pagina, *Regiſtrum* antecedens, ſat clare doceat, Venetiis A. 1498 editum. Credat id uni ex nobis *αὐτόπτῃ Muratorius*. Ex quo patet, jam ante A. 1498 Opus hoc cura *Sanuti* abſolutum. De vita & doctrina Autoris, reliquisque ejus ſcriptis, diligenter tradidere *Voſſius*, *Sanſovinus*, & ille ipſe, quem modo diximus, *Bergomas*. Vixit Seculo XV & XVI, anno, ut videtur, 1522 adhuc ſuperſtes. Fuit & alius quidam *Marinus Sanutus*, cognomento *Torſellus*, ſub initia Sec. XIV clarus, quem *Seniorem* dicere poſſis, & ex libro, quem ſcripſit *de Secretis fidelium crucis*, A. 1611 Hanoviæ typis *Wechelianis* edito, omnibus notum putamus.

LA BOLLA D'ORO DE' FANCIULLI NOBILI Romani, &c.

i. e.

BULLA AUREA INFANTUM NOBILIUM, & alia libertinorum, apud Romanos; variæ item Animadversiones de priscis Mausoleis, nuper demum detectis, duplici Commentatione breviter propositæ ac dilucidatæ, Autore FRANCISCO DE FICORONI, Academico Regio Parisiensi & Messanensi, &c.

Romæ, apud Antonium de Rossi, 1732, 4.
Plag. 10, cum aliquot Fig. æn.

Nobilissimus scriptionis hujus Conditor non tantum ex penitiori exquisitiorique antiquarum rerum intelligentia, sed & præsertim ex instructissimo priscæ supellectilis Museo, quod miris sumtibus sagacique industria pridem sibi comparavit, insigni nominis fama claret inter suos. Jam & inter exteros amplius inclarescet duplici hoc, quem manibus tenemus, Commentariolo, ubi utriusque summam & succum, licet strictim, more nostro, tradiderimus harum deliciarum studiosis. *Prior* Disquisitio argumentum discutit, cujus quam frequens exstat apud veteres Scriptores . nmemoratio, tam rara apud recentiores illorum exploratores declaratio reperitur; ut operam adeo atque oleum in illo enarrando haud perdidisse dicendus sit jure doctissimus *Ficoronus*. Bulla est, de quo agit; ornamentum infantile quondam apud Romanos, sed diversum pro diversa gestantium conditione. Hi illius usum, uti plura alia, ab *Etruscis* mutuati esse deprehenduntur, autore eodem, qui & urbis perhibetur, *Romulo*. Is primus filium ex Hersilia, Sabina virgine, sibi conceptum, *Hostilium* nomine, *bulla aurea* & *prætexta* cohonestavisse legitur apud *Macrobium* Saturn. *Lib. I Cap. 6.* Et, quemadmodum, eodem teste, insecutis temporibus *Bulla* facta fuit *gestamen triumphantium*, ita *Tarquinius Priscus* Rex gnatum suum, quarto decimo anno inimicum occidentem, eadem donavit libera-

TAB. VII ad Nov. Act. Erud. A. 1734 Menſ. Aug. p. 349 et 351

Fig. I.

Fig. II.

Digitized by Google

beraliter. Idem instituisse proditur, ut *Patricii duntaxat*, hoc est, Senatorum filii, *Bulla aurea uterentur, quorum patres Curulem Magistratum gessissent, aut meruissent equo.* Egregium hoc certe incentivum fuerat pueris nobili loco natis, ut imitarentur virtutem patriam, armisque in patriæ commodum strenue gerendis mature adsuescerent; ubi viderent *nobili* illo, quod *Statius* vocat, *pectoris auro* se vulgo exemtos, atque a plebe secretos. Singulare est similis generis exemplum *M. Æmilii Lepidi*, de quo refert *Valerius Maximus Lib. III Cap. 1*, quod *etiam tum puer, progressus in aciem, hostem interemisset, servasset civem, ejusque tam memorabilis operis index suo tempore adhuc perstiterit in Capitolio* statua bullata, *& incincta prætexta, Senatusconsulto posita.* Prodidit nummum in suo *de Familiis Consularibus* Opere *Vaillantius*, in memoriam gestæ hujus rei olim procusum, & *Lepidi* honori dedicatum, sed *Bulla aurea* carentem, aliisque reportatæ præclaræ victoriæ insignibus. Servat vero alium similem argenteum, eundemque rarissimum, Cl. *Ficcoroni* Museum, his omnibus instructum, cujus & iconem, ænea tabula expressam, dedit Autor, unde decerptam curate nos quoque hic repræsentare pretium operæ existimamus. In facie nummi adversa apparet caput fœminæ diademate cinctum, palmæ ramo retro collum posito; quam fœminam vel *Clementiam Deam*, quæ in alio itidem *Æmiliæ gentis* nummo conspicitur manifeste, vel *Venerem*, ex ingenio *Vaillantii*, interpretari possis, nisi malis dicere, *Victoriam* significari, palmamque esse tantum artificis, qui procudit nummum, insigne, cujus generis plura subinde periti deprehendunt. Aversa Pars intuentium oculis offert speciem equestrem *Lepidi triumphantis*, capite ad Heroum morem denudato, induti prætexta ad talos defluente, & gestantis *Bullam auream*, de collo dependentem, regentisque sinistra freno equum, dextera autem portantis hastam longam, innixam humero, in cujus apice galea hæret & scutum, spolia inimici in prælio occisi, hac addita Epigraphe: TAB. VII Fig. 1.

M. LEPIDVS AN. XV. PR. H. O. C. S. id est: *Marcus Lepidus annorum quindecim, prætextatus, hostem occi-*

occidit, civem servavit. Servantur & hodienum istiusmodi *statua bullata*, molis licet haud admodum ingentis, Romæ in Virorum illustrium palatiis atque hortis. Primus, quod existimat Autor, talis *Bullæ infantilis* imaginem ære delineatam vulgavit *Causeus* in *Museo*, quod inscripsit, *Romano*; alteram vero, haud ita pridem in tumba quadam casu detectam in via Prænestina, quarto ab Urbe lapide, propriam sibi acquisivit Noster, eandemque & hic affabre depictam legentium stitit curiositati, addita explicatione eruditissima. Deponere illam consueverunt pueri nobiles Romani una cum prætexta, quando sumebant virilem togam; unde *Propertius Lib. IV Eleg. 1.*

Mox, ubi Bulla *rudi* dimissa est aurea *collo*
Matris, & ante Deos libera sumta toga;

& *Persius Satir. V*:

Cum primum pavido Custos mihi purpura cessit,
Bulla*que succinctis laribus donata pependit*;

& postea Diis, vel Laribus, consecrare: quemadmodum, *Bullas aureas Tiberii* Imp. Bajis adhuc in fano quodam asservatas suo tempore exstitisse, memorat *Suetonius*. Duravit iste mos integer stante Imperio Romano nobiles pueri ita *bullatos* incedere, quod *Cicero* & *Juvenalis* dicunt, donec, illius viribus sensim sensimque attritis, & tantum non exhaustis, in auri locum, quo purissimo constabant illæ veteres, argentum, immo & aliud metallum ignobilius, succederet, forma etiam minor longe prisca adoptaretur, &, quod veri Nostro videtur simillimum, *Zenone* imperante, penitus exspiraret. Finito demum bello Punico secundo, *concessum* quoque est, teste *Macrobio*, loco citato, *ut Libertinorum etiam filiis, qui ex justa duntaxat matrefamilias nati essent, togam prætextam & lorum in collo pro* Bullæ *decore gestarent*; cum quo conspirat *Asconius* in tertiam Verrinam *Ciceronis*, *Bullam*, scribens, *suspendi in collo infantibus ingenuis solere auream, libertinis* scorteam. Exhibet similiter Autor noster typis æneis figuram ejusmodi infantis *libertini* nudi, soloque collo *Bullam coriaceam*, sive *pelliceam*, ostentantis, qua & nos Annales nostros exor-

exornari volumus. Animadvertis enimvero Lector *Tab. VII Fig. 2 statuam pueri*, si calceolos demseris, toto corpore plane nudi, insidentis modo situque valde gratioso basi rotundæ, tenentisque una manu aviculam, sive columbulam, altera pilam lusoriam, ex corio, quod juncturæ produnt, consutam, ac præferentis vultum pueriliter hilarem. De collo ipsi pendet globulus paulo aliena, quam qui ex auro compositi solent, forma elaboratus, &, uti videtur, ex *pelle corio*ve contextus, qualem descripsit *Juvenalis Satir. V v. 165*, verbis: TAB. VII Fig. 2.

- - - *Quis enim tam nudus, ut illum*
Bis ferat, Hetruscum puero *si contigit* aurum,
Vel nodus tantum, & signum de paupere loro?

Observat denique sub finem Noster, fœminas quoque Romanas *Bullis* collum exornare solitas fuisse, sed minoribus illis, unaque pluribus, nec ex *auro*, vel *corio*, elaboratis, sed ex varia materia, interdum & gemmis constantibus; coronidisque loco hanc in rem apponit Inscriptionem ex *Boissardo* fœminæ, *Bullam* suam Divæ *dedicantis*, sequentem:

IVNONI. PLACIDAE
CONSERVATRICI. AVGVSTAE
CLAVDIA. SABBATIS
BVLLAM. DD
ADDIT. ET. SCYPHVM. ET
TRIPODEM. FORTVNAE. AVG.

Jam & *posterioris* Dissertationis rationem vel paucis habeamus, quæ non minus anteriori delectis Observationibus abundat. Tangunt illæ potissimum *Mausolea*, quæ prisci ingentibus sumtibus, numeroque fere infinito, ad latera viarum publicarum, ab urbe Roma ad omnes mundi plagas deducentium, suorum defunctorum honori & quieti exstrui curaverunt. Equidem & hoc argumentum non intactum plane reliquerunt in scriptis suis antiquitatis consulti; Nostrum tamen, qui aliquot abhinc annis detectionis similium monumentorum plurium præsens ac curiosus interfuit spectator, quorundam postea & redditus possessor, plura de *Mausoleorum* vera constitutione ocularis edocuit contemplatio, quam tritum fuerat hactenus

nus atque doctorum hominum calamis celebratum. Jucunde hinc de eorundem structura ac mole admirabili, utplurimum & pretiosa, (marmor enim & porphyrus nonnunquam adhibebantur,) si quidem illustrium virorum reliquias conderent, multa docet; de *Cameris sepulchralibus, urnarum receptaculis*, inibi positis, haud proletaria affert in medium; deque *urnis* ipsis, tum combustorum corporum cineribus, tum varia monilium, annulorum, inaurium, &c. suppellectili aurea onustis, differit. Inter alia, non semper cineres, sed quandoque & cadavera demortuorum integra abs se reperta, confirmat, simulque promittit, editum iri aliquando aliquam suam Commentationem de *antiqua lucerna sepulchrali ex metallo materiam continente incombustibilem*, quam Græci ἄσβεστον, Romani autem *linum vivum* dixerint; itemque aliam *de personis scenicis & figuris comicis*. Utramque ut propediem absolutam publicis usibus ne invideat Vir eruditissimus, ingenio ipsius & doctrina capti, serio illum obtestamur.

COMMENTARII ACADEMIÆ SCIENTIArum Petropolitanæ.

Tomus III.

Conf. *Nova Acta Erud. Anni* præsentis *Mens. Jun. p.* 259.

De his, quæ ad Classem Mathematicam & Physicam pertinent, nuper vidimus; superest, ut, quæ ad Historiam
Pag. 295 seq. & Criticam spectant, expediamus breviter. Apparet primo
351 seq. loco Viri Cel. *T. S. Bayeri Chronologia Scythica vetus*, demor-
389 seq. sos sapiens ungues. Succedunt ei *Memoriæ Scythicæ, ad Alexandri M. ætatem deductæ*, eodem Autore concinnatæ. Idem subjecit *Elementa literaturæ Brahmanicæ Tangutanæ Mungalicæ.*
428 seq. Additæ sunt ultimo loco *Observationes Astronomicæ*, Autore *J. N. de L' Isle* in specula Petropolitana Astronomica factæ. De singulis paucula pro ratione instituti nostri dabimus. *Herodoti* autoritatem Cel. *Bayerus* secutus, ponit, majo-

majores Scytharum a Caucaſo Armeniæ, primo auſtrum, poſtea orientem, petiiſſe, ita, ut a ſiniſtris haberent littora Caſpia, denique deflexiſſe borapelioten, & in orientalibus Volgæ regionibus conſediſſe: hic vero illam inconditam & diſperſam multitudinem, mille annis ante *Darii Hyſtaſpidæ* expeditionem Scythicam, anno periodi Julianæ 3200 in unam rempublicam coiiſſe, duce *Targitao*, dictos Scolotos, i.e. rerum dominos, diviſos autem in populum Paralatarum, Auchatarum, & Catiarorum, ſeu Traſpium. Tum, Cimmerios tenuiſſe oras Cisvol- Pag. 296.
ganas ad Boryſthenem uſque & Tiram, addit: Scolotos vero, vexatos ab Iſſedonibus, trajeciſſe Volgam, &, pulſis Cimmeriis, non modo has terras, ab Iſſedonibus relictas, occupaſſe, ſed invaſiſſe etiam ſuperiorem Aſiam, & a fama artis ſagittandi a Græcis dictos eſſe Scythas, i. e. Sagittarios. Obiter notamus, eos vocari a *Jeremia* שקדים *Cap. I, 11.* Indicatur, Μαιωτισὶ apud *Theocritum Idyll. XIII v.55* eſſe idem ac Σκυ-
θισὶ. *Juſtinus*, ex *Trogo Pompejo* ſua componens, falſa pro- 297.
didit de gentis Scytharum prodigioſa antiquitate. Scythæ enim ipſi gentem ſuam dixerunt omnium noviſſimam, teſte
Herodoto Lib. IV Cap. 5. De *Hercule*, gentis autore, inſulſa 299.
procuderunt coloniæ Græcorum, circa Pontum habitantium,
qui *Herculem* & *Hyllum*, filium ejus, colebant religioſe. *Dio-* 300.
dorus Siculus, partim *Herodotum*, partim alios, ſecutus, monſtrum peperit, invicem repugnans. Tempore *Ardyis*, Lydo- 316.
rum Regis, Cimmerii, a Scythis pulſi, per Caucaſea clauſtra Cherrhoneſum magnam, ſeu Aſiam minorem, petierunt, Sardes occuparunt, & Cherrhoneſum Sinopicam tenuerunt. *Alyattes*, *Ardyis* nepos, Cimmerios omni expulit Aſia, teſte *Herodo-
to Lib. I Cap. 6, 15, Lib. IV Cap. 12.* *Cræſus* ad Halyn uſque 317.
arma victricia protulit. *Cyaxares*, Medorum Rex, armis Scy-
thicis ſuccubuit. Scythæ regionem ultra Ephraten occupa- 318.
runt, Palæſtinam invaſerunt, & ibi a *Pſammiticho*, Ægyptiorum Rege, muneribus mitigati ſunt. *Cyaxares* hoſpites vaſtatores rurſus ejecit. Hæc & cohærentia ex *Herodoto* Noſter copioſe ediſſerit. Porro ſucceſſionem Regum Mediæ, Ly-
diæ, & Ægypti, ex *Herodoto* idem explicat; *Diodorum Siculum*, 320 ſeq.

cujus

cujus *βασιλικὰς διφθέρας Josephus Scaliger* venditat, reji-
ciendum putat, testimonio ejusdem *Scaligeri in Fragmenta*
Pag. 321. *p. 42* adjutus. Docet idem, *Phlegontis Tralliani* satis ma-
gnam partem exstare, quam *Josephus Scaliger* inter Græca
Eusebii, ab *Isaaco Casaubono* acceptam, ediderit. Qua de cau-
sa provocatur ad *Scaligeri* Epistolas *p. 251 seq. & 261.* Liber
dictus fuit Ολυμπιάδων αναγραφή. Si cum libro hoc conferas
Photii fragmenta, ex *Phlegonte* desumta, *Cod. CXVII*, id fa-
cile patet. *Phlegon* videtur in hoc suo libro *Olympionicas*
Eratosthenis Cyrenæi continuasse ad *Hadrianum* usque: inde
ad *Antoninum Elagabalum* Supplementa addidit *Julius Afri-*
323. *canus.* Sic *Cyri* regnum eruitur, cœptum *Olympiade 55. Xe-*
nophontis Cyropædiam Noster appellat *fabulam scitam &*
lepidam, scriptam delectandi populi causa, quo victum sibi
quæreret Xenophon ad levandam esuriem. Sextus annus bel-
li inter *Cyaxarem*, Medum, & *Alyatten*, Lydum, insignis exsti-
tit eclipsi maxima intra Asiam circa Halyn fluvium, quam
325. *Thales* prædixit. Eam Astronomicarum rerum peritiam
Thaleti quidem abnuit *Henricus Dodwellus*, quem scite con-
futat Noster. De *Thalete* magnificentius sensit *Appulejus Ma-*
daurensis. Riccioli porro nævus circa illam eclipsin notatur.
Alii hic senserunt alia. Consuluit igitur Noster Collegam
suum, *Fridericum Christianum Meierum*, qui, pro singulari
in calculis Astronomicis doctrina & exercitatione, omnes ecli-
pses, quæ inter annum periodi Julianæ 4106 usque ad 4158
328. in Asia minori contingere potuerunt, investigavit, omnium-
330. que examinavit sententias. Veteres mirifice discrepant ob
errorem unum & alterum historicum admissum. *Meierus*
unam deprehendit eclipsin solis totalem, a nemine pro
ea agnitam, quæ *Bayeri* rationibus unice convenit, anno
332 seq. P. J. 4111 d. 17 mensis Maji ante meridiem 8. 18'., sub meri-
diano Vranoburgi, factam. *Usserius*, non in cœlo, sed ter-
ra, halucinatus congruit *Meiero.* Cœpit igitur bellum ob
Scythas transfugas, A. P. J. 4106 ineunte. Unde probabile
est, anno periodi Julianæ 4075 Cimmerios, a Scythis pulsos,
ultra Borysthenem concessisse, & per Caucasea claustra in A-
siam

siam fugisse. *Homerus* Scythas silet. *Hesiodus* nil edidit præ-
ter Ἔργα. Θεογονία a vetustate stili nimium discrepat. Anti- Pag. 334.
quissima Tanai expeditio Scythica, *Justino* quæ autore ex- 339.
stat, *absona* est, & *extra modum absurda.* Suspicatur No-
ster, *Cyri* expeditionem non modo in Massagetas, sed etiam 349.
Scythas, fuisse susceptam, licet caliginosa nocte pressam. Spem
facit tandem, Scythicarum rerum sub Mithridatica tempora
gestarum memoriam se alibi explicaturum una cum annexis.
Adspiret Deus tanto promisso! Succedunt *Memoriæ Scythi-* 350.
cæ ad Alexandrum Magnum. De magnitudine populi a for-
ma imperii ducuntur initia. Primus regni formam instituit
Targitaus. A cujus filiis tribus exortum regnum tripartitum
ad *Darium* usque perstitit, cujus ætate *Idanthyrsus* floruit.
Adduntur ceteri, sed ita, ut nonnunquam conjecturis locus sit
datus, certioribus monumentis Autori negatis. Bellum Scy- 352 seq.
thicum, a *Dario Hystaspide* excitatum, hic fuse commemora-
tur. *Tyr*, Scytharum Deus, pro Marte habetur. De ritibus
aliis diserte & solide proferuntur non contemnenda. Θήλεια 360 seq.
νȣσος, Scythis immissa, teste *Herodoto Lib. I Cap. 105 & Lib. IV Cap.*
65, exponitur de debilitate fœminea. Persæ Scythas vocarunt 368 seq.
Sacas a vinolentia. Hisce enim ساقي *sakai* est *belluo &*
potor. Saxones a *Sacis* non dicti vel deducti, sed vel ex *Sat-*
ten, Sitten, vel, uti *Witechindus Corbejensis* est autor, ex 370.
Sahs, i. e. cultello, pugione. Veteres mirifice errarunt cir- 374.
ca situm ponti Euxini & Balthici, quem propinquum invicem
esse admodum existimabant. Omittimus cetera, ex fonte ipso 383.
haurienda. Vocant nos *Elementa Literaturæ Brahmanicæ,*
Tangutanæ, Mungalicæ. Daniel Messerschmidius, Gedanen-
sis, Medicinæ Doctor, A. 1727 ex Siberia rediit Petropolin,
quo a *Petro Magno* missus fuerat ad naturæ artisque investi-
ganda arcana. Redux multa observata Academiæ Imperato- 389.
riæ tradidit. In his fuit libellus longus, foliis octo solutis,
charta, ut Nostro videtur, Coreana, haud multum bombyci-
næ dissimili, & densitatem quod attinet, &, si paululum teras,
scabritiem. Utraque cujusvis folii pagina ita est scripta, ut,
quo loco prioris paginæ linea est extrema, ibi, si vertas, poste-

 rio-

rioris sit caput. Qui mos obtinet apud omnes populos, qui foliis arborum cogitata inscribunt. Id in chartis deinde etiam observatum. Singulis in hisce paginis duo sunt ordines, ita, ut unusquisque prima in linea *Brahmanicas* literas exhibeat, in altera *Tangutanas*, in tertia *Mungalicas*. Liber fuit non scriptus, sed typis excusus. Nam & *Tangutani* & *Mungali* artem typographicam a Sinis acceperunt. Formæ ejusdem ligneæ typographicæ exstant apud Principem *Alexium*, *Michaelis* filium, *Czerkaskium*. Hic liber, a *Messerschmidio* acceptus, a Sinis fuit excusus. Preces *Tangutanorum* sunt vul-
Pag. 393. gatissimæ: *Miserere mei Deus*. Quare eam formulam in vexillis sepulchrorum vel decies repetitam inscribunt. De charta, de *peculiari* editione *itineris Marci Pauli Veneti*, de commatibus, punctis, vocalibus & syllabis literaturæ *Brahmanicæ*, *Tangutanæ*, & *Mungalicæ*, singularia hic proferuntur.
421. De gemina editione libri *Vitsenii* nonnulla subjici placuit, alioquin incognita. Liber & A. 1692 & 1705 Amstelodami prodiit formis descriptus publicis. Inscriptio: *Nord en Oost Tartarye of te bondig Ontwerp van eeniger dier Landen en Volken door* Niclas Witsen. Octo illa folia hic comparent, æri incisa. Plura eo fine proferentur *Tomo V Comment. Acad. Scient. Petropol.*

OBSERVATIO ECLIPSEOS TELLURIS, Romæ habita in ædibus Eminentissimi De-Via d. 3 Maji A. 1734 a DIDACO DE REVILLAS, Abbate S. Hieronymi, & ANDREA CELSIO, Astron. Prof. Upsal.

Instituta est hæc Observatio duobus notæ optimæ telescopiis palm. Rom. circiter VI, altero Solis imaginem directe ad oculum, opacato vitro munitum, transmittente, quo eclipseos præsertim initium & finem observabant, altero in adver-

adverſa tabella, ut moris eſt, ſolarem ſpeciem depingente, phaſes intermedias intuebantur.

Obſervationes:	Temp. verum. P.M. diei 2. H.	M.	S.	Quantitas obſcurationis digit.	
I	22	22	35.	--	Initium aliquantum
II		27	1.	0½	præceſſiſſe trans
III		34	0.	1	nubem videbatur.
IV		42	6.	1½	
V	23	0	52.	2	
VI		3	16.	2 --	vel paulo plus, & maxima obſcuratio
VII		10	31.	2	
VIII		28	16.	1½	imminens cenſebatur.
IX		45	11.	0½	
X		52	1.	0 --	Finis.

Ex IV & VIII Obſervat. maxima obſcuratio circa *h.* 23. *m.* 5 colligitur. Phaſes intermediæ certiſſimæ. Horologium & ex appulſu ad meridianam, & ex altitudinibus ſolis æqualibus, eodem obſervationis die & pridie notatis, ſæpius correctum eſt.

EXCERPTA E LITERIS CEL. GODINI, Socii Academiæ Scientiarum Regiæ Pariſienſis, datis die 23 Maji Anni 1734.

Certiorem te reddo de Obſervatione quadam Aſtronomica nova, &, quantum judicare poſſum, magni momenti, non ſemel ſolum atque iterum a me inſtituta, ſed per ſex menſium intervallum continuata. Credebatur huc uſque luna corpus eſſe ſphæricum, & ad globi formam, quantum per Obſervationes detegere liceret, rotundum. Aſtronomi certe hanc illi figuram conſtanter attribuerunt. Verum accuratiores Obſervationes apparentium ejus diametrorum, ſedulo inſtitutæ, ſolerterque repetitæ, me condocuere, eſſe illam ſphæroi-

des oblongum aut depressum, ita, ut hujus sphæroidis diametri sint inæqualis magnitudinis. Maximam differentiam harum duarum diametrorum inæqualium superare 45 minuta secunda gradus, deprehendere huc usque non potui, nec minimam ultra 16 talia minuta descendere. Constat enim, augeri modo, modo minui diametrorum apparentium rationem, unde demum cunque illa mutatio pendeat, sive a lunæ ipsius motu libratorio, sive a diversis ejus supra horizontem altitudinibus, in transitu ejus per meridianum circulum dimetiendis, sive aliunde. Major diameter verticalis est, luna in meridiano constituta, minor vero horizonti parallela. Quid Ill. *Newtonus* de lunæ figura senserit, patet ex Problemate XIX Propositione XXXVIII Libri III Principiorum ejus Mathematicorum Philosophiæ Naturalis *pag.* 432, secundum editionem Amstelodamensem de A. 1723 & *pag.* 470 secundum editionem Londinensem tertiam de A. 1726, ubi vi principiorum suorum horizontalem diametrum majorem verticali eruit. Verum Observationes meæ cum illius sententia non videntur conciliari posse. Expectemus, quæso, donec Observationum solers continuatio veritatem prodat.

THE TRADITIONS OF THE JEWS WITH THE exposition and doctrines of the Rabbins, &c.

h. e.

TRADITIONES JUDÆORUM, CUM EXPLICAtione doctorum Hebræorum, comprehensæ in Talmude, aliisque Scriptis Rabbinicis,

Partes III.

Londini, sumtibus G. Smith & Steph. Austen, 1732, 8.

Pars I plag. 4½, Pars II pl. 4½, Pars III pl. 12.

Constituerat sibi Autor Traditiones Judæorum ex Talmude & Scriptis Rabbinicis ita recensere, ut mensibus singulis

Pars

Pars relationis hujus ederetur. Quo consilio edidit *Partem primam* & *secundam.* Sed, cum id institutum suis laboraret incommodis, mutavit consilium, &, Voluminibus spissioribus laborem hunc persequi, commodius judicavit esse. Quare *Pars tertia* excerptis prolixioribus instruitur, quam præcedentes duæ. Desumsit illa ex interpretatione Talmudis Germanica, quod ipse libere profitetur. Noluit ergo, ne literis quidem Hebraicis in Tractuum titulis servatis, avocare Lectorem, harum rerum imperitum, a libelli hujus lectione, sed Autorem secutus Germanum, characterem Latinum retinuit. Multa itaque excerpsit de adscensu *Mosis* in cœlum, de statura procera *Adami*, de modo videndi diabolos, deque aliis, quæ stultitiam & absurditatem Judæorum clare ostendunt. Sed, an in excerpendis excerptis, multa ridicula & absurda continentibus, hærere consultum sit, merito dubitamus. Mirabitur Lector, ipsos hos Tomos evolvens, excerpta, ipsa absurditate sua notabilia.

DE RITU VARIANDI CHORALE INDUMENtum, in solennitate Paschali apud Clerum Basilicæ urbis usitato, Disceptatio Epistolaris, Autore PETRO MORETTO, Basilicæ B. Mariæ trans Tyberim Canonico. Accedit ejusdem Supplementum Dissertationi de ritu ostensionis sacrarum Reliquiarum, evulgatæ A. 1721.

Romæ, ex Typographia Rochi Bernabò, 1732, 4.
Plag. 19.

Romanus Paschalis ritus, olim usu totius fere orbis Ecclesiastici receptus, sensim ad angustias redactus, vix Romæ sese tueri potuit, quod ipsum Ven. Autor ad *Binettum*, æque Canonicum & Collegam, exponit in hoc libello. Clerus Romæ, ineunte Paschali tempore, variat habitum choralem. Quæritur, an ritus ille sit permissus, an improbandus, an mysticæ significationis quid habeat? Ubi inter Missarum solennia in Sabbato sanctioris hebdomadis ex ore Episcopi vel Presbyteri

Cano-

Canonici auditur vox *Alleluja*, Canonici plerique nobiliores, vel omnes, pergunt ad ſacrarium, depoſitisque veſtibus violaceis laneisque cappas iterum accipiunt ante veſperas. Autori ea ſedet ſententia, ſubeſſe ritui quid myſtici. Nam violaceæ togæ permutantur candidis indumentis. Patres monent, in Paſchate locum eſſe lætitiæ & gratulationi ob redemtionis Chriſti conſummatæ, & victoriæ ab inferis reportatæ, memoriam, convivium nuptiasque agni cœleſtis, imaginem vitæ æternæ, tranſitum a culpis & tenebris ad remiſſionem & lumen gratiæ, ac a ſervitute ad libertatem & pacem, renovationem

Pag. 19 ſeq. morum & innocentiam. Adduntur quædam de neophytorum

23. ſtola alba, & Clericis albatis in Paſchate. De *Albulo Pa-*

47 ſeq. *ſchali* diſſeritur. Color obſcurus notat ſtatum luctuoſum.

94. Tempus, Paſchati & Pentecoſtæ interjectum, lætitiis dicatum; præcedens luctui. Pertexitur hiſtoria ritus per cerimonias variarum regionum. Cappæ hic diſtinguuntur in extrachorales & canonicas contra *Grancolaſium*, nec non Clerico-Monachi a Canonicis regularibus & ſecularibus. Sed poſterior diſtinctio quadrat ad tempora Seculo XII recentiora, haudquaquam ad antiquiora. Autor deinde eos refellit, qui in hoc ritu nil, vel parum, myſtici agnoſcunt. Supplementum haud adeo eſt copioſum, & ſuperaddit exempla oſtenſionis

5. reliquiarum ſacrarum complura. Promittit Autor Hiſtoriam Baſilicæ ad S. Mariam trans Tiberim, in qua de imaginibus ibi cultis multus erit ſermo. Opus magna ex parte jam ad umbilicos fuit adductum. Idem editurum ſeſe pollicetur *Ritum Presbyterii explanatum*, Libros VI *de Hierarchia Cleri Urbis, ſacro Cardinalium Collegio, & Scholis Palatinis*, de *Origine & Uſu Manti Papalis Diſſ.* nec non *Theſaurum Scriptorum ritualium.* Quod Deus bene vertat!

DE ROMANO PONTIFICE IN FERENDO de Fide Moribusque judicio falli & fallere neſcio, eodemque Conciliis Oecumenicis autoritate, poteſtate, juriſdictione, ſuperiori, Diſſertatio duplex. Accedit Appendix de Mente Eccleſiæ Gallicanæ & Academiæ Pariſien-

risiensis circa illa duo Sedis Apostolicæ privilegia. Autore F. JACOBO HYACINTHO SERRY, Ord. Præd. S. T. M. & in Academia Patavina Primario S. Theologiæ Professore.

Patavii, typis Seminarii, apud Jo. Manfrè, 1732, 8.
Plag. 20.

Librum non adeo magnæ molis indicamus, sed scriptum exquisitissime, omniumque eorum, quos multos de eodem argumento his temporibus concinnatos legimus, principatu facile triumphantem. Scopus accurate a quæstionibus annexis separatus, distinctiones exacte diductæ, methodus solida, & mascula eloquentia, hic utramque faciunt paginam. Fundamenta equidem gubernationis Ecclesiarum si ab instituto Christi, jure fidelium singulorum, & scopo Dei, repetimus, ad politicum Ecclesiæ conservandæ schema tuendum haud facile delabimur. At, ex quo doctores Ecclesiæ principatum doctrinarum exponendarum salubriorum & sanctiorum ad sese traxerunt, & primo unitatem ab Episcoporum consensione derivarunt, deinde ob ordinem servandum ad dignitatem uni largiendam primariam deflexerunt, quo potestas sua in Clericos minores & Laicos foret adstrictior & speciosior, non potuerunt, quin vel Aristocratiam, vel Monarchiam, Ecclesiasticam stabilirent. *Cyprianus*, & alii, schema Judaici Sacerdotii eum in finem crebro urserunt. Observantia auditorum in doctores pios summa permisit, ut sensim ubique a prima æqualitate & gratia divina, quæ doctoribus impertiebatur primis singulares dotes spirituales, declinaretur, & consilia converterentur in leges, & ordo libere adscitus abiret in cumulum formularum & rituum. Si qui fortius obloquerentur, ii vel non auditi, vel repudiati, vel oppressi. Hominibus vero obdormiscentibus & in formularum syrmate acquiescentibus, obrepsit inimicus, & zizania insperfit tritico. At, hisce missis, S. Rev. Viri institutas disputationes fideliter significabimus, supersedentes quacunque censura, interrogatiunculis potius

tius

tius suspiciones nostras propositur i paucas. Humanissima libri Dedicatio ad Illustriss. & Reverendiss. *Joannem* Archi-Episcopum *Minottum Otthobonum*, Episcopum Patavinum, Comitem Saccensem, fuit directa. Ad originem Operis quod attinet, hæc enata est ex interpretatione, quæ A. 1731 Autori pro ornanda Theologici muneris Professione in Archi-Gymnasio Patavino ad Distinctionem 23 Libri III Sententiarum erat suscipienda. Susceptam & in literas relatam Opellam tuiturus, suarum postea duxit esse partium, adornare simul vindicias Romanorum Pontificum supra viginti, qui vel de violata fide, vel de solutis lato judicio morum regulis, perperam accusantur, non minus eos perstringens, & argumentis refellens, qui autoritatem summi Pontificis Romani infra Concilia œcumenica demisisse perhibentur. Quo fine conciliare sanctæ Sedi, uti vocat, contendit Ecclesiam Gallicanam & Parisiensem Academiam, quæ de gemina illa solii Romani prærogativa minus benigne sentiunt, ad superiora provocans Secula. Jusserunt Proceres Romanæ curiæ, ut liber in chartas conjectus publice exstaret. Autor paucis multa constrinxit, &, uti testatur ipse, Iliadem nuce conclusit, objectiones porro, magnis multisque adversariorum voluminibus sparsas, omissis pigmentis, summatim diluit, & concisa oratione enodare aggreditur. Hac arte voluit Adversarios ludere, qui & olim, & in præsens, magna librorum mole hyperaspistas throni Pontificum obruere moliantur. Tantum de libri origine & scopo. Nunc ad ejus summam. *Cap. I* exponitur status controversiæ. Largitur, Pontificem, uti doctorem privatum & hominem, falli posse & fallere. Id contendit, in materia fidei & morum, non rituum, non rerum historicarum, ex cathedra, solenni ritu debitisque jurium formulis servatis, pronuntiantem, errare non posse. Ritus ille solennis complectitur solennes preces ad veritatis Spiritum advocandum, præmisso serio rei totius examine, præhabita consultatione Ecclesiæ suæ Romanæ, intra urbis ambitum constitutæ, i. e. adhibitis ad consultationem Cardinalibus. Interrogamus, an loco determinato Spiritus veritatis sit promissus & alligatus? Quærimus, an in Schismate plurium

Pon-

Pontificum, iisdem observatis solemnitatibus, singuli, dissidentes decretis, eodem privilegio sint instructi? Quærimus, an, sede vacante, capitis ejusmodi ab errore immunitas exsistat? Quæritur, an ovibus liceat decreta pastoris defugere, ubi suspicio exstat verisimillima, veritati divinæ, in literas sacras redactæ, fuisse detractum? Quæritur, an nunquam solenniter decreta contraria, & rursus sublata, sint promulgata? Quæritur, an Concilio nunquam Papæ ad finiendum Schisma diversorum Pontificum sese submiserint? Quæritur, an non major aliquando pars Cardinalium a Decreto Pontificis dissederit? *Maimburgius* produxit exempla a Pontificibus admissorum, Pag. 5.
Nostro minus arridentis, ob solennitatis defectum. An Romana Ecclesia constituit universalem, una omnes? Nonne cujusque nationis Ecclesia sola est errori obnoxia? An nunquam 42.
omnes Ecclesiæ externæ & conspicuæ a doctrina vera defecerunt? An Ecclesia Avenionensis potuit falli, Pontifice Romam egresso? An tunc Ecclesia Romana quærenda fuit penes Gallos? Num ideo Romana falli non potest, quia jam præmittitur, eam errare non posse? An hæc est petitio principii? An Romanæ Ecclesiæ alligata est infallibitas, ni firmissime ostendatur, *Petrum* ibi fuisse Episcopum, & Romanam omnium Ecclesiarum exstitisse antiquissimam? Num in Apostolatu dantur perpetui Successores? An primi Ecclesiæ Patres præter prærogativam ordinis Romano Pontifici quidquam concesserunt? Nonne *Paulus* omnium Ecclesiarum gessit curam? An illi, qui doctrinis *Pauli* accedunt, easque mordicus tenent, errare possunt? An ii, qui *Paulum* non ubique audiunt? An *S. Cyprianus* & *Firmilianus* crediderunt, Pontificem Romanum respectu baptizandorum hæreticorum non errare? Nonne igitur hæretici materiales possunt cœlitibus adscribi, æternumque beari? Quo criterio constat, eos esse hæreticos materiales, qui ab Autore dissentiunt? Num licet, ob monitum *Jeremiæ VI,16*, antiquissimam Christi doctrinam præferre iis, quæ Seculis posterioribus accesserunt? Quæstionum harum summas e scriptis Pontificiorum selegimus. Verum pergamus ad alia. Alterum pro Romani Pontificis infallibilitate argumen-

Digitized by Google

mentum desumitur ex Christi pro *Petro* deprecatione *Luc. XXII.* Adduntur testimonia Patrum benigniora. Quæritur, an *Petrus* tum lapsus non fuerit? Respondetur *p. 45*, lapsum fuisse, non intrinsecus, sed externis verbis. At, si successores *Petri* per externa verba decretorum laberentur similiter? Respondetur secundo, *Petrum* labentem nondum exstitisse Episcopum. Apostolus tamen, qui excellebat Episcopo. At quomodo dictum id trahi potest ad successores Episcopi, quod de indole Episcopi factisque haud agit? Tertium arcessitur argumentum ex *Matth. XVI*, idque more solito: Non una veterum de eo loco est expositio. Quæritur, an numero suffragantium veritas hic sit metienda? Quæritur, an
Pag. 28. constet, Scriptorum deperditorum suffragia Autori potius favisse,
33 seq. quam parti contrariæ? Quartum argumentum ex cura pastorali, *Petro* demandata *Jo. XXI*, depromitur. Quintum ar-
36. gumentum arcessitur ex *Clementis VI* formula fidei, Armenis exhibita ad A. 1346 & 1351. *Natalis Alexander* in omnia alia ivit, inductus, uti præ se fert, hac formula, inprimis cum idem *Clemens* fateatur in Diplomate ad A. 1351, se ex carnis fragilitate peccare, & nonnulla fortassis contra catholicam veritatem
38. & fidem & bonos mores ex lapsu linguæ præcipitanter protulisse. Autor hæc ad privatam Pontificis conditionem restringit. Succedunt argumenta alia. Asseritur, postremum in causis fidei tribunal ab errore immune esse. Quærimus, an hoc congruat criterio divinitus suppeditato *Jo. VII, 17, 1 Cor. II, 12-15, X, 15, 1 Jo. V, 6, II, 24, 27, 28*? Quærimus, an stipulæ & fœnum, id est, falsæ & viles doctrinæ, inædificari possint unico fundamento Ecclesiæ doctrinali & persona-
41. li, Christo? Quæritur, an doctores in Ecclesia queant obdormiscere, dum interea Satanas zizania miscet tritico? Ad-
45 seq. duntur testimonia Patrum inde ab *Augustini* ætate, &, a Papa ad Concilium appellari haud posse, statuitur. Diluuntur porro objectiones, ab errantium Pontificum exemplis petita, *Petri*, cujus errata a Christo ac Paulo reprehensa, *Victoris I, Stephani I, Marcellini, Melchiadæ, Liberii, Zosimi, Hormisdæ, Vigilii I, Pelagii I, Bonifacii IX, Honorii I, Gregorii III, Stephani II, Nicolai I, Formosi, Stephani VII, Sergii III,*

Alexan-

Alexandri III, *Cœlestini III*, *Innocentii III*, *Bonifacii VIII* & *IX*, *Joannis XXII*, *Sixti V*, *Clementis XI*. Quæstionem de rebaptizandis hæreticis duntaxat ad disciplinam ex *Cypriani* sensu spectasse, Autori vix largiri possumus, qui ex scriptis *Cypriani* existimamus constare longe aliud quidpiam. A *Cypriani* parte stant Synodus sub *Agrippina* diu ante *Cyprianum* habita, Canones Apostolici 46, 47, ac Constitutiones Apostol. *Lib. VI Cap. 15 p. 344*. *Cyprianus* certe in eo erravit, quod putabat, *Stephanum I* approbare baptizationem, ab hæretico susceptam, citra mentionem Trinitatis. Verum est, Pag. 54 seq.
quod *Cyprianus* censuerit, *Stephanum I*, e cathedra licet pronuntiantem, errasse, & causam de baptizatione hæreticorum habuerit pro parte doctrinæ. Noster hic regerit: *Hæreo, fateor, nec melius habeo, quod reponam, nisi quod Cyprianus humani quid passus sit*. Quærimus, an *Cyprianus*, talia propugnare ausus post Seculum XI, Sanctorum numero adscriptus fuisset? Si Diplomata & Decreta Pontificum invicem repugnant, 95.
decurritur hic ad *materiam utrinque probabilem*, quæ non sit de fide. *Clementem XI* errorum convincere laboravit *Joannes Frickius* in libro A. 1714 emisso: *Clementis inclementia examinata*. Lis est de Constitutione Unigenitus. Propositiones *Quesnellianas* damnatas Noster exponit, ut appareat, *Frickium* hic refutari. Sed *Frickius* hic vocatur *Frichius* & *Calvinianus Minister p 100, 110*, nec Libri *Frickiani* ulla excitatur pagina. Si libros contuleris, videbis, an diligenter satis Autor *Frickii*, Lutherani, seu Evangelici, Ecclesiastæ, librum legerit. Exponit idem Responsiones suas ad Paparum verba, 111.
qui ipsimet errores suos significarunt. Deinde exponit argumenta, quibus inductus sibi persuadet, Pontificem Conciliorum autoritate esse superiorem, ratus, idem olim statuisse Gallos, 235 seq.
qui recentiori demum ætate secus sentire cœperint.

(56. in margin beside "habuerit pro parte doctrinæ. Noster hic regerit")

ANNUS POLITICUS PER DUODECIM DIScursus, tum Critico-Politicos, tum Politico-Historicos, evolutus, quibus explicantur principia Principi re-

gnum auspicaturo necessaria, in usum Serenissimi Principis Electoralis, MAXIMILIANI JOSEPHI, utriusque Bavariæ & Superioris Palatinatus Ducis, Comitis Palatini Rheni, Landgravii Leichtenbergensis; Autore IGNATIO FRANC. XAVERIO DE WILHELM, Serenissimi Elect. Bav. Consiliario intimo actuali, & Liberi Comitatus Hagensis Administratore.

Monachii, typis Mariæ Magd. Riedlin Viduæ, 1731, fol. Alph. 6 pl. 4, Tabb. æn. 13.

Vera boni regiminis principia Serenissimo Principi Electorali commoda quadam & dulci ratione traditurus Ill. Autor, amico consortio sibi conjungendas putavit Politicam & Historiam. Itaque ex antiquis pariter & recentioribus scriptis exempla colligit & præcepta virtutum, quæ Principem Catholicum ornant ac decent: simul eximium aliquem Principem Bavaricum proponit, cujus exemplo & quasi viva imagine appareant artes bene administrandi Rempublicam, quæ longa assuetudine Principibus Domus Boicæ familiares fuerunt semper & amicæ. Accedunt, pro delectatione, multa ornamenta Operi, inprimis Tabulæ æneæ, Principis alicujus imaginem cum figuris symbolicis ingeniose exhibentes, quas ipse Ill. Autor invenit, & Augustani artifices quam elegantissime sculpserunt. Inscriptio *Anni Politici* facta est inde, quoniam per *duodenos Discursus* totidem mensium spatio studium Operis hujus absolvitur. Et quidem *Disc. I Parte I* summum Principis bonum in sola religione & propugnanda & propaganda ponitur, idque *Parte II* exemplo *Caroli M.* Simul *Alberti*, Ducis, pietas in sedem Romanam eximie commendatur, quippe qui A. 1562 duos Legatos ad Concilium Tridentinum cum plenissima
Pag. 8 seq. misit potestate, & a Patribus Concilii hanc laudem tulit, tanta cum fide & constantia religionem Catholicam, a majoribus tradi-

traditam, conservare, ut illis temporibus in tota Germania firmissimum S. Apostolicæ Ecclesiæ propugnaculum jure optimo haberetur. Idem decreto Patrum de communione sub utraque, quam prius in terris suis concedendam putaverat, meliora scilicet edoctus, tam constanter inhæsit, ut nec a *Ferdinando*, Cæsare, nec ab aliis Principibus, dimoveri a proposito potuisset. Præterea ex suis Provinciis statim proscripsit novam formulam novorum rituum, quæ Viennæ prodierat, quod *P. Hier. Torrensis*, S. I. eam in plurimis erroneam & detortæ pravitatis pronuntiasset. Celebratur felicitas *Maximiliani I*, Elect. Bav. cujus monita paterna hic & passim commemorantur, qui legem tulit, ne quis in suis terris a vera religione alienus stabile domicilium habeat, omnesque, qui in divinis aliquid innovarint, fugari & coerceri jussit. Inseruntur *Pauli V* literæ, ad eum A. 1620 post victoriam Pragensem datæ, summis plenæ laudibus ob Ecclesiæ tutelam, ibi tam strenue susceptam; inter alia hæc: *Gratulamur, quod res adeo præclaras tam fortiter, tam brevi tempore, gesseris, ut, quemadmodum scribis, veneris, videris, &, Deo Duce, viceris perfidos Christi hostes, & Romano Imperio rebelles. Disc. II P. I* quæstio tractatur: An Princeps se debeat exponere belli periculis? & *P. II* exemplum *Ottonis V* Wittelspachii proponitur. *Disc. III P. I* de prospera sui memoria Principi paranda, idque *P. II* declaratur exemplo *Ludovici, Ottonis M.* filii. *Disc. IV P. I* de jure regni causa neutiquam violando, ubi Ill. Autor incertum ac periculosum pronuntiat emolumentum ex regno, per nuptias quæsito, successionem sanguinis præfert electioni, & felicitatem Domus Boicæ extollit, quæ per sex Secula in recta successione propagaverit Principatum, nec in obliquam deflexerit. *P. II Ludovicus Severus* proponitur, qui, accepto arbitrio Regem Romanum legendi, non semet, ut *Joannes XXII*, sed *Rudolphum*, Habspurgensem, elegit. Docetur exemplis, regiam dignitatem nimiis incommodis oneratam: *Ludovicum IV*, Imperatorem, qui coronam acceperat, toto regni tempore misere agitatum, & insidiis appetitum, longeque feliciorem *Albertum Pium* fuisse, qui delatum a Proceribus Bohemiæ re-

Pag. 10. 7. 68, 70. 302. 20 seq. 148. 154. 160.

gnum

gnum, in injuriam *Ladislai Posthumi* noluisset accipere. *Disc. V P. I* ad quæstionem: utrum vindicare conveniat Principi, an ignoscere? Resp. non omnes injurias Principi dissimulandas, nec omnes vindicandas, more leonis, qui cum lemmate sistitur: *Et nulli & parcere cunctis. P. II* exemplo est *Ludovicus*, Imperator, ubi, dum recenset Ill. Autor, quæ il-
Pag. 237. le passus a Pontificibus, exclamat: *Quantum proh dolor! hæc aversa sunt a priscis temporibus! Carolus M. videbatur, ut modeste loquar, concurrere electioni Pontificis; hic disponit de Imperatore Pontifex. Pietate prohibemur examinare hanc pontificiam potestatem.* In dubio relinquit, utrum *Ludovici* modestia laudari magis, quam vituperari mereatur Papæ *Clementis* acerba sententia & odium immortale. *Disc. VI P. I* damnatur carnificum potius & tyrannorum illa vox, quam
248. Principum: *Oderint, dum metuant.* Neminem, ait Ill. Autor, in terris Dominum absolutum, quia nemo inter homines Deus. *P. II* clementiæ exemplum offertur *Ernestus*, Dux, qui moderatione usus est in ipso rigore justitiæ, contra suos provinciales exercendæ. *Disc. VII P. I* docetur, illum Principem bonum esse œconomum, qui bonum publicum privato præfert compendio. Sic *P. II Albertum Pium* optime consuluisse Provinciis suis per Judæorum expulsionem. *Disc. VIII P. I* de moderatione affectuum & constantia Principis agit. *P. II* exemplo est *Albertus Sapiens*.
391. *Disc. IX P. I* differit de cultu pietatis ad omnia utili, ubi refertur inter alia dictum, quod crebro in ore fuit *Maximiliano Emanueli*, Electori, *se in omni bellica expeditione expertum esse, nullos audacius in hostem progredi, quam qui pie vivere con-*
397 seq. *suessent. P. II* pro exemplo *Guilielmus Religiosus* ostenditur, cujus regia liberalitas in ædem Lauretanam & pietas in *S. Bennonis* reliquias celebratur, itemque conservatio avitæ religionis in Bavaria per illas fidei columnas, sive *salutis Boicæ*, uti tum vocabant, *quadrigas*, *Christophorum*, Dynastam Schwarzenbergium, *Leonh. Eckium*, *Augustinum Læschium*, & *Franc. Burcardum.* Idem sua pietate gloriam Ecclesiæ Coloniensis confer-
407 seq. vasse dicitur, quippe cui *Gregorius*, Papa, A. 1583 d. 1 Jan. curam religionis, periclitantis ex defectione *Gebhardi*, commiserat.

rat. *Disc. X P. I* tractatur, quænam sit eminentia togæ, quænam sagi; ubi de ministrorum virtutibus & delectu. Ait Ill. *de Wilhelm*, non male judicare viros magnos, lethalem esse Reipublicæ promiscuum scientiarum usum, commercia interire, ubi quilibet ex populo sectetur literas, nimis invaluisse pessimum nostris temporibus morem, ut, qui literis imbuitur, procul habeatur armis. *P. II Maximilianus V*, Elector, in utroque Cæsar fuisse dicitur, & eruditione, & fortitudine, & plura utriusque virtutis specimina referuntur. *Disc. XI P. I* agitur de fide religiosissime a Principe servanda. In *P. II* exemplum eximium posterisque commendandum præbuisse *Maximilianus Emanuel*, Elector, legitur his verbis: *Primo religiosissime servavit fidem Cæsari: inde, mutata causa, de qua hic agere meum non est, cum eandem fidem Regi Christianissimo addixisset, in eadem pari stetit integritate. Hac enim Electorum ac Principum Imperii libertatisque Germanicæ privilegia sunt, accedere fœderibus Regum exterorum, prout, salvis tamen Imperii legibus, convenientius putaverint. In unius semper verba jurare, subditorum est.* Exemplo fuisse dicitur *Maximilianus*, avus, qui, salva fide in Imperatorem & Imperium, cum Gallo fœdus iniit, pro Electoratu sibi & Domui suæ conservando. Exemplum etiam *Ferdinandi* Patris allegatur. Adhæc recensetur Epistola *Caroli XII*, Regis Sueciæ, qui post pacem Trajectinam eximie in hoc Electore collaudavit fidei integritatem, cuique fœderato nunquam non gloriosam & utilissimam. In tabula cernitur effigies Electoris, imposita columnæ, quam hinc fors volubilis, inde invidia, convellere nituntur, ingruente simul fulminis terrore. Inscriptio columnæ: *Datæ fidei integritas.* Id omnibus persuasum esse cupit Ill. Autor, nihil a se datum hic adulationi, omnia veritati. Denique *Disc. XII* sistitur *Carolus Albertus*, Elector hodiernus, Ordinis Equestris S. Georgii instaurator. Primo multis agitur in genere de more creandi Equites, deinde de Ordine S. Georgii, quem, a *Friderico III*, Cæsare, institutum, cum in fine Seculi XVI intercidisset, Elector Serenissimus instauravit.

Pag. 478. 445. 474. 473.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE, &c. h. e.

COMMENTARII, HISTORIÆ CELEBERrimorum in Republica Literaria Virorum inservientes. Accedunt Catalogi Librorum, a singulis scriptorum, de iisque judicia.

Tomus XX.

Lutetiæ, apud Briassonium, 1732, 8.
Plag.14,& totidem plag.dimid.

Cum Cl. Autor *decimum* quemque *Tomum* implere constituerit Supplementis & Correctionibus, partim suis, partim amicorum suorum, hisque annectere tres Indices in *novem* superiores *Tomos*, & *primum* quidem rerum, *alterum* illorum, quorum vitæ sunt expositæ, *tertium* necrologicum, in quo Autores, a se descriptos, eo ordine nominatim producit, quo vita excedere iis contigit; idem etiam præstitit in *Tomo* hoc *vigesimo*. E quo ne nihil plane delibemus, scire volumus Lectores nostros, primo statim loco hic occurrere eximia quædam de *Joanne Viterbiensi*, deque libris, & antagonistis, itemque patronis ejus. Exhibendam quoque Cl. Autor *p. 26-29* censuit *Petri Varignonii Demonstrationem mathematicam possibilitatis præsentiæ realis corporis Christi in S. Cœna*. Singularia de *Isaaco Peyrerio* proferuntur *p. 42 seq.* quem nunc demum certo docetur exstinctum esse d. 30 Januarii A. 1676. Qua occasione commemorandum ducimus, Polyhistorem illum Bremensem, *Theodorum Hasæum*, scribere aggressum fuisse locupletissimum de *Peyrerio* illo Commentarium, qui, si forte in scriniis hæredum jam latet perfectus, magnopere optamus, ut emittatur in publicum. Redimus ad Nostrum, qui *p. 81 seq.* longe perfectiorem, quam antea, atque accuratiorem sistit notitiam *Alberici Gentilis*. Amplissimum vero Supplementum reperire est *p. 140 - 169*, ubi de vita

vita hæresiarchæ notissimi, *Joannis Labadii*, ex Autoribus fide dignis depromuntur, quæ & augeant ipsius historiam, & multos, qui de eo circumferuntur, rumores falsos refellant.

FRIDERICUS PULCHER AUSTRIACUS INTER Imperatores Romano-Germanicos adhuc stat; quod hisce pagellis probatum it RAYMUNDUS DUELLIUS, Can. Reg. & Bibliothecarius Sand-Hippolytensis.

Norimbergæ, sumtibus Jo. Adami Schmidii, 1733, 4. Plag. 13½.

Cl. *Duellius* nobile atque egregium argumentum sibi pertractandum suscepit, quando, *Fridericum Pulchrum* Imperatoris Romanorum titulo non minus, quam potestate, usum esse, hoc ipso libro satis clare atque aperte ostendit. Atque accessit ad hoc Opus pulcherrimis adjutus subsidiis, & Augustissimi Imperatoris, *Caroli VI*, autoritate clementissime excitatus. Quapropter ingentem veterum Diplomatum, Chartarum, & Chronicorum manu exaratorum numerum conduxit, quandoque Scriptores tum coævos, tum recentiores, in partes suas vocavit, sed illos solum, qui neque nimis negligentes fuerunt in veritate indaganda, neque partium studio se suspectos reddiderunt. Quinque argumentis utitur Cl. Autor, quæ per lancem saturam recensebimus. Primum atque præcipuum argumentum est, quia *Fridericus Pulcher* hoc jus ex electione habuerit, sacra Imperii signa atque ornamenta penes se custodiverit, perplurimæ Provinciæ ipsius nutui voluntatique paruerint, omnia Imperatoriæ majestatis jura exercuerit, & diu satis adversario suo restiterit, deinde quod jus illud sibi armis præliisque repetitis, etsi non semper æquo Marte, sibi vindicaverit; tum porro, quod post funestam captivitatem & pactionem cum *Ludovico Bava*-

ro æquale & indivisum Imperii consortium, antiquo Divorum fratrum exemplo, obtinuerit: præterea quod & ante captivitatem, & post illam se, nemine, & ne quidem *Ludovico Bavaro*, contradicente, ita gesserit, seque *Regem Romanorum semper Augustum* scripserit; denique quoniam tum summus Pontifex in literis *Charissimum in Christo filium in Regem Romanorum electum*, tum *Ludovicus Bavarus*, illiusque in imperio successor, *Carolus IV*, aliique, sigillatim, cujus testimonium in hac arena omni exceptione majus est, *Bertholdus*, Comes *de Henneberg*, *Ludovici Bavari* Consiliarius Aulicus, *Fridericum Regem Romanorum semper Augustum* appellaverint. Utramque paginam in hoc libello faciunt antiquissima probatissimaque Diplomata, quibus sententiam suam tam solide docteque evictam dedit *Duellius*, ut omnibus, qui ad libri hujus lectionem animum ingenuum, candidum, & a partium studio alienum, afferent, causa *Friderici Pulchri* satis perorata videri queat.

ELOGIUM MICHAELIS HENRICI GRIBNERI, JCtorum Lipsiensium Principis.

Postulant insignia atque præclara *Michaelis Henrici Gribneri*, JCti incomparabilis, in Jurisprudentiam & Rempublicam Literariam merita, ut digno a nobis condecorentur celebrenturque Elogio. Hic præcellentis Vir ingenii Lipsiæ anno superioris Seculi secundo octogesimo lucem adspexit. Patrem habuit *Danielem Gribnerum*, Sanctiorum Literarum Licentiatum, & Sacerdotio, Diaconatum nos vocare solemus, ad D. *Nicolai* ædem summa integerrimæ sanctimoniæ laude functum, & libris de pœnitentia & mortis cogitatione scriptis clarum. Matrem coluit *Rosinam Elisabetham*, spectati pudoris fœminam, ex Celeberrima *Horniana* gente oriundam. Vix secundum ætatis annum expleverat *Gribnerus*, cum Parens optimus mortalitatem exueret, in

cœle-

cœleſtem patriam ſe reciperet, Noſtrumque paterno præſidio deſtitutum relinqueret. Hic vero præſentem immortalis Numinis opem, & divinum, quod parentibus orbis adeſſe ſolet, auxilium expertus eſt. Etenim *Lüderus Menckenius*, JCtus excellentiſſimus, & in tantum laudandus, in quantum pietas, doctrina,& humanitas, laudari debent, qui matrem *Gribneri* ſalutari connubii fœdere ſibi junxerat, tam incredibili & inuſitato amore complexus privignum eſt, ut is non tam parentem amiſiſſe, quam alterum inveniſſe, videretur. Sapientiſſimi nimirum *Menckenius* ingenii circumſpexit provide doctos viros, qui non ſolum liberalibus artibus *Gribneri* animum mirifico diſcendi ardore flagrantem,ſolide inſtruerent,verum etiam exemplo ſuo fidem facerent, ſe neque ruri natos, neque alienos eſſe a ſanctioribus Chriſti, quæ in divino Codice nobis mandavit, præceptis. Neque ſic officio ſuo ſeſe functum ſatis eſſe judicabat *Menckenius*,ſed ipſe quoque in partem curarum veniebat, & inquirebat quotidie magna ſolicitudine in privigni profectus,& animum ejus ad laudis gloriæque connitentem materiam ſaluberrimis confirmabat monitis. Non ita multo poſt magis amplum ſpatioſumque ſpectatiſſimæ *Gribneri* virtuti theatrum aperuit, eundemque in Scholam D. *Nicolao* ſacram maturo ablegavit conſilio. Doctoris partes eo tempore adminiſtrabant *Jo. Godofredus Herrichenius*, *Chriſtianus Ludovicus Crellius*, & *Dietericus Dreslerus*, adjutores ingeniorum probatiſſimi. His cum familiarius uteretur, & inprimis *Crellii Dresleri*que, quorum duorum inſignem dexteritatem publice collaudavit, conſuetudine delectaretur, tam expeditas in melioribus artibus progreſſiones fecit, ut in illarum abditos reconditosque receſſus intimaque penetralia perveniret. His præſidiis inſtructus, anno ætatis decimo ſeptimo Academiæ patriæ nomen dedit, &, cum, ſine accurata Philoſophiæ cognitione neminem quemquam magnum atque excellentem JCtum evaſiſſe, perſpectum haberet atque exploratum, *Ottone Menckenio*, peritiſſimo nobiliſſimæ Scientiæ Doctore, ſapientiæ præceptis animum contra cunctos

 vitæ

vitæ caſus probe munivit. Hiſtoriam, illam veritatis nuntiam, interprete *Jo. Burchardo Menckenio*, didicit. Ad Theologi decus ferebatur *Gribnerus*. Quapropter *Starckium*, Hebrææ linguæ ſacraria aperientem, & *Godofredum Olearium*, & *Jo. Benedictum Carpzovium*, divinorum oraculorum myſteria tradentes, adiit, & obſequio & diligentia ſua ſibi conciliavit. Verum enim vero, ſuaſu hortatuque vitrici, aliam ſtudiorum viam iniit, & ad Jurisprudentiam animum, mentem, ſtudium denique omne ſuum, tranſtulit. Confecit quoque, qua erat ingenii promtitudine, intra breviſſimum tempus ampliſſimum vaſtiſſimumque artis præſtantiſſimæ iter ſub auſpiciis JCtorum exercitatiſſimorum, *Lüderi Menckenii*, *Jacobi Bornii*, & *Theophili Gerardi Titii*. Neque nullum pertinacis & indefeſſi laboris fructum tulit. Poſteaquam enim, conflictus moderatore *Chriſtophoro Godofredo Mœrlino*, Quæſtionem: *An & quatenus filiifamilias SCto Macedoniano tuti ſint in conſcientia?* ingenti cunctorum, qui aderant, plauſu contra ſecus ſentientes defenderat, A. 1702 Magiſtri Philoſophiæ nomen dignitatemque reportavit. Adſcendit itaque ſemel iterumque cathedram, & victor inde rediens, magna Auditorum frequentia, Juris Naturalis præcepta facili expeditaque ratione explicuit. Sic cum ſe gereret *Gribnerus*, & expectationem illam, quam de ſe concitaverat, non ſolum egregie expleret, verum etiam mirifice ſuperaret, non dubitarunt JCti Lipſienſes civi bene merenti, nondum viginti & unum annum nato, A. 1703 Doctoris jura privilegiaque tribuere. Ab illo tempore non forenſibus bellis turbisque ſeſe addixit excelſi *Gribnerus* animi, ſed ſceleratas plerorumque, qui inquieto & miſero huic vivendi generi ſeſe manciparunt, exoſus fraudes, tranquilliorem & ad immortalitatem nominis conſequendam magis compoſitam vitam elegit, & recitationes in præcipuas Juris partes inſtituit, & crebris Diſputationibus publice privatimque habitis exercuit ſelectiſſimorum Auditorum ingenia, & in *Actis* noſtris condendis nobilem collocavit operam. Viteberga, urbs pluribus ornamentis celebris, quæ Lipſienſium

civium

civium fortunam meliorem curæ cordique ſemper habuit, ut tutiſſimum Lipſienſium in patria improbe neglectorum receptaculum merito dici poſſit, irretortis oculis reſpiciebat *Gribnerum*, &, ſuffragante Rege Auguſtiſſimo, publici Doctoris munus A. 1707 ipſi benigniſſime demandabat. Non renuit, uti delicatuli quidam ſolent, *Gribnerus* divinæ voluntati, ſed læto hilarique animo patriam egreſſus, locum, in poſterum vigiliis lucubrationibusque ſuis ornandum, ſibi a Vitebergenſibus oblatum accepit, & ſub novi exordium muneris Programma *de Incrementis Jurisprudentiæ* propoſuit, Orationemque *de Officio & prudentia Legum interpretis circa ferendum de Legibus, quibus adſtringimur, judicium*, recitavit. Hic omnia cordati & induſtrii JCti munia cumulatiſſime explevit, & omnibus carus, omnibus acceptus fuit, ut non ſine ingenti acerbiſſimi mœroris ſenſu dimitterent deſideratiſſimum Virum, cum Divus *Fridericus Auguſtus*, ſagaciſſimus magnorum ingeniorum æſtimator, eum A. 1717 in Regiam Saxonum evocaret, ipſique graviſſimam Sanctioris Tabularii curam concrederet, & Aulæ Conſiliariis clementiſſime adſcriberet. Quod arduum atque difficile munus, dici vix poteſt, quanta animi religione, fide, integritate, circumſpectioneque geſſerit, multaque, diligens antiquitatis patriæ explorator, eruit ex vetuſtiſſimis chartis, eaque ad tuenda Principis patriæque jura in communem utilitatem ſalutemque protulit. Poſt funeſtam *Lüderi Menckenii* mortem A. 1726 in patriam, cunctorum expetitus voluntate, rediit, & JCtorum Ordinis Præſidium, & cetera, quæ huic conjuncta eſſe ſolent, munera Oratione ſolenni *de Uſu Diplomatum & antiquarum literarum in Jurisprudentia* auſpicatus eſt. Hinc, ut mos eſt in Academiis, Promotoris & Pro-Cancellarii officia & villarum veterum Academicarum & templi Paulini Præfecturam, ſæpius cum laude adminiſtravit, & præclare factorum conſcientia fructum laborum ſuorum percepit ampliſſimum. Rectoris Magnifici dignitatem, ſemel iterumque ſponte ſibi oblatam, qua incredibili *Gribnerus* erat continentia, generoſe atque conſtanter reſpuit, clarior hono-

Digitized by Google

honore ſpreto, quam accepto. Ceterum *Gribnerus* pia caſtaque mente divinum Numen coluit, religioſiſſimos illius voluntatis nuntios ſingulari quadam veneratione dignos cenſuit, illorum ſermonibus ſacris frequenter interfuit, &, vita innocenter illibateque tranſacta, quantum fructum ceperit ex illorum concionibus, oſtendit. Principi fidem integram præſtitit; Academiarum, in quibus docuit, ſalute nihil prius, nihil antiquius, habuit, cum Collegis ſuis nunquam in gratiam rediit, ſtudioſam juventutem tenero & vere paterno amore complexus eſt, nemini gravis, omnibus utilis fuit. Pauperes & ſortis quadam acerbitate oppreſſos liberaliſſime juvit, neque ullum quemquam triſtem a ſe abire paſſus eſt. Ipſi jucundum & amœnum hoc ſpectaculum vidimus, quando ſingulis Saturni diebus miſeri calamitoſique homines *Gribneri* ædes catervatim obſidebant, & ampliſſime recreati, & acceptorum beneficiorum memores, inter ardentiſſima vota pro perpetua *Gribneri* incolumitate facta, diſcedebant. Neque in ipſa morte glorioſum hoc propoſitum, bene de egenis, Chriſti fratribus, merendi, depoſuit, ſed teſtamento, veriſſimo ſanctiſſimorum morum ejus ſpeculo, quod ſex ante ſuum ex hac vita exceſſum diebus conſcripſerat, eorum neceſſitati ſapienter proſpexit. Cum enim per omnem vitam cælebs vixerat, & ſuaviſſimos illos cum libris ſuis congreſſus centenis conjugii moleſtiis prætulerat, JCtorum & Profeſſorum Lipſienſium viduis, Bibliothecæ Paulinæ, & uni Juris Studioſo, ampliſſima legata liberali & munifica manu reliquit, & hac Chriſtiana commemorabilique pietate memoriam ſuam ipſi æternitati conſecravit. Quæ cum omnia rite perfeciſſet, & conclamatam eſſe diuturnioris vitæ ſpem intelligeret, nuntium miſit terrenis caducisque negotiis, atque ſalutari epulo ſemel iterumque ſubrefectus, & cœleſtium gaudiorum percupidus, die 19 Februarii, in faſtis atro in poſterum inſigniendo nomine, in illuſtrem beatiſſimarum mentium ſedem, placidiſſima & ſomno ſimillima morte,

non-

nondum unum & quinquaginta annos natus, feliciſſime commigravit. Diligentiæ incredibilis plura, eademque ſelectiſſima, monumenta exſtant. Etenim, præter legem noviſſimam rei judiciariæ Saxonicæ, aureum Opus, & vel ipſi Edicto perpetuo, quod inſanis laudibus affecerunt priſci Scriptores, anteponendum, quod *Gribneri* vigiliis fere unice debemus, conſcripſit infinitæ Vir induſtriæ *Principia Proceſſus judiciarii*, *Principia Jurisprudentiæ Naturalis*, ſæpius recuſa. *Specimen Juris Germanici, a Georgio Beyero* conſcriptum, poſt immatura hujus Viri fata typis exſcribendum curavit, & Præfatione nitidiſſima ornavit, *Diſſertationes* quoque ſuas, materiæ gravitate & rerum delectu commendabiles, in unum corpus coegit, & *Halæ A. 1722* edidit. Præter hos, quos commemoravimus, libros, ſequentes Diſſertationes relatu dignas judicamus. *Diſſertationem* nempe *de Æquitate legum Romanarum circa periculum rei commodatæ*, *de eo, quod æquum circa feras ex cuſtodia dilapſas*, *de Fidejuſſore mulieris apud Saxones ſine curatore contrahentis*, *de Præjudicio tertii ex hypotheca rei immobilis extrajudicialis*, *de Uſufructu legitimæ patri non adimendo*, *de Exheredatione liberorum, ſine parentum conſenſu ſponſalia nuptiasve contrahentium*, *Obſervationes miſcellaneas ad literas* Caroli *V*, *Imperatoris*, *quibus res a* Ludovico, *Comite Palatino Rheni*, *Inter-Rege geſtas habuit*, *Centuriam Obſervationum fori Eccleſiaſtici*, *de Directorio, quod, Archi-Cancellario mortuo, abſente, vel impedito, Imperii Archi-Mareſchallo competit*, *de Condictione indebiti contra rem judicatam*, *de Imputatione geradæ in legitimam*, *de his, quæ ex jure Proteſtantium matrimoniali ad reliquias Sacramenti perperam referuntur*, *de Jure territorii ſubordinati*, *de* Caroli IV *Bulla Saxonica*, *de Subfeudorum Imperii, quæ olim feuda fuerunt, prærogativa*, *de Præcipuis differentiis Juris Saxonici Elector. & Luſat. Superioris*, *de Luitione fundi ſub haſta venditi*, *de Feudis Imperii maſculinis, non fœmininis*, *de Probatione dominii per juramenti delationem*. Inter Programmata hæc fere emi-

 nent,

nent, *de Dissensu inter Authenticas & Novellas conciliationibus* Pagenstecheri *minime sublato, de Necessaria Jurisprudentiæ Civilis cum notitia divinarum ac naturalium Legum conjunctione, & sententia* Grotii: *furiosos rerum suarum habere dominium; utrum filius, a patre in judicio Procurator constitutus, opposita ab Adversario exceptione, tanquam inhabilis possit removeri, de Directorio in caussis Evangelicorum Electori Saxoniæ competente, de Titulis Landgravii, Comitis Palatini Saxonici, ab* Henrico, *Misniæ Marchione & illius filio,* Alberto, *usurpatis, de ultimarum voluntatum interpretatione dubia, de Memoria magnorum virorum ad posteritatem propaganda, juncta Oratione, qua manibus* Menckenianis *parentavit, de* Wenceslai, *Regis Bohemiæ, S. R. I. per terras Misenensem Orientalem & Pleisnensem Vicariatu generali; num ad Privilegia piarum causarum pertineat, ut, quicquid iis ex quacunque causa solvitur, indebiti, aut erroris, prætextu repeti nequeat, de filio patris, aut matris, simultanee investito, de Legatis, ad pias causas relictis, in alios usus non convertendis, de Titulis veterum JCtorum, cum Juris Autores, conditores, nominantur, de Incommodis Hypothecarum tacitarum; an origo Hypothecarum tacitarum ex Jure Attico repeti queat? de primo Academiæ Lipsiensis Cancellario, de Argumentis, quæ pro hypothecis tacitis afferuntur, de Fundatione stipendii Borniani, de Incommodis Hypothecarum tacitarum in re pupillari.*

NOVA LITERARIA.

De patria sua præclare meriturus, *Jo. Conradus Fueslinus*, Vir in Helvetiis eruditissimus, in animo habet, optima quæque ac rarissima Historiæ Helveticæ monumenta, Scriptores, sive jam olim editos, sive adhuc in tenebris latentes, in unum corpus colligere, & conjunctos exponere ante oculos eruditorum. Publicavit huc institutum Programmate singulari, quo Scriptores eos omnes, quos ad prelum paratos habet, nomina-

natim indicat. Sunt illi bonæ notæ singuli, neque adeo indigni, quibus nova a Cl. Editore lux accendatur. Dabimus horum, præeunte *Fuerlino*, indicem: 1) Joannis *de Ordine Fratrum minorum de oppido Wintertbur acta & gesta suorum temporum, præsertim in Allamanniæ partibus*. Quodnam Autori gentilitium nomen fuerit, ignoratur. Vixit autem initio Seculi decimi quarti. Chronicum hunc librum integrum reddet Editor secundum Autoris avtographum, nonaginta tribus constans foliis in quarta forma, quod in publica Tigurinorum Bibliotheca servatur. In hoc Chronico multas res levioris argumenti contineri, ab obscuro & a politicis negotiis segregato homine conscriptas, non diffitemur, sunt tamen etiam aliæ plurimæ in eo proditæ, propterea maximi æstimandæ, quia aliunde hauriri non possunt. 2) Felicis Hæmmerlin, *Canonici & Cantoris Thuricensis, Decretorum Doctoris valde inutilis, nonnulla ex Tractatu de Nobilitate, de Suitensium ortu, nomine, confœderatione, moribus, & quibusdam, utinam bene, gestis.* Quanquam hic liber typis jam olim, nempe ante A. 1500, fuerit excusus; rarissime tamen prostat. In Helvetia profecto ac vicinis Helvetiæ urbibus, utut assidue requisitus fuerit, reperiri non potuit. Post longas demum ambages in media Germania inventum, & ab illius possessore doctissimo, *Jo. Ernest. Vockerodio*, Mulhusæ Thuringorum rerum divinarum interprete, impetratum est. Tractatus integer *de Nobilitate* volumen efficit nonaginta duabus constans chartis, forma, quam in folio dicunt, typis barbariem temporis redolentibus. Nec Editoris, nec Typographi, nomen adscriptum est, ex quibusdam tamen indiciis conjicit Editor, Argentorati, curante *Sebastiano Brandio*, typis subjectum esse. Claruit *Malleolus* A. 1440. Nonnulla vero hujus Autoris, quæ nigrum succum loliginis æruginemque meram sapiunt, merito supprimenda ducit Editor. 3) Bilibaldi Pircheimeri *Historia belli Suitensis, sive Helvetici, duobus libris descripta*. Dabitur hic libellus secundum *Melchioris Goldasti* editionem, raram illam optimamque, Francofurti A. 1610 procuratam, quæ illustris viri omnia habet Opera a *Goldasto* recen-

cenſita & digeſta. Conſtat hujus belli hiſtoria foliis ſeptem & parte folii dimidia, in forma maxima, typis valde minutis. 4) Henrici Loriti Glareani *Deſcriptio de ſitu Helvetiæ & vicinis gentibus*. Idem *de quatuor Helvetiorum pagis*. Ejusdem *pro juſtiſſimo Helvetiorum fœdere Panegyricon, cum Commentariis* Oswaldi Myconii, *Lucernani*, juxta editionem Baſileenſem, apud *Jo. Frobenium* A.1619 factam; novem ea foliis in quarto abſolvitur; quæ vero in altera editione, quam *Glareanus* ipſe ibidem A.1554 curavit, vel addita, vel mutata fuerunt, ſub finem Editor adjuncta dabit. 5) Ægidii Tſchudii, *Glaronenſis, Viri apud Helvetios clariſſimi, de priſca ac vera Alpina Rhætia, cum cetero Alpinarum gentium tractu, nobilis ac erudita ex optimis quibusque ac probatiſſimis Scriptoribus Deſcriptio; per* Sebaſtianum Munſterum *Latine reddita*. Editionem ſequitur Cl. *Fueslinus*, Baſileæ apud *Michaelem Iſengrinium* A.1538 emiſſam, quæ folia habet octodecim in quarta forma. Hunc libellum mira antiquitatis obſervatione, locis illis peragratis, & optimis quibusque in hoc genere Autoribus, & vetuſtis ubique literarum ac inſtrumentorum, ut vocant, monumentis perlectis, compoſitum perhibet *Conradus Geſnerus* in Bibliotheca. 6) Oswaldi Myconii, *Lucernani, de Tumultu Bernenſium inteſtino Commentarius*. Ex apographo, in Bibliotheca civica conſervato, quod novendecim conſtat foliis in quarto, nunc primum exhibetur. Hactenus ita ignoratus fuit, ut nullum meminerimus Catalogum, vel ſcriptum, vel impreſſum, in quo ejus facta fuerit mentio. Apographum illud ſphalmatum plenum eſt, ut, ab imperito amanuenſi ſcriptum eſſe, facile appareat. Nonnullibi reperiuntur lacunæ, ubi actorum nomina erant deſignanda. Ceterum luce & Autore libellus digniſſimus videtur. Sub modeſta enim inſcriptione partem belli Capellani primam complectitur, in qua Bernenſes ſociique rem felicibus auſpiciis geſſerunt, deſinit autem cum A.1530, quo belli fortuna mutata eſt. 7) *Ejusdem* Oswaldi Myconii *Narratio veriſſima civilis Helvetiorum belli, per modum Dialogi congeſta*. Et hoc *Myconii* Opuſculum omnium hactenus oculos & memorias effugerat. Avtographon aliquis literarum ſtudiis expolitiſſimus juvenis, bonis libris

Digitized by Google

bris ubique inhians, e paupere quadam domo extractum, veluti ex naufragio ſervavit. *Myconii* Chirographum eſſe, nemo dubitabit, qui ſcripturam cum Epiſtolis *Myconii*, ad noſtrum *Bullingerum* miſſis, comparaverit, quæ in Bibliotheca publica in MSto reperiuntur. Imperfectum nec dum finitum Opus Autorem reliquiſſe, vel ex eo ſit veriſimile, quod poſtrema pagella, in adverſa duntaxat facie perſcripta, a tergo candida ſit. Hic Dialogus quatuor complet folia. Duros autem & iniquos poſterioris belli Capellani caſus depingit; ſub finem plura de *Zwinglii* vita, moribus, & ſtudiis, ſcitu non inutilia ſunt commemorata. 8) Joſiæ Simleri *de Valeſia libri duo*, juxta editionem *Froſchauerianam*, A. 1574 per ipſum adornatam, in octavo, foliis ſeptem. In hoc libello regionis ſitus, populi mores, Reipublicæ forma, & præterea *Valeſianorum* res geſtæ, deſcribuntur. 9) *Ejusdem de Alpibus Commentarius*; ad eandem *Froſchauerianam*, foliis undecim. 10) *Ejusdem Respublica Helvetiorum*, h. e. *exacta tum communis Helvetiæ, tum rerum ab inito fœdere geſtarum, Deſcriptio*; ad editionem *Wolfianam* A. 1608, cum *Froſchaueriana* recognitam, in octavo, foliis ſeptem & viginti. 11) *Ejusdem Proceſſus tumultuoſus Conſulis Waldmanni A. 1489*; ex apographo MSto nunc primum in lucem editur, duobus foliis. *Simleri* ſcripta exteris omnium ſunt notiſſima. Eum enim Autorem in præcipuis ſequuntur, quando de Helvetiorum rebus quidquam literis conſignant. 12) *Chriſtiani Urſtiſii*, Mathematicarum in Gymnaſio Baſileenſi Profeſſoris, *Epitome Hiſtoriæ Baſileenſis*, præter totius Rauricæ deſcriptionem, urbis primordia, antiquitates, res memorandas, clarorum civium monumenta, ceteraque his ſimilia, complectens, una cum Epiſcoporum Baſileenſium Catalogo; ad editionem Baſileenſem, *Sebaſtiano Henrico Petro*, Typographo, per ipſum Autorem curatam A. 1577. 13) *Franciſci Guillimanni*, Friburgi Aventicorum nobili genere nati, *de rebus Helvetiorum, ſive Antiquitatum, libri quinque*, ex variis ſcriptis, tabulis, monumentis, lapidibus, optimis plurium linguarum Autoribus. Hos typis deſcribendos curabit Editor ſecundum unicam Friburgenſem apud *M. Wilb. Maſs*, ab ipſo

Digitized by Google

Autore procuratam editionem, in forma quarta, A.1598. Quæ enim exemplaria Amiterni urbis & *Camilleti* librarii nomina simulant, annumque 1623 mentiuntur, si sex pagellas a primo limine, in quibus Rubrica, Dedicatio, & Capitum Index, redduntur, exceperis, ab illa ne apice quidem diversa sunt. Sunt folia sexaginta. 14) *Ejusdem Habspurgiaca*, sive de antiqua & vera origine Domus Austriacæ, vita & rebus gestis Comitum Vindonissensium, sive Altenburgensium, inprimis Habspurgicorum, libri septem; secundum editionem Mediolanensem, in officina Regia *Pandulphi* & *Marci Tullii Malatesta* A. 1605 sumtu liberalissimo adornatam Constat ea forma quarta, foliis quadraginta & quatuor. De libertatis Helveticæ initiis vix exstat Scriptor, qui eruditius, plenius, & simul certius, scripserit. 15) *Joannis Henrici Suiceri*, in agro Tigurino apud Rikenbachenses Pastoris, *Chronologia Helvetica*, res gestas Helvetiorum ad initium usque Seculi XVII indicans ordine, & brevissime complectens; secundum editionem Hanoviensem, typis *Wechelianis* A. 1607 factam. Constat foliis 16. *Suicerum* compendiosi & accurati Scriptoris encomio ornat *Jo. Henricus Hottingerus*. 16) *Jo. Baptistæ Plantini*, Lausanensis, & apud Castrodunenses Helvetios V.D.M. *Helvetia antiqua & nova*, seu Opus, describens I) Helvetiam quoad adjuncta, & partes, & Helvetiorum antiquitatem & originem, nomina, mores, antiquam linguam, religionem, politiam, virtutem bellicam; II) Antiquiora Helvetiæ loca; III) Populos Helvetiæ finitimos; secundum editionem Bernensem A. 1656 in octavo, foliis quatuor & viginti. Qui Autor & magnam industriam & judicium singulare comprobat. 17) Peregrini Simplicii Amerini *Bellum civile Helveticum*, A. 1656 in 12, tribus foliis. Sub hac persona *Waltherum Schnorfium*, Badensem, *Caspari Ludovici*, Equitis, & apud Aquensem civitatem Prætoris & Vexilliferi, meritis inclyti viri, patrem latere voluisse, prodiderunt Basileenses in Supplementis ad *Buddei* Lexicon Historicum. At certioribus indiciis compertum habet Editor, non *Schnorfium*, sed

Pap-

Pappum quendam, e Canonicis Capituli Constantiensis, non ignobilis fœtus genuinum esse parentem. 18) *Jo. Henrici Hottingeri Speculum Historico-Tigurinum πεντάγωνον*, quo breviter & succincte de Helvetiorum, Tigurinorum cumprimis, agitur statu I) Politico, II) Ecclesiastico, III) Militari, IV) Eventuali; accedit V) Compendium Chronologicum de rebus Tigurinorum. Secundum editionem unicam Tigurinam A. 1664 in 12, foliis sex & viginti. Hoc Opusculum totum loca, ex antiquis Monumentis Diplomatibusque summa diligentia decerpta, & erudito cum judicio exquisita, conficiunt absolvuntque. 19) *Ejusdem Irenicum Helveticum*, sive axiomata, quæ Helvetiis pacis & concordiæ studium excitare queant, in octavo, A. 1654, tribus foliis. 20) *Ejusdem Methodus legendi Historiam Helveticam*, sive Canones, in lectione Historiæ domesticæ observati. Accedit urbis Thuricensis ex vetustis monumentis σκιαγραφία, in octavo, fol. 27. Canones illi sunt arbitrarii, ex diversis observationibus, quas Historia Helvetica magno numero suppeditare potest, derivati. Habes, amice Lector, Scriptorum Catalogum, qui de Helvetiorum rebus gestis omnium optime meruerunt, sed sunt, ut vides, numero plures, quam ut unus Tomus cunctos capiat, nisi eum ad informis molis magnitudinem succrescere velit Editor. Propterea necessitatem sibi injectam videt, unum alterumque Autorem in alium Tomum conservandi. Sufficit enim ipsi materia, quæ secundum Tomum possit implere. Nam, qui de Rhætorum rebus scripserunt, & Historici & Politici generis libri alii magno numero, graciles quidem, sed argumento graves, & sane digni, qui ab interitu vindicentur, quem sua illis tenuitas adducere videtur. Verum de altero Tomo succenturiando suum consilium aperiet plenius, ubi tempus hoc Opus maturaverit. In primo adornando fervent nunc operæ, jamque ad dimidiam partem editio processit, alteram vero partem intra octo mensium spatium expeditum iri spes est. Ceterum Typographi, *Conradus Orellius & Socii*, qui pro sua de bonis literis patriaque bene merendi volun-

voluntate in laboris partem cum Editore venire, impensasque haud mediocres subire, non reformidarunt, illis, qui Opus universum sibi comparare animum induxerunt, hanc offerunt conditionem, ut in præsentiarum duos ipsis florenos cum dimidio solvant, fidemque faciunt, totidem præterea se Opere finito dinumeraturos esse. Pro hoc argento folia ducenta se exhibituros spondent, quorum partem, jam prelo dimissam, protinus, ubi jusserint, extradituri sunt. Si qui sint, qui hanc partem statim perlegere gestiant, his consilium dant, ut eam leviter tantum compingendam curent, donec Operis residuum ad finem perductum fuerit, ubi singulis Autoribus suus locus designabitur. De charta, typorumque forma, & concinna dispositione, de correctione, & ceteris, quæ ad artem typographicam spectant, ita prospectum est, ut dubitandum non sit, quin fiat satis Lectoribus. Præmittet huic Operi Editor Prolegomena quædam, quibus de Scriptorum eruditione, indole, fide, librorum editionibus ac fatis, & si quæ alia sunt, quæ scire Lectorum intersit, certiores fiant. Denique, ne quid Operis hujus utilitati & ornamento desit, Indicem generalem parabit, qui Lectorum memoriam sublevet. Quilibet videt, magnum Operis, absque nostra commendatione, pretium esse, meritamque Editorem æque, ac Typographos, utilissimo hoc instituto ab Helvetiis suis, quin ab eruditis ad unum omnibus, gratiam inituros.

Trajecti ad Rhenum hoc ipso anno denuo prodiit *Rituum Romanorum succincta Explicatio, Autore G. H. Nieupoort.* Est hæc quarta libri editio, typis *Jo. Brædelet*, eadem forma octava, qua olim, expressa, sed correctior, Indice copiosiore & Appendice locupletior, Notisque & Scriptorum testimoniis aucta a *G. O. Reitzio.*

Pl. Reverendus Hildesiensis Ecclesiæ Pastor, *Gabriel Wilhelmus Gœttenius*, unam nuper publicavit plagulam, in qua docet, se in eo esse, ut librum emittat de Viris eruditis hac nostra ætate in omni Europa viventibus, deque eorum scriptis. Ut igitur undique mittant ad ipsum copias auxiliares Viri doctissimi e singulis Europæ partibus, ipsius rogatu a nobis rogantur etiam atque etiam.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno MDCCXXXIV.

MAGNA BIBLIOTHECA ECCLESIASTICA, ſive Notitia Scriptorum Eccleſiaſticorum veterum ac recentiorum; in qua ordine Alphabetico continetur Autorum ſacrorum Veteris & Novi Teſtamenti, Autorum Apoſtolicorum, & S. S. Patrum, vitæ compendium, & eorum Scripta enumerantur, S. S. Scripturæ Interpretes, Paraphraſtæ, Commentatores, Critici, nec non S. S. Evangelii Concionatores, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, S. Theologiæ Dogmaticæ, Scholaſticæ, & Moralis, Caſuum Conſcientiæ, Juris Canonici, Polemici, Myſtici &c. cujuscunque Religionis ac Sectæ Scriptores, ſimul & Conciliorum omnium, tam generalium, quam particularium, hiſtoria & Decreta exhibentur, Pontifices Romani, eorumque Vitæ, Scripta & Bullæ indicantur, tum quæ in Bullario, tum quæ extra Bullarium habentur, Fundatores Ordinum religioſorum referuntur, Scriptorum ortus, ætas, doctrina, præcipuæ res geſtæ &c. eorum Opera genuina, ſpuria, dubia, ſuppoſititia, illorumque Editiones, accurate recenſentur, deperdita præterea, atque inedita, notantur; additis ut plurimum de ſingulorum doctrina ac ſtilo

*eruditorum judiciis, cum Indice Autorum & Conciliorum; omnia ab orbe condito ad nostra usque tempora. Opera & studio * * Jur. Canon. Doctoris, & aliorum.*

Tomus I.

Coloniæ Allobrogum, sumtibus Perachon & Cramer, 1734. fol. Alph. 9 pl. 11.

Mirifica & plane singularis Seculi nostri est felicitas, quod doctissimi præstantissimique Viri Historiam Literariam strenue atque solicite excolant, eandemque ad summam, quantum fieri potest, perfectionem perducant. Non ultimum inter illos locum occupant Cl. Editores splendidissimi & utilissimi hujus Operis, cujus titulum integrum hic in gratiam Lectorum adscripsimus, qui accuratam & infinito labore confectam Scriptorum Ecclesiasticorum Bibliothecam eruditorum oculis subjiciunt. Inter veteres *S. Hieronymus*, inter recentiores *Dupinius*, *Ceillerius*, *Caveus*, & *Oudinus*, in hoc genere eminent. Poterant hi celeberrimi Viri avocare a proposito Editores, nisi, multa adhuc desiderari in prædictis Bibliothecis, illi sapienter animadvertissent. *Dupinii* & *Ceillerii* Bibliothecæ Gallico idiomate conscriptæ sunt, ordine Chronologico dispositos Scriptores exhibent, librorum editiones non accurate annotant, plurimasque omittunt, quibus omnibus nævis medelam adhibuerunt exoptatissimam Cl. Editores. Præterea enim, quod Latino, hoc est, eruditis proprio quasi atque peculiari, sermone Bibliothecam suam exaraverint, & ordinem Alphabeticum tenacissime observaverint, nullum Scriptorum, qui Ecclesiasticorum nomine veniunt, facile præteritum deprehendet Lector. Neque saltem viros, verum etiam fœminas, literarum sacrarum scientia probe instructas, commemorant. Quid? quod ipsos illos nostræ ætatis homines de literis sacris & Historia Ecclesiastica meritissimos, adhuc superstites, inseruerunt Bibliothecæ, illosque humanis-

manifſime rogant, ut vitæ ſuæ Commentarios ad Autores mittant, alias, ſe ex eorum vita & ſcriptis, quod illi inviderunt orbi erudito, ſuppleturos eſſe, graviter minantur. Tum Scriptorum vitam tradunt, indicatis diligenter fontibus, ex quibus rivulos ſuos irrigarunt. Poſtea Catalogum Operum cujuslibet Scriptoris, notatis diverſis uniuscujusque Operis editionibus, apponunt. Præcipuis celebriorum Autorum Operibus Libri analyſin & Epitomen, non admodum quidem prolixam & diffuſam, ſed accuratam & ſufficientem, adjiciunt. Ubi dubia & ſpuria quædam Opera Autori cuidam tribuuntur, ea, addita eruditorum cenſura, in calce articuli annotant. De Scriptorum ingenio & dignitate non ipſi judicant, ſed ea, quæ a doctis Viris, ſive in Bibliothecis præcedentibus, ſive in variis Ephemeridibus, ſive alibi, prolata ſunt, bona fide referunt. A libris, quos Scriptores Eccleſiaſtici quidem compoſuerunt, ſed qui ad religionem, vel Theologiam, non pertinent, recenſendis ſtudioſe abſtinuerunt. Concilia quoque, resque ibidem geſtas, ſed eas ſaltem memoratu dignas magna ſolicitudine enumerarunt. Præſtantiſſimos ſelectiſſimosque Scriptores, quos in fronte hujus Operis laudarunt, in ſubſidium advocarunt, & ſpem exſpectationemque, quam de hoc Opere jam dudum eruditi conceperant, egregie atque feliciter impleverunt. Multæ atque præclaræ hujus libri dotes ſunt, omnium tamen ſuprema eſt, quod Cl. Editores ſine partium ſtudio ad ſcribendam hancce Bibliothecam acceſſerint, & Lutheranæ, Reformatæ, aliique Sectæ addictis Viris doctis, quemadmodum Romano-Catholicis, juſtas & condignas meritis ſuis laudes tribuerint, & ubique ſummam accurationem, & pertinacem diligentiam, oſtenderint, ut non poſſimus non, quin continuationem fructuoſiſſimi hujus Operis cum omnibus bonis atque intelligentibus Viris animitus voveamus.

ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΛΟΓΓΙΝΟΥ, κ. τ. λ.

h. e.

DIONYSII LONGINI DE SUBLIMITA-

te Libellus, Græce conscriptus; Latino, Italico, & Gallico sermone redditus, additis Annotationibus.

Veronæ, ex typographia Jo. Alberti Tumermani, 1733, 4 maj. Alph. 1 pl. 20.

Persequitur institutum suum Typographus nobilissimus, splendidis libris atque emendate editis Rempublicam literarum augendi. Merebatur cultum istum *Longinus*, qui, nescimus, an ita felix futurus erat, si totus, vel pluribus certe suis quasi membris servatis, ad nos pervenisset. Jam in parvulo corpusculo, quasi Palladio quodam, expoliendo, servando, in arce ac templo Vestæ, hoc est, Perpetuitatis, ponendo, certatim elaborarunt eruditi, & cummaxime elaborant. Et quid ni agerent, si verum dixit *Ant. Maria Salvinus*, quem nondum eluxerunt Musæ, verbis, quæ ipsius lingua proponemus, ut sunt a Cel. *Gorio* in Præfatione suæ interpretationis ex ore Viri, quem præceptorem colit, prolata: *Che questo pregiatissimo Trattato cotanto stimato, e letto, e riletto da tutte le nazioni piu culte, è necessario ai giovani studiosi come il pane; affinchè leggendo acquistino il buon gusto, la critica, il discernimento de' buoni Autori; perchè in somma diventino grand' uomini, nelle belle lettere.* Nihil igitur peccatum, quod dantur hic juventuti tetrapla quasi quædam *Longiniana*. Quo consilio autem factum sit, uti nusquam indicaretur, unde quæque columna, præter Italicam, desumta sit & huc translata, nescimus: certe defectum, qui videri poterat, in quorundam Lectorum gratiam supplevimus. Græca igitur, cum Latina versione, & Notis omnibus, Indice item utroque, & Vita *Longini*, repetita ad verbum, & sine ulla, quam observarimus, mutatione revocata sunt ex editione, quam *Edm. Hudsonus* primum dedit Oxoniæ A. 1710, 8, repetita deinde A. 1718 & 1730, quæ cum notissima sit & commendatissima omnibus, nihil necesse est, de ea re plura commemorare. Neque de Gallica vel interpretatione, vel annotationibus, opus est aliud dicere,

quam

quam hoc, eſſe eas *Nic. Boilei*, quales cum *Boivini Dacerii*que Obſervationibus habentur, v. g. *Tomo III* Operum Amſt. 1717, 8, omiſſis tamen, quæ alteram illius Tomi Partem implent, cogitationibus criticis. Nihil itaque supereſt, quam ut Italicæ verſionis rationem reddamus, quæ nunc nova prodiit. Habet ea Autorem, cui majora jam debet orbis literatus, *Anton. Franciſcum Gorium*, qui, dum fervet ſub prelo altera Pars Muſei Florentini, retractavit hanc ipſam interpretationem, olim a ſe ſub oculis & lima Præceptoris ſui, *Anton. Mariæ Salvini*, confectam, & poſt varie tum ab ipſo Autore, tum ab aliis, relectam politamque, uti jam inter præſtantia hoc genus Opera numerari ſuo jure poſſit. Illud præſertim nobis videmur obſervaſſe, non aliorum interpretationes, quod vulgo fieri conſtat, ſed ipſa Græca Autoris verba in conſilio habuiſſe Cel. *Gorium*. Specimina verſionis dare nihil attinet, ubi nihil deprehendas animadvertendum. Itaque potius ex Dedicatione Viri Cel. ad Virum Cl. *Anton. Franciſcum Marmi*, Ordinis S. Stephani Equitem, excerpemus quædam Literariæ Hiſtoriæ ſtudioſis non ingrata, credimus, futura, cum de iis, quantam recordamur, non ſatis aliunde conſtet. Vir Illuſtris, quem modo laudavimus, præfectus eſt Bibliothecæ, quam *Anton. Magliabecchius* teſtamento publicaverat, quibus Tabulis, & Ill. *Marmio*, una cum *Laurentio Comparino*, JCto excellentiſſimo, cura illius ordinandæ, in Catalogos referendæ, & binis per ſingulas hebdomadas diebus aperiendæ, data eſt. Donavit paulo poſt locum Bibliothecæ *Coſmus III*, Magnus Dux Etruriæ, qui Theatrum ad eum diem fuerat, contiguum ipſis Mediceis porticibus. Hunc exornandum deinde & inſtruendum curavit *Marmius* ad eum modum, ut jam illuſtre habitaculum præbeat triginta millibus librorum, qua typis cuſorum, qua exaratorum calamo, *Magliabecchianis*. Hos confuſos antea & disjectos eleganter jam diſpoſuit *Marmii* induſtria, & jam ita ſtrenuo in conficiendis Indicibus occupatur, ut ſpes ſit, futurum, ut non ita multo poſt ex deſtinatione magni teſtatoris aperiri poſſit & publicari.

Digitized by Google

LE THEATRE DES GRECS &c.

h. e.

THEATRUM GRÆCORUM, AUTORE R. P. BRUMOY, e Societate Jesu.

Tomus I, II, & III.

Parisiis, apud Rollinum, patrem, Jo. Bapt. Coignardum, filium, & Rollinum, filium, 1730, 4 maj.

Alph. 10 pl. 12, Tabb. æn. 3.

Cum in magna luce atque claritate versentur vetusti Scriptores reliqui, neglecti fere jacuerunt ad hunc diem Tragici veteres; hos in lucem & judicium producere Autor constituit, ut cum causæ cognitione aut laudari possint, aut condemnari. In illo bello de comparatione veterum & recentiorum (ad quod lepide transfert Autor noster, quod alii
Pag. 7. de religione, alii de Gallia dixere, *sæpe oppugnatam esse antiquitatem, male interdum defensam, semper tamen superiorem*
8. *discessisse,*) primo illud ponendum contendit, *veritatem & pulchritudinem esse unam*, quo nomine in operibus ingenio perfectis intelligit *imitationem naturæ conformem sententiis in gente polita receptis.* Ita pulchra erit *Alcestis Euripidea*, si affectum conjugis, mori pro conjuge cupientis, ita exprimat, ut Atheniensium moribus & sententiis imbuto bene expressus videatur, neque ulla illius culpa est, si stupeat rideatve Gallus ad ea, quæ a consuetudine atque sententiis suæ gentis atque ætatis remota sunt: quemadmodum in *Racinii* fabula *Alceste* ipse *Euripides* inter præclara multa reperturus etiam videtur, quæ ab omni decore abhorrere ipse arbitretur. Injustum ergo fuerit, accusare Tragicos veteres, cum tales nobis pinxere suos heroas, quales fuere, nisi forte pictorem quis
10. accuset, qui suam rebus non amœnis magis, quam horribilibus, imaginem reddat. Quæ cum ita sint, negat Autor, se vitii omnis expertes putare veteres: illud postulat merito, ne judicentur ex moribus & sententiis nostris. De Theatro igitur

&

fabulis, tum Tragicis, tum Comicis, Græcorum, ut judicari melius poſſit, in Diſſertationibus Operi præmiſſis originem & hiſtoriam Tragœdiæ veteris explicat, eamque cum noſtræ ætatis inventis comparat. Tum, quicquid supereſt Tragœdiæ veteris, enarrat, comparat tum inter ſe veteres, tum hos cum recentioribus, bonam etiam partem veterum Gallice vertit: qua in re vitioſam præſertim diligentiam a ſe evitatam cupit, qua fit, ut, dum epithєta omnia & formulas conſectantur aliqui, in languorem quendam & frigus orationis incidant, Quod a quibusdam ſtudio factum, ut riſui veteres exponerent. Cum fieri non poſſit, ut Gallice transferantur pleræque Tragœdiæ Græcæ integræ, ita quidem, ut legi ſine faſtidio ab elegantioribus hominibus, Græcarum rerum rudibus, poſſint; aliam viam ingreſſus Autor, œconomiam nobis & argumentum ipſis prope Poetarum verbis Gallice converſis propoſuit ita copioſe, ut non minus fere, quam ex integra interpretatione, cognoſci poſſit. In *Æſchylo* quidem brevior eſſe coactus eſt, quod is omnium minime ferre interpretem videtur. Huic ipſi Poetarum enarrationi inſeruit etiam, quicquid argumento convenire videbatur aliunde petitum, Hiſtorias, aliorum Poetarum ſententias, imitationes. Itaque etiam *Senecæ* quæ feruntur nomine, Tragœdias non neglexit, a quo & *Lucano* Tragœdiæ Gallicæ arceſſit originem, ut ſcilicet ex parvis rivulis magni etiam nonnunquam fluvii oriuntur. Non minus etiam recentiorum Tragœdias, quarum argumentum a Græcis petitum eſt, cum exemplis ſuis comparat. Hoc argumentum duarum Partium priorum. Tertia Comœdiæ deſtinata eſt. Hic, poſt Diſſertationem bene longam de Comœdia Græca, habetur enarratio ſatis ampla undecim *Ariſtophanis* fabularum, temporis ordine collocatarum, cum concluſione totius Operis. Diſſertatio agit de vita & operibus *Ariſtophanis*, de admiratoribus illius, reprehenſoribusque, de Comœdia Romana, utrum facilius ſit Tragœdiam ſcribere, an Comœdiam. Sequuntur Obſervationes legendo *Ariſtophani* neceſſariæ, *Faſti* item belli Peloponneſiaci. In ipſa deinde fabularum enarratione hiſtoriæ lux ubique adhibetur, vertunturque Galli- Pag. 19.

Digitized by Google

Gallice quæ poſſunt, (non poſſunt etiam, quæcunque pudorem offendunt,) ita quidem, ut quatuor præſertim ſummorum capitum habeatur ratio. Ea ſunt 1) Reipublicæ forma allegoriis Poetæ, tanquam velis quibusdam, hic evoluta; 2) veteris Comœdiæ ingenium & interior conditio; 3) parodiæ Tragicorum, ubi bene obſervat Autor, non contemtus cauſa eas adhibitas, ſed ſimpliciter riſus quærendi, cum ita ſit ingenium hominum, ut oblectetur, ſi res maxime ſeriæ ad riſus materiam rapiantur; 4) ludibria & joci in ipſos Deos, quæ res cum magnam difficultatem habere videatur, qui factum ſit, ut *Socrati*, *Diagoræ*, *Alcibiadi*, invidioſum fuerit, in Deos dicere, non item *Ariſtophani*. Hic Autor non incommode diſtinguit religionem atque Theologiam Poeticam a Civili & publica, illam impune ludi potuiſſe, hanc non item. Hoc igitur modo cum conduxerit Autor, quicquid Tragœdiæ & Comœdiæ veteris ſupereſt, cum apte omnia inter ſe devinxerit, interpretationes, enarrationes, judicia, diſputationes, comparationes, exſtitit inde Tragici quædam genii Hiſtoria, quæ *Theatri Græci* nomen ſuo jure ſuſtinet: liber lectu profecto digniſſimus, & non tantum iis profuturus, qui literarum Græcarum rudes non ignorare cupiunt, quid boni ſit in antiquis illis de ſcena Philoſophis, ſed iis etiam, qui, per hoc quaſi atrium introducti, ad intimiorem familiaritatem admitti cupiunt. Neque enim voluptatis quidquam habere poteſt grammatica ſola *Euripidis* & reliquorum interpretatio; & quotusquisque eſt, qui lectas a ſe omnes ævi iſtius reliquias gloriari poſſit? Quas nunc uno quaſi obtutu conſpicere, & inde ad attentam ſingulorum membrorum conſiderationem accedere licet. Niſi quis putet, parum prodeſſe, antequam ad legendum librum veterem, lingua & ſermone difficili ſcriptum, accedas, œconomiam illius, genium, majorem etiam partem ſententiarum, habere cognita. Qui igitur de bona parte verſionum Gallicarum, quæ hodie fiunt, non nimis egregie ſentimus, hunc librum Seculo noſtro gratulamur, & gaudemus, viam munitam eſſe his, qui legere in poſterum *Æſchylum*, *Sophoclem*, *Euripidem*, *Ariſtophanem*, voluerint, ut multo facilius

T. III pag. 304.
305.

jucun-

jucundiusque in difficili alioquin & aſpero labore verſari queant. Quanquam & illud prævidemus, fore, ut tanto minus accedant ad ipſos fontes quidam, quo paratiorem jam habent gloriandi & jactandi magna nomina occaſionem, quæ per interpretem compilare ipſis erit facile. Haud perfunctorie commemorandæ erant, ſi nobis longis eſſe liceret, Diſſertationes Operi præmiſſæ; quarum prima argumentum & inſtitutum Operis totius copioſe enarrat; ſecunda de Tragœdiæ origine agit, quam *Homeri* & epici carminis imitatione ab *Æſchylo* inventam, non modo univerſim, ſed eundo etiam per partes illas, protaſin, epitaſin, cataſtrophen, demonſtrat. Hinc etiam unitatem illam temporis, loci, actionis; hinc inventionis majeſtatem derivat. De choro veterum plura habet, eumque adverſus recentiorum quorundam reprehenſiones defendit. Diſſertatio III comparat inter ſe ſcenam antiquam & hodiernam, propoſitaque forma Reipublicæ illius temporis, quo floruerunt *Æſchylus*, *Sophocles*, *Euripides*, oſtendit, populum fuiſſe lenem, inconſtantem, libertatis, novitatis, ſermonum, jocorum, avidiſſimum; maximos Reipublicæ homines, cultu parum diſtantes ab infimis, infimos elegantiæ cujusdam opinione tumentis, & contemtores barbarorum. Hinc Reges populo ſupplicantes, hinc laudes Athenarum invidendæ, hinc ſcommatum, & Satyræ licentia. Tum ipſorum Poetarum characteres quosdam ponit, *Æſchylum* militem, & alti ſpiritus virum, *Sophoclem* dulcem, *Euripidem* aliquantum Scholaſticum, & ſcholam *Anaxagoræ* olentem. Noſtrorum temporum faciem notam nobis cum ponat Autor, ſtatim ad comparationem accedit. Græca igitur Tragœdia argumentum petit ex hiſtoria ſolius Græciæ: Gallica inprimis ex Græcia & Italia; etiam aliunde, ſed ex patria vix unquam. Perſonæ utrinque Reges & Heroes. Sed, qui Regem cogitabant Pag. 140. Græci illius temporis, hominem cogitabant parum ultra communem ſortem elatum, mediocris ſæpe urbis primum civem, & hunc tamen exoſum aliis, quem proinde deprimi ſpectator gaudeat, a qua Regis imagine, immenſum eſt, quantum Gallus ſpectator abhorreat. Eadem fere herois ratio. Græcis heros

Digitized by Google

ros erat homo aliquantum præſtans ceteris & corporis & animi viribus: qui heroem nunc audiunt, divinum virum intelligunt,& ſupra conditionem reliquorum longiſſime eminentem, & ab omni vitio, niſi ab amore, remotum. Quid mirum igitur, ſi mirifice inter ſe diſtant hodiernorum hominum & eorum, qui cum *Sophocle*,ut hoc utamur, vixere, de illius fabulis judicia. Antiqua Græcorum Tragœdia unitatem loci, temporis, actionis, conſervat diligentiſſime; hoc tardum nimis videbatur vividis & calidis horum hominum ingeniis, qui malebant magna rerum varietate oblectari, quam exacta artis obſervatione, hoc eſt, imitatione naturæ, teneri. Neque enim ignorarunt *Cornelii* & *Racinii*, quod natura negotii poſtularet, ſed maluerunt placere populo, quam *Ariſtoteleis* doctoribus probari. Hæc eadem cauſa fuit, quæ chorum exulare e Tragœdia Gallica juſſit. Diverſitas auditorum etiam hanc introduxit differentiam, ut Gallicæ fabulæ vix placere poſſint, niſi bonam partem dominetur in illis amor, cum apud Græcos Reipublicæ converſiones, & quæ facta aliquod ad illas momentum haberent, utramque facerent paginam, qui ſcilicet non id agerent, mulierculis ut placerent, quas feciſſent fabulas. Græci Poetæ Græcorum hominum mores pingebant felicius. Nunc *Achillem* Gallus, Anglus, Hiſpanus, ſi pingant, vix poteſt fieri, quin ſua illum, ex aliqua certe parte, civitate donent: nec injuria; totum enim Græcum ſi faciant, non poterit puncta ferre ſpectatorum. Miniſteria Deorum in fabulis Græcorum
Pag. 151. Tragicis decent, ſapienter ab hodiernis exulant. Plus ſplendoris, dignitatis, magnificentiæ, habet hodierna Gallorum Tragœdia: ſed vetus illa plus ſimplicitatis, ordinis, veritatis, quæ nudam quaſi & ſimplicem hominum naturam tanto majore
159. nobis arte exhibet, quo minus videtur artis habere, ſtatuæ antiquæ eo nomine comparanda, cujus veſtitus quaſi madidus, & corpori adhæreſcens, minus implet oculos, quam hodiernæ, quæ plus dignitatis habere videntur, ſed minus eædem veritatis. Non poſſumus omnia huc transferre. Sed illud non prætermittendum. Magna illa Græcæ Tragœdiæ prærogati-
160. va eſt, quam ultimo loco illi tribuit, Quo plus, inquit, ad re-

ctæ

ctæ rationis examen revoces antiquam Græcorum Tragœdiam, tanto plus illa ſuperabit, quo magis hodiernam, tanto minus poterit ſe tueri. Neque tamen putandum eſt, diſplicere Noſtro ſuæ ætatis Poetas, aut in univerſum homines. Non ita eſt. Ita certe caute, ita moderate, loquitur ubique, ut facile appareat, nolle ipſum quemquam eorum, quibus nova tantum placent, ſibi offenſum. Moderationis illius inſigne ſpecimen etiam eſt in ea, quam perorationem totius Operis voluit, quam in hanc ſententiam concludit. Satis ſe magnum operæ pretium habiturum, ſi efficere poſſit, ut renaſcatur bonus ille antiquitatis ſenſus, quem *guſtum* fere vocant hodie, quem a cœca omnium, quæ antiqua ſunt, admiratione diſtinguit. Hic, inquit, ſenſus eadem alit ingenia atque polit; hic auget illa divitiis alienis initio, ſed quæ paulatim fiant propriæ; hic fœcunditatem illorum naturalem aperit, & fructus inde producit exquiſitiſſimos; huic debent, quod fuere, quod erunt, *Racinii*, *Boilæi*, *Fontani*, *Patruvii*, *Peliſſonii*, & magnæ ſuperioris Seculi animæ; hic immortalitatis quaſi ſigillo ea obſignat Opera, in quibus deprehenditur; hoc denique ſanæ antiquitatis ſenſu ſi careant quantæcunque dotes, multum ab eo faſtigio aberunt, ad quod poterant illo adjutæ pervenire. Plura ibi ſunt in hanc ſententiam. Sed finis nullus erit, ſi, quæ placent, huc referre velimus omnia. Et, ſupereſt quaſi corallarium Operis *Cyclops Euripidea*, fabula Satyrica, cui locum extra Opus quaſi aſſignavit Autor, & Diſſertationem de hac ipſa fabula, & univerſim de ſpectaculis Satyricis, præmiſit. Hæc nihil cum Romana Satyra commune habent, ſed medium quoddam inter Tragœdiam Comœdiamque Dramatis genus fuere, ejusdem originis, in quo riſus inprimis & jocus ſpectaretur, in perſonis etiam grandibus. Credibile eſt, ſeveriobus ea ludis Tragœdiarum ad recreandos ſpectatores ſubjuncta, & *Atellanis* Romanorum fuiſſe affinia; peperiſſe autem apud Italos recentiores ea, quæ vocantur *paſtoricia*. Facilis ſane a Satyris ad paſtores tranſitus fuiſſe videtur. Sed iſta quidem copioſius & exquiſitius tractata ab *Iſ. Caſaubono* in egregio libro de Satyrica Græcorum Poeſi, & Satyra Romanorum, quo

Pag. 318.

327.

Digitized by Google

usum esse Nostrum apparet, cuique ex parte aliqua contradixit Cl. *Heinsius* duobus de Satyra Horationa libris. Illud unum subjicimus, quod ad Historiam Literariam pertinet, DISS. II pag. 53. Doctiss. *Brumoium* nostrum Autorem etiam esse carminis Latini in XII Libros divisi, de perturbationibus animi.

GREGORII MAJANSII, GENEROSI, ET Antecessoris Valentini, Epistolarum Libri sex.

Valentiæ Edetanorum, typis Anton. Bordazàr de Artâzu, 1732, 4. Alph. 2 pl. 11.

Eminentissimo Cardinali *Florido* inscripsit Generosus Autor, cujus nomen Hispanice scribitur *Majans* & *Siscàr*, Epistolarum hos libros, & miraturum ait, Latine conscriptos ab Hispano, nec omnino barbare, imo, quod nos addimus, emendate, suaviter, & erudite. In eadem adolescentem se vocat, (natus est A. 1699,) & ob literarum amorem, quas inter paucos suos populares colat, Ostracismo aliquibus infami, sibi vero gloriosissimo, notatum, progressus literarios nullo neque duce, neque auspice, a se factos, commemorat, totum se Illustriss. Cardinali dedit. In Præfatione, de generibus Epistolarum, de multis, quorum Epistolas habemus, Viris eruditis judicat, ac deinde ad suam Collectionem accedit. Neque enim solas a se scriptas publicat, sed etiam virorum, quos nunc habet Hispania, doctissimorum ad se, vel de se ad alios, literas, inprimis multas *Emmanuelis Martini*, Decani Alonensis, quem præter ceteros laudat, sibi autorem ad ingrediendam & persequendam rationem optimorum studiorum fuisse. Commendat tres Epistolarum centurias ab illo ad doctissimos Europæ Viros missas, neque desperat, futurum, ut illæ edi a se possint. In fine testatur Deum hominesque, laudes omnes, quas aliquibus heterodoxis attribuerit, eo solum spectare, ut agnoscantur ipsorum dotes naturales moralesque, quarum cognitio nos, inquit, veræ religionis cultores, potest debetque meliores facere: eorundem

eundem vero perfidiam ac pervicaciam deteſtatur, abominatur,
melioremque eis optat mentem. Quorſum hæc pertineant, iis ap-
parebit, qui reliqua recenſionis noſtræ cognoverint. Haben-
tur hic Epiſtolæ *Majanſii* & amicorum, non eæ tantum, quas
ad ipſum dedere, ſed aliæ etiam nonnullæ, e quibus, age, ἀξιο-
μνημόνευτα quædam proferamus. Cum viginti annos natus Pag. 3.
eſſet, Noſter habuit Oratiunculam, quæ hic inſeritur, ad Sal-
manticenſis Academiæ Senatum, pro *Joſephi Borrullii*, pri-
marii Juris Civilis Anteceſſoris, in eum ordinem allectione.
Summam ita ipſe explicat: *Gratulandum eſt vobis de ſum-
ma veſtra æquitate, juſtitia, religioſoque more, quo non niſi
Collegio noſtro digniſſimos in Doctorum numerum adſciſcitis.
Præcipue vero gratulandum de maxima cura & ſtudio, quo
eximium hunc Anteceſſorem in ſapientiſſimum veſtrum ordi-
nem ingredi decernitis.* Laudat hanc ipſius Oratiunculam *Mar-* 10.
tinus, & illum incitat, ut exemplo *Budæi, Petiti, Fabrotti, Briſ-
ſonii, Fabri, Cujacii, Gutherii*, Græca cum Latinis conjungat &
ſectetur: *Non hanc ſordidam & proſtitutam Jurisprudentiam,
tiam, fuco & fallaciis deformem, cujus tricis & involucris
miſeri cives importuniſſimis litibus implicantur. Hinc tot
cauſidicorum ventoſa crepitacula, tot blaterones ac rabulæ &
nugivenduli, qui inanium & futilium verborum nundinatio-
ne ignari popelli crumenas mulgentes, ſibi hac arte divitias
pariunt, & aliena patrimonia funditus evertunt.* *Gravinæ* 12.
Origines Juris, a *Martino* ſibi commendatas, diligenter a ſe le-
ctas, atque in ſuccum & ſanguinem pene converſas, prædicat
Majanſius. Græca diſcere vult, ubi primum Valentiæ Do- 14.
ctoris inſignia induerit. Scribit ſuaviſſime *Martinus* de ſe- 27.
ceſſu ſuo: *Vin' ſcire, quam me geram luxurioſe? Unum
etiam ſcurram mecum attuli, qui me oblectaret, Plautum. Di
boni, quantum morionem! Si quando frigus opacum capto,
lepidiſſimos illius jocos arceſſo.* Laudat *Majanſius* ſapientiſſi- 29.
mi *Toſca* libellos de Philoſophia. Vocat hominem vere na-
tum ad Reipublicæ Literariæ incrementum, qui ſi paulo ante
ſcribere cœpiſſet, libris ſuis Bibliothecas omnes impleſſet. Ad-
ſcriptus eſt, inſtar annotationis titulus libri, quem hic etiam

legi par eſt: *Compendium Philoſophicum, præcipuas Philoſophiæ partes complectens, nempe rationalem, naturalem & transnaturalem, ſive Logicam, Phyſicam, & Metaphyſicam, Autore Thoma Vinc. Toſca,* Valentino, S. Th. D. ejusdemque Archi-Epiſcopatus Synodali Examinatore, &c. 1721, 8, Voll. V.

Pag. 32 & 70. Eundem etiam Mathematicarum artium Compendium patria lingua & alia quædam edidiſſe docet. Amantiſſime monet *Majanſium Martinus* ſuus, ne nimis mature ſcribat, & præpoſteris illis ſtudiis implicitus atque irretitus, naturæ impetum retardet, atque divino ingenio ſuo ſecurim infligat. Utitur hac in re verſiculis etiam Græcis, quos Latinis tantum literis, ut Græca cetera, exprimi curavit *Majanſius,* unde intelligas, quæ ſit Græcæ literaturæ inopia, ſi in Academia nobili ne typi quidem Græci haberi queant. En ſpecimen, unde de pronuntiatione conſtet: *Ereten dei prota geneſthai Prin pedalioir epicheirein. Nihil,* addit, *eſt adoleſcentibus æque perniciofum ac præmatura ſcribendi libido &c.* Servatque illud inſtitu-

63. tum & frenis ſtrenue utitur apud *Majanſium* ſuum. En vobis egregiam rabulæ deſcriptionem, *Martini* verbis conceptam: *Faciant hoc rabulæ, quorum hoc inſtitutum eſt, quisquilias atque affanias deblaterare, nugas vendere, crepitaculi more ſonare βαρβαρικῶς, inhiare alienæ pecuniæ, & verborum ſterquiliniis ſtultorum crumenas emungere, proſtituta mancipia, non homines, & ſpecie honoris ignaviſſima proſtibula; ac ſimulata Jurisprudentiæ perſona ad decipiendos incautos parata monſtra. Fœdiſſima humani generis lues, qui ſordibus, Juris inſcitia, ac æruſcandi libidine, harpyiarum vita, quicquid tangunt, conſpurcant. Te veneror, ſanctiſſima Themis,*

51. *abige hæc propudia.* Docet *Martinus,* miſſas a ſe ad *Maffejum, Veronæ* ſuæ, quin Italiæ decus, Inſcriptiones antiquas 418, cum quibusdam Annotationibus. Simili occaſione docet *Majanſium,* Tribus notam in Inſcriptionibus Romanis locum ſemper habere inter nomen atque cognomen, ita, ut, ſi ſecus occurrat, vel barbara ea habeatur Inſcriptio, vel ſpuria. Inter ceteras lectu digniſſima eſt Epiſtola, ad ipſum *Maffejum* ſcripta, e qua delibare quædam eo minus gravabimur, quo pauciorum

ciorum forte in manus liber ipſe perveniet. Dixerat, Hiſpaniam plenam eſſe monumentis Romanis. Pergit: *Quorum magnam partem noſtratium potius, quam ſeculorum, injuria diruit atque delevit. Ea eſt Hiſpanorum natura atque indoles, ut, Ethnicorum (ita Romanos appellant) monumenta evertere, pietatem appellent. – Sed qui aliter accidere poteſt in regno – – –! A — – monitis vel latum unguem diſcedere, nefas ducunt. Quicquid illi effutiunt, tanquam ex Apollinis tripode edita oracula venerantur, ſi vel ad aliquod vetuſtum ſimulacrum oculos vertant. Itaque ſimul ac ejusmodi aliquid effoſum fuerit, ſceleratas illi manus injiciunt, diſcerpunt, detruncant. Neve ſol iſte ejus adſpectu polluatur, disjecta illa membra vel in ædificiorum fundamenta demergunt, vel pro camento in interiores partes detrudunt. &c.* Enarrat deinde triſte Saguntini Theatri fatum, cui ipſe tamen aliquo modo interceſſit. Extorſit enim a Saguntinis publicum Decretum, ne cui in poſterum violare illud liceat: ac deſcriptionem illius miſit ad *Montefalconium*, qui illam Antiquitati a ſe explicatæ inſeruit. Vix ſine lachrymis legi poteſt ab antiquitatis ſtudioſo, quid Italicenſi Amphitheatro factum ſit ab Hiſpalenſibus, cujus itidem deſcriptionem Noſter cum *Montefalconio* communicavit. Lepide deinde narrat, quid ſibi ſemel iterumque in deſcribendis literatis monumentis contigerit, non admodum diſſimilia iis, quæ *Wagenſeilio* uſu venerunt, cum is in tabellis nigris ſtilo itidem nigricante albas literas ducere viſus eſſet. Per ſuperiora bella e Tarraconenſi agro a quibusdam Anglis eruditis literatos lapides, quibus duæ naves onerarentur, avectos enarrat. Hic enim, itemque apud Edetanos, in agro Saguntino, atque univerſa Bætica, magna vis talium monumentorum. Enarrantur deinde varia genera lapidis ad ea adhibiti. *Morali* & *Reſendio* impoſuerunt ſæpe Inſcriptiones illæ ſubventaneæ & hypanemiæ, quibus veritati bellum indixerunt *Cyriacus Anconitanus, Janus Camers, Annius Viterbienſis, &c.* Paulo poſt, *Quid impollutum*, inquit, *reliquerunt impudentiſſimi illi nebulones, qui perſonam ſibi impoſuerunt* Flavii Dextri, M. Maximi, Luitprandi, Heleeæ, Auberti Hiſpalenſis, Pag. 55.

ſis, A. Hali, *aliique hujus furfuris, qui — Inſcriptionum monſtra commenti ſunt? – Ego tamen pertinaci meo ſtudio ac labore ultra quadringentas colligere potui, partim ex ipſis avtoglyphis a me exſcriptas αὐτοχειρὶ, partim ex idoneis Autoribus, qui poſt* Gruterum *eas in lucem ediderunt. Quippe ego ad illuſtrandas res patrias & ſpem & animos aliquando erexeram. Sed fregit acrem illum impetum malus quidam Hiſpaniæ genius.* Poſt commemorata impedimenta, *Ergo,* inquit, *dormiamus in utramque, & altum ſtertamus, quando*
Pag. 60. *ad id unum aliena ope non indigemus.* Lepidæ nimis leges ſunt, quas *Martinus* in Bibliotheca ſua tulit, ut ab iis deſcribendis abſtinere poſſimus. *Leges Volumina ex Bibliotheca noſtra commodato accepta lecturis. Secundum auſpicia lata lictor lege agito in legirupionem. Mas vel fœmina ſuas, hac tibi lege codicis iſtius uſu non interdicimus.* I) *Hunc ne mancipium ducito, Liber eſt, ne igitur notis compungito;* II) *Ne cæſim punctimve ferito, hoſtis non eſt;* III) *Lineolis intus, foriſve, quaquoverſum, ducendis abſtineto;* IV) *Folium ne ſubigito, ne complicato, neve in rugas cogito;* V) *Ad oram conſcribillare caveto;* VI) *Atramentum ultra primum exeſto, mori mavult, quam fœdari;* VII) *Puræ tantum papyri philuram interſerito;* VIII) *Alteri clanculum palamve ne commodato;* IX) *Murem tineam, blattam, muſcam, furunculum, abſterreto;* X) *Ab aqua, oleo, igne, ſitu, & illuvie, arceto;* XI) *Eodem utitor, non abutitor;* XII) *Legere & quævis excerpere fas eſto;* XIII) *Perlectum apud te perennare ne ſinito;* XIV) *Sartum tectumque, prout tollis, reddito;* XV) *Qui faxis, vel ignotus amicorum albo adſcribitor; qui ſecus, vel notus, eradetor. Has ſibi, has aliis præſcribit leges, Emmanuel Martinus. Quoi placent, annue: quoi minus, quid*
98. *tibi noſtra tactio eſt? faceſſe. Phil. Bulipho,* JCtus Alonenſis, autor eſt Noſtro, ut poſt Græcam etiam Gallicæ linguæ operam aliquot menſium impendat, vel propter ſolum *Jo. Domatii* Opus (*les Loix Civiles dans leur ordre naturel,*) cujus
100. lectio laborem illum penſare poſſit. Laudatur magnum Ety-
114. mologicon, a *Martino* ſcriptum. *Doctor Don Mathias Chafreonius*

reonius de Diſputationum Juridicarum libro *Majanſii* ſancte dejerat, *viſas ſibi eſſe miracula.* Lectu digna eſt etiam Epiſtola Pag. 130.
ad *P. M.* nomine Archi-Epiſcopi Valentini ſcripta, qua petit *Don Jo. Riberam* in Beatorum matricula ſcribi: itemque alia, ad eundem de eadem re ſcripta nomine Collegii Corporis Chriſti Valentini. Habuit Noſter etiam *Orationem in laudem* 137.
immaculati conceptus Sanctiſſimæ Mariæ, *Dei hominumque matris*, quam cum obtuliſſet Archi-Epiſcopo Valentiæ & Senatus Gubernatori, ille juſſit, ut *meritorum ſuorum indicem* conficeret *Majanſius*, quem ipſe poſſet oſtendere primariis Conſiliariis Regiis. Signata etiam eſt Epiſtolis aliquot amicitia 140 ſeq.
Noſtri cum Generoſiſſ. Equite Saxonico, *Jo. Bapt. de Schœmberg*, qui 1730 in Hiſpania peregrinabatur. Inter alia gratula- 144.
tur illi emtas Madriti *Petri Rhuæ Epiſtolas*, de quo viro, *nemo*, inquit, *vidit acutius*, *nemo detexit eruditius atque modeſtius* Anton. Guevaræ, *Mindonienſis Epiſcopi*, *pudenda mendacia. Valde miror, ejus Epiſtolas a nemine converſas eſſe in linguam Latinam.* Cum eodem communicat Inſcriptiones, 145 ſeq.
quæ hodie Sagunti extant, ad quinquaginta. En unam ſpeciminis cauſa, dignam forte, in qua ingenium experiantur eruditi:

IMP. M. AVRELIO CLARINO
NOVILISSIMO
CAESARI. ∫. PIO FELICI
INVICTO. AVG
PONTIFI. MAXIMO
TRIBV. ∫. D. D. COS. ∫.
PROCOS

Et ſunt fere pleniſſimæ notitia veterum per Hiſpaniæ illam partem monumentorum Epiſtolæ ad Generoſiſſimum hunc Virum, cui etiam hæc Acta debent, quæ ab aliquo inde tempore de literarum per Hiſpaniam conditione docere potuerunt. Habetur hic etiam Deſcriptio Theatri Saguntini, quam Epi- 158 ſeq.
ſtola ad *Zandedarium*, Legatum ad Regem Hiſpaniæ Apoſtolicum, complexus eſt *Emm. Martinus*, conſentiens fere cum illa altera, quam *Monteſalconiano* Operi inſertam diximus. Le- 179.
pido vocabulo μεθοδιδασκαλίας exprimit, qui alias *Licen-*

 tia

Pag. 191 ſeq. *tiæ* honores in Academiis vocantur. Accurata diſputatio, qua probatum it *Majanſius*, Chriſtianos non fuiſſe *Cajum*, *Tertullianum*, *Licinnium Rufinum*, & *Arcadium Chariſium*, JCtos. Bene eſt quod hanc ſtatim cum eruditis communicare placuit Viro Generoſo, nec, ut alia multa, rejicere in Diſputationes,
223. quas pollicetur, Epiſtolicas. In febri maligna veſicatoria adhiberi copioſiſſima a Medicis Hiſpanis, ut vix locus plagæ re-
230. linquatur, obiter diſcimus. Mortem fratris ſui piam ita deſcribit, ut nihil admiſceat, quod injurium in Jeſu Chriſti merita eſſe videatur. Neque facile aliquis ſine magna animi commotione legat deſcriptionem mortis ipſius matris, quanquam illa plura habeat religionis in Divos ex hominibus veſtigia.
243. Docet *Camuſatus Majanſium*, parari a ſe *Diodorum Siculum*, cum octo MStis jam collatum, mira adhuc promittentibus Italis, cum optima jam communicaverint Batavi & Ger-
246. mani. Si quis forte Græcus liber in Hiſpania deferatur in librariam tabernam, exinde confeſtim amandatur in nitrati pulveris officinam aliquam (ſcilicet ut luceat hoc ſaltem mo-
364. do) aut in tabernam viliſſimam. Præterea, ſi Græcum, ſive Latinum MStum aliquod elegans in membranis defertur ad bractearios, qui merces hujusmodi pluris, quam ceteri, faci-
251. unt, nemine præterea licitante. Non ſatis aſſecutus videtur manum *Camuſati Majanſius*, vel hujus ſcripturam typographus, cum *Barnaud* vocatur juvenis variarum lectionum ſcri-
255. ptor, qui *d'Arnaud* nominandus erat. Intextus eſt Catalogus Bibliothecæ *Majanſianæ*, (quæ ultra MD libros non habet, ſed bonos pleroſque & utiles,) quem rogatu *Camuſati* conſcripſit, adjectis ad unumquemque librum ſuis de illo ſententiis. Non ultima pars hujus Operis eſt hic Catalogus, v. g. de *Leuweniana* Editione C. J. C. *Anſelmus & Leuwenius feciſſent ope-*
288. *ræ pretium, ſi nullam operam adhibuiſſent his libris.* Huberi *Prælectiones ſunt doctiſſimæ atque perſpicuæ*: *Additiones* Thomaſii *plerumque ineptiſſimæ, obſcuræ, faſtidioſæ:* quod judicium ſtomacho Hiſpano adſcribent forte quidam, & deliciis circa linguam Latinam, cujus vir ille negligens admodum erat; unde hoc ipſi accidit, ut contemnatur externis, quia non intelligitur

Digitized by Google

gitur. *Henr. Brenemannus* de Evrematicis – *Agnoſcas hic præclariſſimum ingenium, judicium matureſcens, ſtilumque juveniliter luxuriantem.* Ej Hiſt. Pandectarum: *Partus eſt indefeſſæ lectionis: judicium Autoris maturrimum, eruditio vaſtiſſima, preſſus ſtilus, abſolutiſſimum opus* &c. *Guil. Beſt* Ratio emendandi leges: *Autor eſt non indoctus nec ineruditus. Verum ejus libello hic conveniebat titulus*: Ratio corrumpendi leges. *Argumentum, quod ſuſcepit Beſtius, judicium acrius poſtulabat. Gravinæ* Origines Juris: *Solidiſſima eſt hujus Viri doctrina, eruditio minime vulgaris, judicium rectum, politiſſimus ſtilus. Sed, ſi ab hac cornicula* Anton. Auguſtinus, Jac. Godofredus, *& præterea duo tresve alii, ſuas plumas repetant, omnino nuda manebit; eruditis certe movebit riſum. Averanii* Interpretationum Juris Libri duo: *Hoc ſcribendi genere ſuperat omnes ante ſe interpretes. In Diſputationibus iſtis, dubium eſt, utrum majus ingenium, an judicium, expeditio, an elegantia.* De *Bynckerhœckii* Obſervationibus edit. Hal. Heineccii *Præfatio elegantiſſima eſt. Ipſæ Obſervationes* Bynckershœckii *ſagaciſſimæ, eruditio non vulgaris, minimeque affectata, judicium acerrimum, Autor utrique* Jacobo, Cujacio, & Godofredo, *plerumque infenſus, & falcem criticam, quam iis jure merito adimit, cum ea utuntur non exigente neceſſitate, ipſe denuo acuit, ut in venerandam vetuſtatem eam inclementer immittat.* Etiam de *Jo. van de Water* Obſervationibus pronuntiat, *cum falce critica potius abuti ſolere, quam uti.* Suorum etiam ſcriptorum Catalogum texit, quem huc referemus: *Ad Veterum JCtorum Fragmenta Commentarii, & ad legem* ſi fuerit 5 de Leg. 3 *Recitatio extemporalis*, Valentiæ, 1723, 8. JCti ſunt *P. Rutilius Rufus, Q. Cornelius Maximus, Rutilius Maximus, Campanus, & Tarruntenus Paternus.* Illuſtravit etiam ſimili modo, ſed nondum edidit, Fragmenta *Sexti Papiſii, Cinnæ, Julii Aquilæ, & Granii Flacci*, itemque *Catonis, Manilii, Galli Aquillii, Servilii, Sexti Ælii, Paconii, Puteolani, Ariani, Cartilii, Pactumeji Clementis, Tertulliani.* Hæc omnia edet titulo adſcripto, *JCtorum Decades.* Etiam *Centuriam* ſuarum *Diſputatio-*

Pag. 289. 290. 291.

tationum expectari jubet jam evigilatam. Adjiciamus & hoc, qui ætatis anno 24 Cathedram Juſtinianei Codicis inter ſex
Pag.252. competitores ſummo cum applauſu acceperat, (ſed e qua non niſi duæ unciæ auri redeunt,) ille ſex annis poſt, cum interim præclare de ſuo munere meritus eſſet, repulſam tulit indigniſſimam, quo facto competitionibus omnibus lætum ſe lubentemque ait valedixiſſe. Inter ea, quæ præterea promittit Vir Generoſus, inprimis eſt *JCtus, ſive de Jurisprudentia Romanorum illuſtranda liber ſingularis.* Qui alias de ſe ſuisque mo-
182. deſte loquitur Autor, hoc ingenii ſui maximum monumentum vocat: quo magis optandum, ut cum ceteris Viri doctiſſimi ſcriptis non typis excudatur modo, ſed etiam ad nos & in
302. communem uſum perveniat. Similia optamus de *Emmanuelis Martini* monumentis, in quibus miris laudibus prædicat plus ſemel *Majanſius* Elegiam dulciſſimam hoc titulo: *Apaſterosis, in qua Arcam, vicennalium peregrinationum comitem, itinerum attritu ac vetuſtate fatiſcentem, quadam veluti conſecratione inter aſtra collocat.* Epiſtolas ejus promittit, quantivis ſane pretii, ſi iis, quæ in hoc Syntagmate dantur, ſunt ſimi-
307. les, de quo non eſt quod dubitemus. Mirum eſt, perveniſſe in Hiſpaniam *Menckenii* noſtri, quem nondum eluximus, *de Charlataneria Declamationes*, quod literis ad Autorem datis profitetur; quanquam ipſe pro ſua modeſtia, indicta omnia
309. ſe malle, reſpondet. Cauſam cur his *Actis* noſtris volitare per
312. Hiſpaniam non liceat, hanc aperit *Majanſius*: *Procul dubio in his multi laudabuntur, qui in Romanis Hiſpanicisque Indicibus prohibitorum librorum proſcripti ſunt. Itaque, antequam Acta vendi poſſent, prius examinanda eſſent; poſtea forſan prohibenda. Quare uſui eſſe non poſſunt, niſi pauciſſimis, qui ab Inquiſitore Generali veniam habent legendi quorlibet libros, ut ego habeo.* Eſt etiam hic Epiſtola una alteraque ad Virum Excellentiſſ. qui *Oropeſæ* nomine inter nos notus eſt, cujus vel totum nomen hinc cognoſci non inſuave fuerit. Ita igitur inſcripta Epiſtola: *Excellentiſſ. Viro, D. Joanni* (Baſilio) *Cervellioni, Caſtelvinio, Colomæ, Alagonio, & Borgiæ, Comiti Cervellionis, Marchioni Villæ Torca,*

Baro-

Baroni Oropeſæ, Hiſpaniæ Magnati, Imperatoris Caroli VI a Conſiliis & a Cubiculo. Eſt etiam hujus Epiſtola, quæ prodit virum non leviter literis, etiam humanioribus, tinctum. *Critici Magni* Autorem eſſe *Balthaſarem Gratianum*, Jeſuitam, hic argumentis oſtenditur. De *Rhetoricæ* etiam *Caſtellanæ* Autore, *Quixoti* item & *Amadiſii*, & *Lazarilli*, jucunda forte quibusdam erunt, quæ hic diſputantur. Elegantiſſime ſcriptum, ut pleraque, a *Majanſio* judicium, vel laus potius, Orationis, quam *de cauſis corruptæ Latinitatis, & de illius remediis,* ſcripſit *Joſephus Joachimus Lorga*, Latinæ linguæ in Academia Valentina Profeſſor. Memoratu digna quoque Epiſtola ad Lectorem, præfixa Tractatibus Academicis *Joannis Puga*, JCti Salmanticenſis, in qua vita illius enarratur. Elogium, quod matri ſuæ ſcripſit, inter elegantiſſima monumenta referri meretur. Mittuntur *Majanſio Chirimoyæ* nuclei, e Peruviano regno nuper allati. Eſt illud inter novi orbis poma nobiliſſimum, orbi veteri novum prorſus, tribus unum ſenſibus mirifice blandum. Specie oculos, odore nares, ſapore palatum quam ſuaviſſimo demulcet. Suadetur deinde *Majanſio*, ut eos nucleos (*oſſula* etiam vocantur & *oſſicula*,) conſerat, cauſa adjecta, quod nulla tota Hiſpania regio Peruvianæ cognatior fertiliorque. Habet proxima *Majanſii* Epiſtola pluſcula de fructibus Americanis. Sed deſinendum eſt, cum præter morem noſtrum longiuſculi fuerimus in libro non nimis magno. Invitavit ſcilicet novitas, jucunditasque; & nunc perlectum jam librum ægre e manibus dimittimus: cujus ſuavitas ut cum pluribus communicari poſſit, recudi illum ab aliquo noſtrûm optamus.

Pag. 322. 329. 335. 351. 356. 366. 384.

NEDERLANDS DISPLEGTIGHEDEN &c.

i. e.

CONSUETUDINES CONVIVALES BELGII, tum in ipſis inſtituendis epulis, tum in libandis aliorum ſaluti poculis, apud Batavos veteres, eorumque Principes, Comites, Viroſque nobiles, & cives alios Belgii

gii olim usurpatæ, cum origine earum, & consensu gentium aliarum, Autore K. VAN ALKEMADE & P. VAN DER SCHELLING.

Pars I & II.

Roterodami, apud Phil. Losel, 1732, 8.
Pars I Alph. 1 pl. 20, Pars II Alph. 1 pl. 17 Tabb. æn. 3.

Conscriptum a Socero suo librum, ut *Pars altera* esset Operis, quod *de sepeliendi ritu apud Batavos* A. 1713 Delphis ediderat, & communi *libri consuetudinum* (*het Ceremonieel*) nomine contineretur, Cl. Autor multum auxit, & pæne novum effecit, ita tamen, uti sua a Soceri observatis diligenter distinxerit. Præfatio apologiam habet bene longam consilii hujus & laboris, in re, ut videri possit, neque gravi, neque nimis necessaria impensi, qua nihil opus videbatur his, qui facile ad conspectum primum libri animadvertent, hic agi de multis rebus, quas non ignorare optant, qui studio aliquo humaniore sciendi tenentur. Age videamus nonnulla, e quibus constat, gratiam omnino a curiosis rerum antiquarum Autorem iniisse. Ita satis copiose disputat de more salem admiscendi potui vel eorum, qui ænigmata proposita solvere non possent, (qua re indicatum ibant, sale illum opus habere,) vel ceteroquin liberalius potantium. Memorabile exemplum profert Autor ex *J. A. Leidis Annal. Egmond. Cap. 89* de *Domino Nicolao de Adrichem*, Abbate Hecmondensi, qui in epulis nuptialibus *Domini de Veris in Zelandia, cum ceteris nobilibus vino æstuantes salinaria, ceu ciphos plenos, sale & vino, ut dicitur, mixtos, sibi mutuo biberunt, & Dn.* Nicolaus, *Abbas, post potum surgens, secretum locum ad corpus evacuandum petiit, & post paucas horas in eodem loco secreto sedens mortuus inventus est.* De Græcorum ratione, quam Romani imitati sunt, muria vel aqua marina condiendi vinum, quod deinde, etsi in Italia natum, Græcum diceretur, non tacet Autor; sed plura addere facile erat, si hoc ageremus, ex rei rusticæ

Pag. 55.

ruſticæ Græcis pariter ac Latinis Scriptoribus. Meminit *offæ judicialis*, hoc eſt, fruſti panis cum exiguo ſale, certis execrationum carminibus paratæ, & innocentiæ explorandæ cauſa accuſatis dari ſolitæ. Derivat hinc proverbium Belgarum, qui, cum abhorrere ſe ab aliqua re teſtantur, dicant, *ſe prius ſalem cum pane comeſturos*. Habent idem proverbium etiam ſuperioris Germaniæ incolæ; ſed apud hos inopiæ potius & ſummæ paupertatis iſta περίφρασις eſt, cum dicant, *ſe potius pane & ſale victuros*, quam v. g. paraſitatum aut adulatum veniant aliis. Cum diverſum ſonent Latinæ formulæ, utramque eodem modo Germanice & Belgice verti, (*Salz und Brod eſſen, Zout en Brood eten*,) norunt linguarum periti. *Cap. XI* deſtinatum eſt etymologiæ vocabulorum, quibus ad epulas ſignandas utuntur Belgæ, *gaſtmaalen*, *maalſteden*, *maalteyden*, quorum primum & ultimum, levi immutatione facta, etiam ſuperioris Germaniæ eſt, (quod etiam de *middagmaal, avond-maal*, conſtat,) putat autem a *molendi* dicta, vel *tempore*, vel *loco*, hoc eſt, edendi, cum molæ ſimilitudinem habeat os cum dentibus. Cumque vox *maal* vel *mahl* etiam numerandi & ordinis quandam vim habeat, (ut Gallorum *fois*, Italorum *volta*, *times* Anglorum,) primam vocem notare poſſe condictum tempus amicis vel hoſpitibus. Sed iſta quidem, ut nobis videtur, longe plenius, accuratius, certius, in quantum certum quid hic eſſe poteſt, diſputantur a Doctiſſ. *Wachtero* noſtro in Gloſſario Germanico, quod ſitim majoris Operis, quod molitur Vir in hoc ſtudiorum genere incomparabilis, auget, quoties illud in manus ſumunt, intelligentibus. *Cap. XXII* agitur de epulis jocoſis, & Saturnalium Romanorum ſimilibus, quales in *Warmondiorum* familia, quotannis celebratas obſervatur, ut heri habitu etiam ſervili ſuæ familiæ cui ludus & laſcivia permiſſa erat, miniſtrarent. Huc refert etiam *ſocietatem & ordinem ſtultorum, het Gekken-Gezelſchap*, ipſo S. Cuniberti die A. 1381 ab *Adolpho*, Cliven ſi Comite, & 35 nobilibus viris inſtitutum, in quorum legibus erat, non habitu modo morionum ut convenirent quotannis, ſed nihil etiam toto illo die ſerium & non pro ſtultis agerent. Diploma eſſe dicitur

Pag. 71. 92. 294.

Digitized by Google

Pag. 299. dicitur in *Th. de Rouk* Fetiali Belgico. De Teneramundæ (*Dendermond*) pago *Mærzeke*, ejusque veteri ſacello, quod *altum Caſtellum* appellant, ex *Maſtertii* deſcriptione refert ſolennia quædam ludicra, in quibus præter epularum hilaritatem quaſi aula quædam ſtultorum conſtituitur, &, ſi quem notare volunt, v. g. prodigum hominem & decoctorem, illum *Quæſtorem alti Caſtelli* conſtituunt, *Conſiliarium* vero, cujus ſtulta ita conſilia volunt ridere. Tum elocant venatum cicada-
303. rum, piſcatusque alti Caſtelli, in arido colle ſiti videlicet. Eodem ordine habet Calendariorum fratrum epulas. *Cap. XXX*, ubi de Agapis Chriſtianorum abſentium agitur, *literarum* etiam *Feſtalium* mentionem faciunt Noſtri, variique illarum
407. uſus, cujus in Belgio reliquiæ ſunt *Paſchales literæ* puerorum, quibus ſui in ſcribendi arte profectus ſpecimina offerre parentibus aliisque conſuevere. De encæniis inprimis diligenter agunt *Cap. XXXI* & *XXXII*, nimirum de eorum origine, de cauſis celebritatis, quomodo mercatores ad ea paulatim ſe adjunxerint, de annua memoria encæniorum, an ſolennibus illis occaſionem dederint natalia martyrum, de abuſu vario, ejusque
466. per leges caſtigatione, & id genus alia. *Cap. XXXVI* peculiare erat genus epularum apud Friſios veteres, quod ipſi vocant *'t Horſpil in de patene*, quaſi tu dicas *frenum in patina*, ubi poſt epulas ſolennes inferri ſolebat cum pompa quadam patina tecta, in qua eſſent *fruſta funis*, quo ligatus fuerat bos, de cujus carnibus epulati fuerant. Symbolum illud tuendæ libertatis interpretatur *Alkemadius*. *Cap. XXXIX* habet deſcriptionem epularum, quibus excepit Belgarum Reſpublica *Carolum II*, Britanniæ Regem, d. 30 Maji A. 1660, & Caput proximum ſimiles præbitas Arauſionenſi Principi, Gubernato-
561. ri Belgico, d. 24 Febr. A. 1672. Commemorabilis ex *priore Parte* adhuc videtur locus *Lamberti*, Ultrajectini, quem huc ponemus: *Per id tempus* (A. 998) *Pipinus Princeps in Jopiliam villam advenit*; *venit etiam eo vir ſanctus. Apparatur convivium. Princeps oblatum ſibi a pincerna poculum innuit Epiſcopo offerendum, benedictionis loco habiturus, ſi a conſe-*

conſecrata manu ipſe poculum acciperet, quod Maximum Imperatorem olim noverat a beatiſſimo Martino expectaſſe.

Altera Pars Operis ſpeciatim ad bibendi conſuetudinem pertinet, e qua more noſtro nonnulla delibabimus. *Cap. V* Pag. 68 ſeq.
ex Ethnicorum conſuetudine ante explicata derivat morem Chriſtianorum quorundam, bibendi in honorem Dei, Chriſti inprimis, tum matris ipſius. Ex Actis SS. Ord. S. Bened. *Sect. IV Parte II* locum laudat, ubi narrat aliquis, *ſe in Bulgarorum regione ab homine gentili, nobili, rogatum eſſe, uti bibat in honorem ejus Dei, qui vinum fecerit ſanguinem ſuum.* Ex *Ducæ* autem Hiſtor. *Cap. 36*: *In honorem imaginis Deiparæ exhauſtis poculis eam invocabant, ut urbi præeſſet & auxiliaretur. Sardus V*, Abbas Curiæ Mariæ (*Marienhof*) in Friſia, 71.
ut computationibus Monachorum frena injiceret, juſſit, ne ſæpius, quam ter, in cibo biberent, idque honori SS. Trinitatis. Oſtenditur, jam *Auguſtini* temporibus morem fuiſſe bibendi 73.
honoris SS. Martyrum cauſa: angelorum etiam mentionem ad pocula factam, ex *Cæſarii*, Arelatenſis Epiſcopi, Homilia VI *p. 45* oſtenditur. Notatu dignus eſt locus ex Vita *S. Ulrici Cap. 2*: *Vas, quod illi porrigebatur, accepit, dicendo, iſtam* 75.
ſiceram bibere charitate S. Udalrici, *per cujus adjutorium de maximis anguſtiis liberatus ſum, volo. Cumque poculum hauſiſſet, & vas cum manu deorſum verteret, dixit: Cum illa charitate ſignatus, certus ſum, quia nullius adverſitatis pravitas mihi hodie poterit nocere, ſed neque gladius corpus meum vulnerare.* Ita honori & memoriæ antiquorum Re- 76.
gum atque Heroum apud Septentrionales bibi ſolitum; adjectis etiam *minnis*, hoc eſt, Carminibus ſolennibus honorem illum & amorem indicantibus. Apud Belgas in hoc genere nihil celebrius *Minna S. Gertrudis*, quod etiam *poculum Nivel-* 189.
læ vocatur, quo in ſolennioribus omnibus epulis utebantur. Fuit *S. Gertrudis*, contemto natalium ſplendore & commodis vitæ, tandem Abbatiſſa Cœnobii *Nivellenſis* vel *Nigivellenſis* in Brabantia: autor ordinis puellarum nobilium, cujus memoriam tum alia, tum *Gertrudiburgum* urbs ſervat. Hujus vir- 200.
ginis ipſum nomen, quod parum abhorret ab altero *Gaartruw*,

 quaſi

Digitized by Google

quasi tu totam,quantaquanta est, fidelem dixeris, occasionem dedisse videtur nostro *Alkemadio*, ut homines fidem inter pocula ipsius interposito nomine ac numine sancire instituerint. Neque enim novum, ex appellativis fieri propria, ut *Vera icon* peperit *Veronicam*, ut *S. Ontkommera* nata est, cum quidam se liberatos esse dicerent periculis, quod Belgis est *ontkommen*. Cum porro *Gertrudis* contrahant Belgæ in *Geerte*, *Minna* autem tum amorem notet, ut vidimus, tum poculi genus, tum eos, qui poculum tale exhauriunt, intelligitur, quid sibi velit nobilis illa *sint Geerte Minne*: quam declarat etiam Epi-
Pag. 208. gramma *Jani Dousæ*, seu *Memoriæ S. Gertrudis propinandi formula*:

> *Ecce scyphum hunc, comitemque scyphi*, Gertrudis *amorem*,
> *Propino (& prosit!) voce manuque tibi.*

210. Poculum antiqui operis, cui nomen *Minnæ S. Gertrudis* hæret, in ære sculptum per hanc occasionem exhibetur ex Cl. *Alkemadii* ipsius supellectile. Potum ipsum solennem *Nigi-*
203. *vellensem* etiam *pateram* (*de Schaal van Nivelle*) vocant. Successit hoc *poculum Gertrudis* antiquo *amicitiæ poculo*, per Septentrionem usurpato jam ante Christiani nominis in eo adventum, quod Capitis XIV argumentum est. Habet hæc altera *Pars* plurima scita digna, multa,quæ cum Lectoribus nostris communicare nobis volupe esset, nisi amœnitas Opusculi jam nos ultra fere terminos prolectasset. Quæ ad morum & Juris doctrinam pertinent, ea in tertiam *Partem* conjecta forte seorsim prodibunt.

SELECTA JURIS ET HISTORIARUM tum anecdota, tum jam edita, sed rariora, quorum Tomus I civitatem Imperialem Francofurtum ad Mœnum concernit; cum Præfatione de ratione instituti & Scriptoribus Rerum Francofurtensium, nec non Indicibus necessariis; cura HENR. CHRIST. SENCKENBERG, *JCti, & Consiliarii Rhingravici.*

Fran-

Francofurti ad Mœnum, apud Jo. Frid. Fleiſcher, 1734, 8.
Alph. 2 pl. 6.

Non ingrata ſunt publice, quæ Cl. Autor per hos annos continuo labore, indefeſſaque induſtria, & (ut ita dicamus) uno ſudore, protulit. Neque improbatur prudentibus inſtitutum præſens utiliſſimum, edendi in lucem, quæ olim ſelegit, monumenta veteris ævi, aliaque Opuſcula rariora, non minus ad Hiſtoriarum ſcientiam, quam ad Juris Publici diſciplinam, pertinentia. Itaque expectamus in his Tomis, fide ejus, id eſt, proxime ac certiſſime, Anecdota & edita rariora Comitialia Imperii Romani Auſtriaca, Sileſiaca, Saxonica, Thuringica, Haſſiaca, Megapolitana, Magdeburgenſia, Halberſtadenſia, cum nummis & ſigillis; quin etiam, quæ ad Comitum Baronumque familias, quæ ad Imperiales civitates, vel ad municipia, referuntur, itemque Juridica optimæ notæ, &, ſi otium fuerit, Annales Literarios Juridico-Politico-Hiſtoricos. Primas dare placuit civitati patriæ, non ſolum pietatis ergo, ſed etiam ob defectum, qui adhuc inſignis eſt in rebus Francofurtenſibus. Mirum profecto, civitatem nobiliſſimam pariter ac vetuſtiſſimam, per tot Secula, ſi *Entrandum*, Diaconum, excipias, ne unicum quidem alicujus notæ Scriptorem uſque ad A. 1500 nactam fuiſſe. In Præfatione Cl. Editor ſcripta, vel viſa ſibi, vel audita, quæ ſimul hiſtoriam, ſimul ſtatum publicum, civitatis illuſtrant, breviter, addito judicio, recenſet. Ex MStis præcipue commendat *Jo. Maximiliani zum Jungen Tomos V in fol.* ſatis ſpiſſos *de Rebus Francofurtenſibus*, ab A. Chr. 172 ad A. 1634, optima quæque exhibentes, quæ apud heredes latent. Honorificam quoque facit mentionem Cl. *Lersneri*, Conſiliarii Kirchbergenſis, qui ad parentis nuper defuncti Chronicon Tomum Additionum meditatur. Ceterum, ut paucis repetamus, quæ in præſenti offert Cl. *Senckenbergius*, hæc habentur: 1) *Codex Statutorum Francofurtenſium antiquiſſimus, A. 1352 cæptus*, quem Commentario illuſtraturus eſt Editor, quoniam ibi bene multa ad antiquitates Juridicas pariter & Hiſtoricas civitatis, imo Germaniæ, pertinentia deprehendiſſe ſibi viſus eſt. Sed, ſi res ſpectemus, Codex hic longiſſime ce-

 dit

dit aliarum civitatum Imperialium Statutis, qualia ſunt Goslarienſia, Spirenſia, Argentoratenſia, &c. quæ copioſam meſſem antiquitatum fori Germanici ſuppeditant: hic vero aliena multa, quæ non attinent, occurrunt, & plerumque opificum deſcribitur diſciplina. Singulare eſt & ulterius inquirendum, qui factum, ut illis temporibus, quibus alibi favor maximus erat opificum, Senatus Francofurtanus jam tum licentiam horum
Pag. 15, 23. Collegiorum coercere cœperit: forte uſu magiſtro citius edoctus, quod aliæ civitates majoribus malis ſuis ſero nimis didicere. II) *Diplomata XXV Monaſterii S. Catharinæ Francof.*
155. magnam partem Cæſarea. In quibus eminet Diploma *Wenceslai*, quo clauſtrum eximit a precibus Imperatorum primariis. III) *Manipulus Documentorum XL* magni momenti, quibus res Francofurtenſes & vicinæ regionis præclare illu-
192 ſeq. ſtrantur. Inter alia *Ludovicus IV*, Imperator, A. 1333 ſcribit quatuor civitatibus Wetteravicis, ſe omnes ex Imperio ſuſtuliſſe *Pfalburgeros*. Æſtimamus merito B. *Wenckeri* hoc in argumento curas, ſed novum hoc Diploma novam lucem accendit obſcuræ adhuc rei. Diſcimus inde ſine ambagibus, & quid fuerint *Pfalburgeri*, & quænam vera origo vocabuli, cujus ineptæ ac prope ridiculæ adhuc exſtant derivationes. Quid ſi in poſterum dicamus, vocem deſcendere ab antiquo *pfehlen*, hodie *befehlen* ſive *empfehlen*, quod eſt *in clientelam & fidem ſe commendare*? Certe hoc naturæ rei propinquum eſt maximeque conſentaneum. Porro brevitas noſtra non
269 ſeq. debet prætermittere laudum illud memorabile, inter *Jac.* & *Jo. Fauſtos*, fratres, cives Moguntinos, ex una, & *Jo. Guttenbergium* ex altera parte A. 1455 pronuntiatum. *Jo. Fauſt* ex pacto poſtulabat a *Guttenbergio* ſummam 800 florenorum, *damit er das Werck volnbringen ſolt.* Unde patet, quanto ſtudio quantisque ſumtibus moliti fuerint ſocii nobiliſſimæ artis primordia. IV) *Acceſſiones ad vitam Melch. Goldaſti*, nuper editam. Promiſerat Cl. Editor vitam hujus JCti Francofurtenſis copioſius deſcribere, ſed mutata vivendi & ſtudiorum ratio mutare conſilium coegit. Quare ſupplementa potius nonnulla hic dare inſtituit, & ſimul *Epiſtolas ineditas Golda-*

ſti

ſti ad Frid. Hortlederum, numero XXXIII, bonæ frugis plenas, quibus hiſtoria præcipue Operum utriusque Viri continetur. Accedunt duæ Epiſtolæ ad *Goldaſtum*. V) *Nic. Chriſtoph. Lynckeri* Diſſ. *de Acquiſitione conjugali ad P. V. tit. V Ref. Francof.* Jenæ A. 1695 habita. VI) *Hiſtoria Juris Statutarii Francofurtenſis*, ex monumentis, tam editis, quam MStis, ubi de ejus fontibus, ſubſidiis & Commentatoribus. Cl. Autoris inter alia hæc eſt doctrina: Imperatores Suevici certa jura huic vel illi civitati vel donarunt, vel confirmarunt, ſicut *Fridericus I* Lubecenſibus. Auguſta Vindelicorum juſſu & autoritate *Rudolphi I* ſententias, ſeu jura quædam, pro communi omnium utilitate in unum collegit & literis conſignavit, quæ prima mentio Codicis Statutarii, a civitate ipſa confecti, cum conſenſu tamen Imperatoris. Hoc ævo & circiter aliæ plures, quæ recenſentur, civitates aut privilegia in vim Statutorum, aut poteſtatem condendi Statuta, impetrarunt. Inſeritur Diploma, civitati Wiſmariæ A. 1266 datum, adhuc ineditum ac deſideratiſſimum, ubi civibus datur *optio augmentandi & minuendi ipſum arbitrium*, eaque formula pro ſingulari habetur. Maxime autem eſt veriſimile, Francofurtanam civitatem, Imperatoribus ſemper longe chariſſimam, idem jus idemque arbitrium circa Statuta condenda aut habuiſſe jam olim, aut his temporibus ex gratia Imperatorum obtinuiſſe. Et me- Pag. 518.
rito quidem cum Cl. Autore ſuſpicamur, in privatorum ſcriniis adhuc latitare Statuta Imperialia civitatis hujus, antiquiora illis, quæ ſupra numero I ſunt propoſita. Lectu digna ſunt, 523 ſeq.
quæ de commutatione Statutorum ad normam Juris Civilis allegantur, cum inde appareat, quibus gradibus leges Romanorum vim autoritatemque in Germania acceperint. Denique VII *varia de Judæis Francofurtanis & Fridbergenſibus*. Quod ſi hoc inſtitutum Editoris placuerit, proximis nundinis Francofurtanis & ſucceſſuris deinde ſinguli prodibunt Tomi Selectorum, alius alium excipientes. Et nuperrime prodiit *Tomus II*, de quo mox. Publico nomine precamur Viro Cl. honeſtum otium firmamque valetudinem, & ut *Hiſtoriam Rhingravicam*, Tomis duobus in fol. conſtantem,

 quam

quam magno nisu parturit, cujusque hic inseruit delineationem, proxime ac felicissime in lucem edat, magno cum desiderio efflagitamus.

MEDICAL ESSAYS AND OBSERVATIONS, REVISED and published, by a Society in Edimburgh.

h. e.

EXPERIMENTA ET OBSERVATIONES MEDICÆ, revisæ & publicatæ opera Societatis Edimburgensis.

Volumen I.

Edimburgi, impensis William Monro, 1733, 8.
Alph. 1 pl. 1, cum Figg. aliquot.

Nova illa, cujus primos impetus, diu multumque expectatos orbis eruditus applaudens excipit, Societas Medicorum Edimburgensium, eo majorem utilissimorum laborum fiduciam esse jubet, quo illustre magis, quod imitetur, exemplum ob oculos sibi posuit. Ad normam legesque Societatis Regiæ Londinensis, quæ præside Cel. *Hans Sloane* florentissima est, consuetudines moresque se composuisse profitetur, &, sicut magni animi indicium est, ad tantam famam adspirare, sic non levioris fortunæ meritique prorsus singularis res est, primiceros conatus tam affabre edidisse, ut de successu & ad omnes Naturalis Scientiæ, maxime vero Medicinæ, partes, redundante commoditate, nemo sit, qui dubitare audeat. Cur susceperint negotium, uberrimas rationes suppeditant Collectores. Altera est, quod omnes omnium temporum Observationes Medicæ decursu Seculorum sic immutatæ deprehendantur, ut nostra, qua vivimus, ætate parum suffecturæ sint, nisi vel novis experimentis, utrum firmo adhuc talo nitantur, declaretur, vel ratio constet, cur iisdem fidere quis non possit, quandoquidem vel nova invaserint morborum genera, vel nomina morborum diversam induxerint faciem, vel more etiam Seculi, quod varietate

rietate delectatur, factum ſit, ut alia aliaque ſit Medicinam vel docendi, vel faciendi, ratio, quam ſuperioribus unquam temporibus extitit. Magnopere vero intereſſe declarant Britannis, ut ſuæ ætatis, qua jam degunt, hiſtoria morborum luci admoveatur propius, quod & climatis & ratio diætæ, aut formulas etiam præſcribendi methodus, penes eosdem jam ſit diverſiſſima ab omnium gentium conſuetudine. Inde eſt, quod, minus placere ſibi Obſervationum Medicarum Collectores Germanicos, profiteantur, cumprimis autem Berolinenſes Vratislavienſesque taxant, quod illi unius ſaltim Collectoris arbitrio conſtent, hi vero Germanico, quod Britanni, ſicut ſunt ſtrenui peregrinarum rerum contemtores, averſantur, idiomate conſcripti ſint. Id quod utrum ſufficiat, quo labores optimorum quorumque & exercitatiſſimorum in arte Virorum contemtui habeantur, judicabunt alii. Nobis, quibus, nimia forte modeſtia, peregrina noſtris magis probantur, quamvis Obſervationes Edimburgenſes indigenis ſaltem ſcriptæ eſſe videantur, nihilominus viſum eſt, plurima ex iisdem, ob experimentorum dexteritatem, ſubtilem controverſiarum evolutionem, ſagaciſſimamque cauſarum indagationem, ad uſum noſtrum pertrahi poſſe. Singulum Volumen eorum, quæ poſt hoc primum proditura ſunt, quintuplicis argumenti materias continebit, nempe barometricas, thermometricas, hygrometricas athmoſphæræ Edimburgenſis declarationes, morborum epidemicorum apud Edimburgenſes, quales ſingulis anni ætatibus graſſati fuerint, hiſtoriam, miſcellaneas etiam de ſimplicibus, galenicis, chymicisque medicamentis, itidemque Anatomicas, Phyſiologicas, Theoreticas, Practicasque, tum Medicas, tum Chirurgicas Obſervationes, inde icones, quales pro illuſtranda inſtrumentorum deſcriptionumve cognitione neceſſariæ judicabuntur, noviter quoque inventa, aut experimentis per omnem Medicinæ ambitum comprobata, addentur, quibus ad calcem adjicietur locupletiſſimus contentorum Index, librorumque, quotquot hoc anno, cujus hiſtoria ſingulo volumine traditur, vel in Anglia, vel extra eandem, prodierint, catalogus, pluriumque novorum literariorum fidelis relatio. In eo vero maxime operam collocabunt

Colle-

Collectores, ut cadaverum sectione causarum partiumque male affectarum plenissima reddatur cognitio. Singularis, sed vera eorum est sententia, *sinistros casus, dummodo indoles eorundem cognoscatur, plus utilitatis afferre Medicinae, quam felicissimos quosque eventus, cum sint admonitio, ne quis in hunc lapidem denuo impingat.* Inde, ne quis ea, quae sibi sinistre successerunt, reticeat, sed in commoditatem publicam profiteatur, admonent, &, celato nomine se rem promulgaturos, promittunt. Primi Anni, quod Mense Junio, post vernalium morborum decursum, exordiuntur, messis uberrima est, dignaeque visae Observationes, quae summo saltim nomine & obiter enumerentur. Describitur Edimburgum, ejusdemque aer ad normam regulasque meteorologicas, quibus quotidie mutationibus totius anni decursu obnoxius ille fuerit, reducitur, quod multum intersit scitu, quo epidemicarum constitutionum indoles clarior evadat, cui terrae quis aer competat, cum & *Hippocrates* & *Sydenhamius*, diverso tamen tantisper sensu, in hoc non levem morbos describendi commoditatem & certa causarum indicia invenerint. Succedit epidemicorum morborum hujus anni series, qua, tumores in facie glandulisque salivalibus cum febre & rubore, *Mense Junio*, iidem tumores, sed erysipelaceae naturae, cum ophtalmiis, doloribus dentium febribusque acutis, *Mense Julio*, observatae fuerunt. Variolae spuriae crystallinae infantes, dysenteriae vero adultos *Mense Augusto* excruciarunt. *Septembris* tranquille peractum est tempus, parumque lucrati sunt Medici, nam nulla epidemici cujusdam mali mentio fit, *Octobris* vero pleuritidem perfectam febre acutissima junctam generi humano induxit. *Novembri* febribus malignis, agrypnia & delirio junctis, adultiores, juniores vero vermibus abdominis, male habiti fuerunt. Eadem fuit *Decembris* & *Januarii* mortalitas, ita tamen, ut & plures diarrhoea ob accedentem febrem, si venaesectiones & vomitiones negligentius adhibitae fuissent, interciderent. Pleuritis *Mense Martio* recrudescere coepit, variisque infantilibus morbis male habita est tenera aetas. *Aprilis Majus*que pleuritides, febres malignas, diarrhoeas, erisypelas oetomatodes, opthal-

opthalmias,aliaque mala, produxerunt. Succedit morte exſtinctorum hoc anno catalogus. Curioſa ſatis eſt ſulphuris aurati antimonii deſcriptio, quod, affuſione aquæ Regiæ, eluitione, inde affuſione aceti deſtillati, præcipitatione, & filtratione, quo pulvis remaneat, præparari edocetur, a *Tachenio* & *Helmontio* jam, ſed obſcure, deſcriptum, quo tenaciſſimi morbi, maxime vero tympanitis, compeſci poſſint. Aquarum *Moffatenſium* indoles deſcribitur ab odore putidi ovi æmulo, quales etiam in Germania obſervantur, præſentiſſima in malis cutaneis remedia, quæ & in ulceribus, ſcrophulis, colica flatulenta, aut nephritica, potu aut balneo applicata ab Obſervatore plurimum prædicantur. Eædem aquæ paulo poſt analyſi chymicæ ſubjectæ, nec martis cujusdam, nec acidi, aut alcalini, ſuſpicionem fecit, nam omnium experimentorum induſtriam eluſit, lacteſcentia autem ſua, quæ excitabatur infuſo acido, ſulphureas ſe eſſe, ſatis ſuperque edocuerunt, pulvere præcipitati forma fundum petente. Cl. *Monro*, Profeſſor Edimburgenſis, & Anatomiæ peritiſſimus, de artificiali vaſorum repletione egregie perorat, inſufficientem ceraceæ materiæ injectionem, præſtantiorem vero, quæ fit glutine ſoluto, declarans; ſibi vero ſolennem eſſe olei therebinthinæ colorati injectionem pro replendis tenuiſſimis vaſculis inde ceraceæ materiæ pro truncorum majorum impletione, ſibi uſum eſſe, ultro profitetur. Jucundiſſima lectu eſt Cl. *Porterfield* mechanica demonſtratio, oſſa transverſim difficillime rumpi. Nec minori felicitate uſus eſt ſæpe laudatus *Monro* in declarando articulationis & luxationis maxillæ inferioris modo, in cujus rei gratiam addita eſt figura glinoideæ, quæ condylum ſuſcipit inferioris maxillæ, qua occaſione mentem ſuam de ortu chordæ tympani, quod a portione dura ſeptimi paris unita cum quinti ſurculo, progrediatur, exponit. Poſt *Swammerdamii*, *Borrelli*, *Bellini*, aliorumque conatus, de reſpirationis forma & alterno thoracis pulmonumque motu Cl. *Martine* commentationem addit, modeſtamque cum Cl. *Boerhavio* controverſiam agit, utrum ab impedito ſanguinis ad ſiniſtram cordis auriculam

motu,tempore,quo inſpiramus,negotium hoc ſit definiendum. De nutritione fœtus quæſtionem movet Cl. *Gibſon*, obſtetriciæ artis peritus, &, allatis de hac re variorum Autorum, antiquiorum æque, ac recentiorum, ſententiis, argumenta, quod nulla ſit per os nutritio, quodque tantum per umbilicum nutriatur embryo, ſubruere tentat, *Hippocraticæ* opinioni inhærens, quod utrinque, & ore, abſorpto liquore amnii, & umbilico, accepto ſanguine materno, nutriatur fœtus. De pravo inteſtinorum ſitu a præternaturali conformatione, curioſiſſima duo exempla inducuntur infantum, quorum alter majorem tenuium partem extra integumenta abdominis ſita habuerit, alteri vero, cum induratione pylori, inteſtinum duodenum duplex exſtiterit, obſervante Cl. *Calder*, Chirurgo. Variæ ſubſequuntur variorum Autorum Obſervationes, de vulneris collo accepti mirabili in brachium manumque extremam effectu, cujus dolores aquis Bathenſibus levati fuerint: de extractione oſſis ex intima œſophagi parte, ſingulari inſtrumento peracta, quod delineatur: de ſingulari tumore pectoris tunicato: de paracentheſeos exercendæ encheireſi, partim in debiti loci, medii inter umbilicum & ilii proceſſum exteriorem, ſelectu, partim in aquarum educendarum menſura, partim in artificio omnes aquas exprimendi, cui bono ligatura delineatur, conſiſtente: de vermibus ex ulcere protractis: de inteſtinorum ſphacelo ab hernia incarcerata feliciter curato: de impoſſibili, quam *de Marchettis* adhibuiſſe dicitur nephrotomiæ exercitio, occaſione lapidum in rene inventorum: de tumore cruris male curato, quo loco Autoris nomen ob confeſſionis ingenuitatem reticetur: de extracta tibiæ oſſis parte, cujus locum callus repleverit. Perplacet inter omnia doctiſſimi illius Viri, cujus nomen immerenter reticetur, vindicta, quam ab impudente Gallo, cujus ſputo Cel. *Freindii* oſſa conſpurcata fuerant, ſumit. Diverſa Medicinæ fata, principiorumque in ſcholis revolutiones, docte recenſentur, ſequentibus legitimo ordine doctiſſimorum Autorum quæſtionibus motis: de ulcere pulmonum per diaphragma ad hepar tranſeunte; de tumore œſophagi apoſtematode: de ſpaſmis œſophagi: de

de inflammatione ſtomachi cum hydrophobia aliisque ſingularibus prorſus ſymtomatibus: de atrophia ob ventriculum ſitu motum, pyloro a dextro hypochondrio ad umbilicalem regionem, propius retrogreſſo: de tympanitidis cujusdam rarioris, indole: de colica ſexenni a lapide in inteſtinis concreto: de ičtri pathognomonia ab inflammatione, ſcirrho aut pituita infarcta: de ſcirrho veſicæ in pus mutato ob imprudentem cauſtici adhibitionem in loco perinæi, ubi quondam Lithotomia exercita fuerat: de retentione ſeminis in coitu: de ſphacelo artuum inferiorum. Et, ne quid utilitatis deeſſet obſervationum theſauro, additæ ſunt novarum rerum literariarum, quæ a principio A. 1731 ſucceſſerunt, recenſiones, de Contrayerva, & Simarouba plantis, de ſale ſeri lactis, de ſpiritu frumenti rectificato ad aſſervandas animalium partes præſtantiore; de vaſibus tumoris cryſtallini detectis; de cera rubra, relicto colore, integumenta venarum ſubeunte, aliisque. Agmen laborum claudunt nova literaria, ex variis orbis eruditi partibus in Scotiam translata. Quo ipſo ſpes eſt, ſucceſſu non carituros doctiſſimorum Virorum conatus, quibus ſalvas corporis animique vires, & uberrimam rerum, quo beari iisdem cupidus Lector poſſit, meſſem, apprecamur.

EPITOME OPERIS PASCHALIS JACOBI BETTAZZI, Pratenſis, Plebani S. Hippolyti in Piazzaneſe Diœceſis Piſtorienſis, proferens in Proœmio neceſſitatem emendandi Correctionem Gregorianam, deinde opportunam ejusdem Gregorianæ emendationem ſine Calendarii & Martyrologii variatione: atque exhibens Diſſertationes quatuor, & Appendices duas, ad materiam de cycli Paſchalis conſtitutione enucleandam. Accedit ſententia, quam de Paſchali Opere tulit Vir Cl. EUSTACHIUS MANFREDI, in Bononienſi Academia Matheſeos Profeſſor, nec non Inſtituti Scientiarum Aſtronomus Celeberrimus.

Florentiæ, apud Bernard. Paperinium, 1733, 4.
Alph. 1 pl. 10, cum Tabb. Chronol. 6.

Correctionem Calendarii *Gregorianam*, per cyclum epactarum, quantumvis ingeniosam, multis modis peccare, atque a præceptis antiquæ Ecclesiæ, inprimis Concilii Nicæni, identidem aberrare, non nostri solum homines norunt, sed & ii ipsi perspiciunt ac fatentur, qui Romanæ Ecclesiæ sunt addicti, rerumque Astronomicarum & Chronologicarum periti. Ex his nuper ortus est Autor præsentis Operis doctissimus, *Jacobus Bettazzi*, qui studio plane singulari id agit, ut non solum necessitatem emendandi correctionem *Gregorianam*, statim in Proœmio, sed methodum quoque id perficiendi optimam, simplicissimam, atque ab exteris etiam nationibus, ut sperat, approbandam, in ipso libro, quam luculentissime exponat: quanquam non integrum suum Opus Paschale nunc in lucem edidit, sed illius partem duntaxat atque epitomen: cui adjunctum est Schediasma V. C. *Eustachii Manfredi*, qui Autoris institutum perspicue & succincte persequitur, ejusdemque operam omnino collaudare, & maximam partem approbare, non dubitat. Ut totam rem paucissimis complectamur, duo potissimum sunt fundamenta, quibus emendatio Cl. Autoris nititur. Horum alterum in eo positum est, ut epactæ annorum centesimorum, a quibus deinde reliquæ dependent, aliter, & aptius, quam huc usque fieri consuevit, determinentur; alterum, ut diei subtractio, quæ vocatur *saltus lunæ*, id est, progressio epactarum per additionem duodecim unitatum, quæ alias undecim esse debent, non semper fiat post aureum numerum 19, sed singulis Seculis post alium atque alium aureum numerum, nova methodo inveniendum. Itaque, secundum placita Autoris nostri, Anno 1700 competit epacta X, & toto hoc Seculo saltus lunæ fieri debet post aureum numerum 3. Anno 1800 competit epacta IV, & toto illo Seculo saltus lunæ fieri debet post aureum numerum 19. A. 1900 competit epacta XXIX, & toto illo Seculo saltus lunæ fieri debet post aureum numerum 14. Atque ita porro; ut videri potest in adjecta Tabula, ex libro Autoris huc translata, & ad A. 4000 extensa:

Digitized by Google

Tabula novi cycli 38 annorum aureæ columnæ, exhibens Epactas annorum centesimorum, & aureos numeros, post quos singulis Seculis facienda est diei subtractio, appellata Saltus Lunæ.

Anni centesimi.	*Epacta annorum centesimorum, quæ in decursu singulorum Seculorum progreditur per additionem 11 unitatum; per additionem vero 12 unitatum, quando faciendus est Saltus Lunæ.*	*Aureus numerus, post quem in decursu singulorum Seculorum facienda est diei subtractio, appellata Saltus Lunæ, id est, progressio Epactarum per additionem 12 unitatum.*
1700	X	3
1800	IV	19
1900	XXIX	14
Biss. 2000	XXIV	6
2100	XIX	19
2200	XIII	17
2300	VIII	6
Biss. 2400	IV	3
2500	XXVIII	17
2600	XXIII	8
2700	XVIII	18
Biss. 2800	XIII	14
2900	VIII	9
3000	II	19
3100	XXVII	14
Biss. 3200	XXII	11
3300	XVII	2
3400	XII	17
3500	VI	12
Biss. 3600	II	3
3700	XXVI	17
3800	XXI	14
3900	XVI	4
Biss. 4000	XI	1

Scilicet id ſibi vel maxime propoſitum habuit Autor, ut non ſolum ſine Martyrologii variatione, ſed etiam ſine notabili totius Calendarii *Gregoriani* mutatione, emendationem ſuam perficeret. Jam, quod attinet ad epactas annorum centeſimorum, eas vix aliter, quam tentando, elicuiſſe Doctiſſ. Autor videtur. Proponit tamen ingentes quasdam annorum periodos, quibus abſolutis, easdem annorum centeſimorum epactas redituras docet. Sed non ſatis hoc inſtitutum probatur Cl. *Manfredio*, quippe qui conſultius judicat, de mediocri futurorum Seculorum numero, quam de tam immenſo tempore, poſterorum, ſi qui erunt, curæ ac ſolicitudini relinquendo, laborare. Tacemus, quod idem Vir Cel. monet, de interrumpendo ordine aureorum numerorum, ad reſtituendas epactas. Nec multa ſunt, quæ de cyclis afferre poſſumus, ab Autore noſtro, pro inveniendis potiſſimum ſaltibus lunæ, excogitatis, quippe quos nec ipſe in hac Epitome ſui Operis ſatis exponit. Tres ſunt hujusmodi cycli, quorum tertium, quem reliquis præfert, vocat *cyclum triginta octo annorum aurea columna*. Ad hunc quodammodo intelligendum, concipe Tabulam, lineis rectis parallelis deorſum ductis, in 38 columnas, & deinde aliis lineis transverſim ductis, in complures cellulas diviſam. In latere ſiniſtro deorſum adſcripti ſunt numeri annorum centeſimorum, ab A. 1700 ad 5000. In ipſis cellulis epactæ ignoto adhuc artificio ſunt diſtributæ. In fronte vero ſingularum columnarum aurei numeri exſtant, ita, ut in prima columna ad ſiniſtram numerus 11 locum habeat, in altera 12, in tertia 13, atque ita porro uſque ad 19: proxima columna, a prioribus per lineam auream diſtincta, in fronte exhibet aureum numerum 1, deinde 2, 3, 4, uſque ad 19: ſequitur rurſus linea aurea, deinde 1, 2, 3, uſque ad 10. Spatium, inter duas lineas aureas comprehenſum, vocatur *aurea columna*, cujus ope ſaltus lunares inprimis determinantur, talesque reperiuntur, quales in adjecta Tabula exſtant. Et hactenus quidem præcipua capita ex Opere Autoris noſtri afferre conati ſumus. Nunc referemus nos ad ordinem, totiusque libri diſpoſitionem ſuccincte exhibebimus. Primo loco memo-

memorat Autor, (nam in hac Epitome contenta ſaltim majoris Operis recenſet,) ſe de Calendario tractare, atque id agere, ut genuina epactarum æquatio *Gregoriana*, a qua Calendaria non pauca, inter ipſos Catholicos nuper edita, receſſerint, in priſtinam ſuam integritatem reſtituatur. Pergit deinde ad argumentum de anno ſolari tropico ac civili, & de regula intercalationum, a *Gregorio* ſtabilita: variasque huc pertinentes quæſtiones, Capitibus decem & octo perſequitur. Negat abſolute opus eſſe, ad minimum hoc & proximis Seculis, ut æquatio anni ſolaris *Gregoriana* mutetur. Sub finem tamen libri, ubi hunc locum denuo tractat, ipſe mutationem aliquam levem proponit, in eo conſiſtentem, ut pro annis centeſimis, quos numerus metitur quaternarius, 2000, 2400, 2800, & ita porro, ii potius, qui hos ſequuntur, 2100, 2500, 2900, fiant biſſextiles: atque hanc ſuam ſententiam in peculiari Appendice a Cl. *Manfredi* objectionibus defendere conatur. Accedimus ad præcipuam totius libri tractationem, quæ verſatur circa materiam Paſchalem, Capitibusque duobus & triginta ab Autore in majori Opere abſolvitur. Singularem plane diligentiam hoc loco adhibuit Vir doctiſſimus, ut verum menſem ac diem celebrandi Paſchatos quam accuratiſſime definiret. Inprimis hæc tria docere contendit: 1) plenilunia media d. 21 Martii, poſt meridiem, ante ſolis occaſum, non eſſe Paſchalia, illa vero d. 19 Aprilis, ſimiliter poſt meridiem, ante ſolis occaſum, eſſe Paſchalia: 2) ad conſtituendum Paſchale medium plenilunium, non æquinoctium cœleſte attendi debere, ſed ſolum civile, ſive Eccleſiaſticum; 3) lunam XIV hoc modo definiendam eſſe, ut ſit dies civilis, quæ proxime præcedit diem itidem civilem, in qua contingit medium plenilunium, ſalvo uſu Gnome. Quatuor deinde Diſſertationes integras Compendio ſuo inſerit, ad hoc argumentum magis illuſtrandum. In prima demonſtrare conatur, dies civiles lunares, in materia Paſchæ, & conſequenter in cyclorum Paſchalium diſpoſitione & dijudicatione, non a media nocte, ſed a ſolis occaſu, incipere. In altera negat, lunam XIV civilem primi menſis, cui reſpondere debet luna XIV cyclaris, recte definiri, illam eſſe, in

qua

qua contingit major pars lunaris diei XIV Aſtronomicæ, quæ incipit a momento, in quo advenit medium plenilunium. In tertia ſimiliter negat, lunam XIV civilem primi menſis recte definiri, illam eſſe, quæ aliquo modo participat de die XIV Aſtronomico, e. g. de ejus initio, vel fine. In quarta denique de eo diſputat, utrum gravius ſit cyli peccatum, ſi is lunam XV die citius, an ſi eandem die tardius, quam par eſt, deſignet? Poſt Diſſertationes commemoratas redit Autor ad ſuam Epitomen Operis Paſchalis, docetque, Eccleſiam Romanam neque ab Alexandrina in celebratione Paſchæ olim diſcrepaſſe, nec vetuſtiſſimos ſacros canones unquam neglexiſſe. Deinde enumerat comparatque ſingula peccata, quibus cyclus peccare poteſt contra ſacros canones, tum quoad menſem, tum quoad hebdomadem. Atque ita ad tractationem de Anno Lunari progreditur. Ubi primo agit de magnitudine menſis ſynodici, ac de vitiis cycli Judæorum, deinde de progreſſibus lunæ annis centeſimis, & de methodo computandi media novilunia & plenilunia. Quibus conſtitutis procedit ad examen *Gregoriani* epactarum cycli, æquationis *Lilianæ*, & cycli *Caſſiniani*: notatisque eorum peccatis, novos ſuos cyclos ac periodos proponit, quos, quanquam ab omnibus peccatis haudquaquam immunes, tales tamen eſſe contendit, ut perfectiores inveniri nequeant. Diximus de inſtituto Cl. Autoris, quantum ſatis viſum fuit. Judicium cuique liberum ſit. Noſtra hæc eſt ſententia: miram planeque collaudandam eſſe Viri docti ingenuitatem, diligentiam, atque in ſubducendis infinitis, iisque laborioſiſſimis, calculis patientiam, nec fas eſſe, de ejus accuratione dubitare: de cetero, ut omnia ita ſint, quemadmodum vult, nullam tamen rationem adhuc ſuppetere ſatis gravem, quæ nos, in computando genuino Paſchæ tempore, publica autoritate, ad calculos Aſtronomicos amandatos, nunc denuo ad cyclos, perfectiores fortaſſe præcedentibus, ſed cyclos tamen, peccatis non carentes, revocare poſſit. Sancitum eſt antiquiſſimæ Eccleſiæ Decretis, quæ peccata in definiendo Paſchatis feſto cavere debeamus: ut cyclis ad id utamur, ſancitum non eſt. Satiusne vero ſit, ad conſervandos cyclos, peccata

cata

Digitized by Google

cata, quantumvis pauca, conſulto admittere, quam, ut hæc omnino evitentur, a cyclis abſtinere? Ipſe *Leo X*, Pontifex Maximus, cujus verba Autor in Proœmio affert, *conſultius videri*, pronuntiavit, *ad Paſchalem lunam indagandam, tabulis duntaxat Aſtronomicis uti:* imo diſerte ab eodem conſtitutum eſt, ut, admiſſis etiam cyclis, *quandocunque in cyclo & tabulis, circa lunam Paſchalem, diſcordia interceſſerit, præciſiori tabularum ſupputationi ab omnibus ſtari debeat.* Cycli inventi ſunt ab hominibus, qui, cum eorum imperfectionem ignorarent, calculos reddere expeditores voluerunt. At Noſter, cyclorum vitia penitus perſpiciens, poſtquam calculis ſubtiliſſimis omnia invenit, ex his ipſis inventis formavit novos cyclos, quibus nihil aliud, quam quod jam inventum eſt, inveniri denuo, interdum vero etiam errari, poſſit. Poſtremo docti & calculorum Aſtronomicorum periti cyclis opus non habent: reliquis, nec calculos nec cyclos rite intelligentibus, ſatis eſt, ſi feſtorum, vel certe æquinoctiorum & pleniluniorum Paſchalium, tempora ipſis ſimpliciter ac mature indicentur. Nam, quod ad evitandum noſtri Paſchatis cum Paſchate Judaico concurſum attinet, in ea re neque ad calculos Aſtronomicos, neque ad cyclos *Gregorianos* aut *Bettazzianos*, ſed ad cyclos & arbitrium Judæorum, nos accommodare debemus. Quod an indignius ſit, quam concurſum memoratum minus ſolicite evitare, nec, Judæorum cauſa, noſtra differre ſolennia, quæſtio eſt, quam nobis neutiquam dijudicare licet. Illud vehementer optamus, ut pacem & concordiam in celebrandis ſuis ſacris univerſus deinceps conſervet orbis Chriſtianus.

GEORGII D'ARNAUD DE DIIS ΠΑΡΕΔΡΟΙΣ, *ſive Aſſeſſoribus & conjunctis, Commentarius.*

Hagæ Comitum, apud Petrum de Hondt, 1732, 8. Alph. 1 pl. 6.

Pergit Vir Doctiſſ. bene mereri de ſcriptoribus Græcis, qui cum ſæpiſſime Θεῶν παρέδρων mentionem faciant, operæ pretium illi viſum eſt, conjunctim de iis exponere. Igitur primo oſtendit, ab hominum vel epulis, vel conciliis, tractam ſimilia de Diis fingendi occaſionem. Quem enim menſæ ſocie- Cap. 1. 2.

cietate dignantur, vel in conſilio habent homines, illi faſtigii
Cap. 2. ſui aliquantum impertiunt. Hinc, epulis Jovis, aut concilio, qui adhibentur, eosdem in Deorum cenſum relatos apparet. Obſervat hic poſt alios Autor, Deos *Homericos aſſidere* men-
4. ſis, non *accumbere*, quo magis πάρεδροι dicantur. Proxime autem ſibi invicem collocabantur Dii, qui ejusdem ordinis, & æqualis fere eſſent poteſtatis, ut Jupiter & ſua Juno, Apollo ac Diana, ut *Romulo* aſſidere jubet *Seneca Claudium.* Hinc Patres Eccleſiæ Chriſtum Deum σύνθρονον atque σύνεδρον Dei
Pag. 15. Patris faciunt. Hic oſtendit Autor, rationem fugiſſe Viros ſummos, *Gisbertum Cuperum*, atque *Ez. Spanhemium*, qui παρέδρους inferioris tantum ordinis Deos faciunt, cum etiam æquales hoc nomine dicti ſint, v. g. Ceres & Bacchus a *Pindaro Iſthm. VII, 3*, a *Phurnuto* autem *p. 197* Mercurius & Venus.
Cap. 5. Interim tamen & ipſe demonſtrat, honoris cauſa non inferiores tantum Deos aſſidere dici majoribus, aut prope thronum v. g. Jovis eſſe, ſed defunctorum etiam manibus hunc hono-
Pag. 21. rem tribui in Epigrammatis, quorum unum ex *Sponii Miſc. erud. antiq. S. X p. 368* per hanc occaſionem emendat. Nimirum ibi legitur:

ΣΩΜΑ. ΜΕΝ. ΗΔΕ. ΚΟΝΙΣ. ΚΕΥΘΕΙ. ΘΕΟ-
ΜΗΣΤΟΡΟΣ. ΑΝΔΡΟΣ.
ΝΑΡΚΙΣΣΕΙΩΝΟΣ. ΗΙΝΥΠΠΟΥ. ΕΥΧΗ. ΔΕ.
ΣΥΝΕΔΡΟΣ.
ΑΘΑΝΑΤΩΝ — —

Noſter autem ingenioſe quidem, &, quantum ad poſteriorem certe vocem, etiam vere, ex ΗΙΝΥΠΠΟΥ facit ΠΙΝΥΤΟΥ, & ΕΥΧΗ mutat in ΨΥΧΗ, atque interpretatur: *Hic puluis quidem occultat corpus viri religioſi, Narciſſionis*
Cap. 6 & 7. ſapientis; anima *autem aſſidet Diis immortalibus.* De XII Diis nobilibus Græcorum & Romanorum affert pluſcula, ubi deſiderare Lector poterat accuratiorem diſquiſitionem, qui fuerint octo primi Ægyptiorum Dii, qui orti ex his XII, qui denique tertii ab his prognati, quæ fuerit diverſitas apud Græcos non tantum ab Ægyptiis, ſed etiam inter ſe? De quibus rebus ipſa, quæ laudat, *Herodoti* & aliorum loca ſatis amplam diſputandi materiam præbent, ac redarguendi, quod obiter mo-

nemus,

Digitized by Google

nemus, versus *Kircherianos*, quibus *Oedip. Ægypt. Tom. III Synt. II Cap. 3* Deos Ægyptiorum XII complexus est, qui cum *Herodoto* satis aperte pugnant:

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venusque
Mars, Hermes, Nephtun, Vulcanus, Osiris, Apollo.

Laudat de his Diis Scholiasten *Pindari ad Ol.* X, *58*, sed ita laudat, ut non videatur ipsum locum accurate inspexisse. Poeta de *Hercule*, Τιμάσας, inquit, πόρον Ἀλφεῦ-Μετὰ δώδεκ' ἀνάκτων θεῶν, quod ita interpretatur Scholiastes: Ἀλφειῷ εἰκότως ὡς ἐγχωρίῳ ἔθυσε ποταμῷ, μετὰ δὲ δώδεκα θεῶν τοὺς βωμοὺς ἐποίησε. βωμοὺς γὰρ ἵδρυσε διδύμους ἕξ. Verba a μετὰ inde ita interpretatur Noster: *Postea duodecim Deorum aras exstruxit; aras enim sex geminas statuit.* Sententia postulat, inter XII Deorum aras sex fuisse etiam unam *Alphei*: τὴν μετὰ paulo post scholia per σὺν interpretantur. Postulat hanc interpretationem alter locus Scholiorum *Pindari*, quem prætermittere tanto minus debebat Vir Cl. quod laudatus jam est *Casaubono* ad *Lampridii Alexandrum Cap. XXXVI*, e cujus & *Salmasii* ad eum locum Notis alioqui videri potest profecisse, quanquam id hic non indicavit; sed apparet tamen ex *p. 187*, ubi refutandi causa laudatur *Salmasius*. Quale quid etiam de *Spanhemio* & *Cupero p. 15* factum, & iterum *p. 19* de *Spanhemio* ad *Callim. Hym. Apoll. v. 29* suspicacior aliquis dixerit. Nimirum ad illud *Pindari Ol. 5, 10*, βωμοὺς ἕξ διδύμους ἐγέραρεν ista Scholiastes, quæ ob enumerationem Deorum plane prætereunda non sunt: Ὀλυμπιάδι βωμοί εἰσιν ἕξ δίδυμοι τοῖς δώδεκα θεοῖς ἀνιδρυμένοι. Ἑνὸς ἑκάστου βωμοῦ δύο θεοῖς καθωσιωμένου. Πρῶτος Διὸς καὶ Ποσειδῶνος· Δεύτερος Ἥρας καὶ Ἀθηνᾶς· Τρίτος Ἑρμοῦ καὶ Ἀπόλλωνος· Τέταρτος Χαρίτων καὶ Διονύσου· Πέμπτος Ἀρτέμιδος καὶ Ἀλφειοῦ· Ἕκτος Κρόνου καὶ Ῥέας, ὥς φησιν Ἡρόδωρος. Quæ de Diana & Alpheo in eodem altari cultis dicuntur, & ad superiorem locum *Pindari* declarandum faciunt maxime, ea confirmat *Pausanias Elia. 1, p. 161, 39 Wech.* ut & ipse ad *Pindarum* provocat, &, causam ejus rei a se proferri ἐν τοῖς Λεπρεατικοῖς λόγοις, dicat. Verum amemus potius diligentiam Viri doctissimi, qui reliquo decursu Operis, tum qui Dii, tum quas ob causas sociari consueverint, altaribus, templis, Pag. 68.

 adora-

Digitized by Google

adorationibus, ſtudioſe perſecutus eſt, cujus enixa opera, ſi nihil aliud, certe hyle ingens locorum veterum conducta eſt, in quibus παρέδρων θεῶν fit mentio, qua ſuo quisque modo atque ingenio uti deinceps poſſit. Mala profecto & illiberalis conſuetudo doctorum quorundam Virorum eſt, inſultare omni occaſione iis, qui non dedignentur moleſtum colligendæ materiæ laborem ſubire, qua ipſi tamen illi Heroes uti interdum minime detrectant, &, ne videantur opus habuiſſe, maledicunt illorum diligentiæ, qui, ut aliis tanto ampliores theſauros corradant, ipſi famæ periculum ſubire non detrectant.

ALPHABETI EX DIPLOMATIBUS ET CODIcibus Thuricenſibus Specimen, publicatum a JO. JACOBO SCHEUCHZER, Med. Doct. Math. Prof. Academ. Imper. Carolinæ Adjuncto, & Soc. Reg. Angl. & Pruſſicæ Membro, & JOANNE LOCHMANNO, Chalcographo Tigurino.

Tiguri, typis Geſnerianis, 1730, fol.
Plag. 3½, Tabb. æn. 24.

Dudum agnoverunt eruditi utilitatem artis Diplomaticæ, noſtra ætate ad certas regulas redactæ, quibus & falſa de veris monumentis judicia examinari, & de falſis conjecturæ haud inanes capi poſſint. Nobilis ergo Cel. *Scheuchzeri* eſt induſtria, qui characteres & ſigilla rariſſimorum Diplomatum civitatis Tigurinæ cum monogrammatibus ſignisque Notariorum exhibuit, & manu *Jo. Lochmanni* in Tabulis æneis quam elegantiſſime exſcribi curavit. Tab. I & II ſiſtit characteres ex *Ludovici* Germanici Diplomate, quo Abbatiam Thuricenſem A. 853 fundavit. Tab. III & IV eſt *Lotharii* & *Caroli Craſſi.* Tab. V eſt *Ottonis M.* de A. 952. Tab. VI *Henrici S.* Tab. VII *Henrici V.* Tab. VIII *Lotharii III.* Tab. IX *Bertholdis*, Ducis Burgund. & Advocati Thuric. de A. 1177. Tab. X *Friderici II*, Imp. Tab. XI *Henrici VI*, filii ejus, Regis Rom. cum contra-ſigillo, in quo Eques cadaveroſus cum vexillo. Tab. XII *Innocentii IV.* Tab. XIII & XIV *Henrici*, Epiſcopi Conſtant. & *Sixti IV*, Papæ. Tab. XV *Eduardi VI*, Reg. Angl. Tab. XVI habetur initium ex vetuſtiſſimo Codice Bibliorum Latino Bibliothecæ Carolinæ in membrana

brana Regali nitidiſſime ſcripto, quem *Carolus M.* Capitulo Thuricenſi donaſſe dicitur. Conveniunt literæ cum Codice Epiſtolarum *Pauli*, cujus fragmentum dedit *Mabillonius de re Diplom. p. 346* Tab. XVII & XVIII ſunt characteres e Græco Codice Pſalmorum Bibliothecæ Tigurinæ, qui certare poteſt cum pretioſiſſimis ultimæ vetuſtatis reliquiis, quippe *Hieronymi* ævo haud ſane inferior. Uberius eum deſcripſit Vir Rev. *Jo. Bapt. Ottius*, Templi Cathedr. Tigur. Archi-Diac. Eſt autem membrana coccinea, literæ unciales argento ſcriptæ, quod ſolutum forte fuit additione aquæ fortis, cujus acrimonia integras lineas corrupit & exedit. Tab. XIX usque ad XXII habentur Alphabeta Diplomatum *Caroli M.* & *Ludovici Pii.* Quamvis autem Specimen hoc ad uſum artis Diplomaticæ præcipue ſit accommodatum, nec nucleum, ſed corticem, exhibeat, (quæ verba ſunt Cel. *Scheuchzeri*,) multa tamen ibi & in Annotationibus Criticis utiliſſima continentur, quæ Hiſtoriam non parum ſupplent & illuſtrant. Ne quid de Cancellariis Imperatorum dicamus, ignorarunt adhuc Scriptores, & nominatim diligentiſſimus familiæ Carolingicæ ſcrutator, *Jo. Dav. Kælerus*, *Hildegardam*, *Ludovici Germ.* filiam, quam pater fundatæ a ſe Abbatiæ Thuricenſi præfecit: quo loco Cel. *Scheuchzerus* perperam corrigit *Reginonem*, quippe qui ad A. 894 non de filia, ſed nepti, *Ludovici Germ.* ex filio *Ludovico II* loquitur. Nullibi etiam memorata eſt filia Germanici, *Bertha*, altera Abbatiſſa Thuricenſis: neque etiam ſoror *Lotharii* Junioris, *Bertuna*.

NOVA LITERARIA.

Cum hactenus nemo fuerit, qui omnia veterum numiſmata junctim complexus ſit, & tale opus multorum votis jam diu exoptatiſſimum fuerit, atque, poſt alios aliorum labores, multa proferri ex præſtantiſſimis Muſeis poſſint, quæ ad conſummandum & ornandum Theſaurum univerſalem numiſmatum Græcorum & Latinorum facerent; exiſtimavit Vir Cl. *Jo. Jac. Geſſnerus*, civis Helvetius doctiſſimus, in commodis Reipublicæ Literariæ futurum, id laboris ſuſcipere, & omnium uſibus opus accommodare, quo *univerſa res nummaria*, vel *omnia veterum numiſmata*, quæ comparare licuit, ſerie hiſtorica, vel, quoties id fieri non potuit,

Alphabetica, deſcripta, illuſtrata, & in nitidiſſimis Tabulis æneis ſumma fide repræſentata, comprehenderentur, maxime cum ipſi in Helvetia, præter magnum numiſmatum apparatum, ex Bibliothecis Tigurinis, Civica, Canonica, & plurimis privatis, ad manus eſſet haud exiguus numerus rariorum præſtantiſſimorum librorum, de re nummaria editorum, & non editorum, neque in patria, vel apud exteros, defuiſſent Viri claritate & uſu tractatorum numiſmatum celeberrimi, qui conſiliis & opera utiliſſima conatus hoſce foverent & ornarent. Titulum Operi hunc faciet: *Theſaurus univerſalis omnium Numiſmatum veterum, Græcorum & Romanorum, inde a temporibus cuſi numiſmatis uſque ad Imperii Græci per Turcas deſtructionem cuſorum; quotquot ex Numiſmatophylaciis Imperatorum, Regum, Ducum, & illuſtrium Virorum, ac veterum & recentiorum de re nummaria lucubrationibus, comparare licuit, integra ſerie Tabulis æneis repræſentata, deſcripſit, edidit, & illuſtravit* Jo. Jac. Geſſnerus, *Tigurinus*. Qua ratione autem ſingula facta, vel, Deo juvante, facienda ſint, ex ſequentibus legibus, quibus hunc laborem Autor edere inſtituit, Lector intelliget. I) In hoc Opere dabit Autor deſcriptionem & delineationem accuratiſſimam omnium Numiſmatum Græcorum & Latinorum, quæ apud clariſſimos & præſtantiſſimos Numiſmatographos, *Goltzium*, *Patinum*, *Spanhemium*, *Harduinum*, *Occonem* & *Mediobarbum*, *Pedruſium*, & *Bandurium*, in voluminoſis, raris, & pretioſiſſimis Operibus exſtant. Delineationem Tabularum conficient artis Sculptoriæ peritiſſimi artifices, & ſingulæ Tabulæ complectentur XL latera Numiſmatum. II) Omnia Numiſmata, quæ poſt illorum Virorum laudatiſſimos labores deſcripta in nuperrimis Cl. Virorum Operibus prodierunt, vel aliis modis, ex Muſeis, Manuſcriptis, Epiſtolis amicorum, vel delineationibus, dum in Gallia, Belgio & alibi, apud exteros verſaretur Autor, factis, vel deinceps inde ad ipſum tranſmiſſis, innotuerunt Autori vel innoteſcent, priori ſeriei intertexta deſcribet, &, quoties neceſſe, vel ex uſu Lectorum & Spectatorum futurum eſt, delineata adjiciet. III) Ad Numiſmatum Hiſtoriam & intelligentiam ſingulis nummorum claſſibus præmittet Obſervationes ex mente & judicio

Nu-

Numiſmatographorum maximæ autoritatis, nec paucas ex placitis Actorum Academiæ Regiæ Gallicæ Inſcriptionum factas, quibus brevem hiſtoriam perſonarum, vel ſitum locorum, in quibus Numiſmata cuſa ſunt, tradet, dein inſcriptionum, typorum, vel figurarum, in Nummis conſpicuarum, ſenſum, ſcopum & uſum indicabit. Quoties autem ad Nummos deventum eſt, quorum vel eximius uſus in Hiſtoria vel antiquitate, vel quorum raritas vel pretium celebratur, in Annotationibus ex ore, ſcriptis, vel literis Virorum rei Nummariæ peritiſſimorum de ſingulis exponet. Indicabit etiam, ex quibus Autoribus vel Muſeis Numiſmata depromta ſint, & qui Autorum figurarum cauſas accuratius inveſtigaverint, vel Numiſmatum uſum fuſius illuſtrarint, ut, quibus per tempus vacat, quæ carptim dixit vel addidit Autor, cum aliis comparare, &, quoties opus eſt, ex his & aliis fontibus repetere poſſint, quæ quisque ſuo ſcopo accommodatiſſima judicabit. Cum vero æquiſſimum ſit, ut *Heideggerorum*, qui ſumtus in edendo Opere faciunt, propenſa de re Nummaria & Literaria bene merendi voluntas ab aliis juvetur, quorum commodis inſerviunt, neque emtoribus alia ratione copia ſumtuoſiſſimi Operis æquiſſimo pretio fieri poſſit, niſi viciſſim conatus eorum ſubleventur pecunia ab emtoribus ſtatis intervallis ante numerata; neceſſe fuit, hoc Opus ſubſcriptionis lege publicare, quod quidem invitiſſimi fecerunt, quia ſubſcriptionum fides multum decoxit, quod, qui olim ejusmodi Operibus præficiebantur, variis rationibus ducti, ea ſuffl minaverint, alii vero promiſſis non ſteterint. *Heideggeri* vero non ſolum pollicentur, promiſſis abunde ſatisfactum iri, ſed & alteri malo, quod frequens poſterioris cauſa erat, medelam adhibuerunt, & exorarunt in plurimis Europæ locis Viros ſpectatiſſimæ fidei, quibus curæ cordique eſt rem Literariam juvare, ut conſilii ſui rationes aliis ſignificent, & vel ipſi colligant nomina eorum, qui ſeſe ad Operis editionem adſtricturi ſunt, vel id negotii Bibliopolis, vel aliis probis Viris, de quorum pietate & fide certiores ſunt, commendarent. Opus integrum abſolvetur 350 foliis, & 220 Tabulis æneis majoris formæ in folio. Cui, quo tanto magis omnium etiam eorum, qui modica fortuna utuntur, uſibus pateat, pretium

tium viginti Florenorum ſtatuerunt, ita quidem, ut prænumerantibus, ſimul ac nomina dent, ſolvendi ſint 5 Flor. quando accipient *primam Partem*, 5 Flor. dum *ſecundam Partem*, 5 Flor. dum *tertiam Partem* accipient, 5 Flor. ſed *quartam Partem* recipiant absque aliis ſumtibus. Fidem vero faciunt certiſſimam, quamprimum de 350 emtorum nominibus certiores fuerint, Operis impreſſionem inchoaturos, & ſingulis Semeſtribus Partem Operis prænumerantibus tradituros eſſe. Cl. *Geſſnerus* vero omnem lapidem movebit, ut Opus, quam ornatiſſime & citiſſime excuſum, emtorum & literatorum votis & exſpectationi ſatisfaciat. Si ſunt, qui Exemplaria chartæ majori ſcriptoriæ impreſſa deſiderant, iisdem temporis intervallis pretium viginti trium florenorum ſolvent. Terminus Subſcriptionis conſtitutus eſt uſque ad Menſem Octobrem A. 1734. Qui ante illius temporis exitum nomina non profitentur, exemplum charta vulgari impreſſum 25 Fl. quod vero majori chartæ impreſſum eſt, 30 Fl. redimere neceſſe habebunt. Cum vero dubium non ſit, in Europæ gazis multa Numiſmata recondita deliteſcere, ad quorum notitiam omni labore ſuo non penetrare liceat Autori, niſi accedat benevolentia Illuſtrium & Clariſſimorum Virorum, qui tantos tamque inſignes Theſauros poſſident, vel eorum curam gerunt; ante Operis editionem inſtituti ſui rationes & modum publice expoſuit, & ſimul omnes rei antiquariæ peritos, & quotquot Numiſmata rariora poſſident, vel ejusmodi Theſauris præſunt, majorem in modum & per commoda Reipublicæ Literariæ rogavit, ut ipſum & Opus tam inſigne conſiliis & opera ſua juvare non dedignentur, inprimis autem ut de Numiſmatibus, quæ in Theſauris ſuis reperient hactenus incognita vel nondum deſcripta fuiſſe, ipſum moneant, eorumque delineationes vel ectypomata, ex ichtyocolla confecta, ad ipſum, data occaſione, quam primum deferenda curent. Pro tantis beneficiis non ſolum perpetuas gratias habiturus eſt Autor, ſed & præclara tantorum Virorum in hoc Opus merita omnibus modis tueri & illuſtrare laborabit, operamque dabit, ut ſingula hæc ſumma accuratione Operi inſerta non minus gloriæ eorum, quam Operis conſummationi & ornamento, inſerviant. Subſcriptiones Lipſiæ accipient Syngraphasque dabunt B. *Gleditſchii* filius, & B. *Braunii* hæredes, in aliis civitatibus Typographi optimi quique.

Supplementorum ad Nova Acta Eruditorum nuper *Sectiones IV, V, & VI*, prodiere.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Octobris Anno MDCCXXXIV.

CAROLI SIGONII, MUTINENSIS, OPERA omnia, edita & inedita, cum Notis variorum illustrium Virorum, & ejusdem Vita, a Cl. Viro, LUD. ANTONIO MURATORIO, conscripta. PHILIPPUS ARGELATUS, Bononiensis, nunc primum collegit, suasque Animadversiones in aliquot ipsius SIGONII Opuscula adjecit, nec non Indicibus locupletissimis exornavit.

Tomus I, II & III.

Mediolani, in ædibus Palatinis, 1732 & 1733, fol. maj.

Tomi I Pars I Alph. 5 pl. 22.
Tomi I Pars II Alph. 4 pl. 16.
Tomus II Alph. 7 pl. 21.
Tomus III Alph. 5 pl. 17.

Paulo tardius mentionem hic facimus præstantissimi muneris, quo Rempublicam literatam afficit Vir immortaliter de ea meritus, & meriturus, quod optamus, diutissime; quod *secundus Tomus*, nescimus, quo fato, nuper demum ad manus nostras pervenit. Gaudemus ante omnia hoc tanto bono, & vota facimus pro pace tum reliqui orbis Christiani, tum Italiæ; animumque magnum *Argelati* nostri & Sociorum Palatinorum prædicamus, quos neque horribilis armorum strepitus

tus ac tumultus a perpoliendo, & magnis ſuis cum ſumtibus elaborando, hoc Opere atque munere ſuo deterrere potuit. Jam noſtrum erat indicare, quantum præter ipſam collectionis gratiam Operum, ita varie diſperſorum, novæ huic ſingulorum editioni ornamenti atque decoris acceſſerit. Aſt illud neque aptius ad inſtitutum noſtrum, neque elegantius fieri poterat, quam ipſius doctiſſimi Collectoris ſtudio jam factum eſt in Programmatis duobus, quæ nunc in fronte *Tomi I & III* leguntur, & inſerta a nobis his ipſis *Actis* ſunt, alterum quidem *A. 1732 M. Septembri p. 433 ſeq.* alterum vero *A. 1733 M. Majo p. 230 ſeq.* Satis igitur fuerit Lectoribus noſtris, fide etiam noſtra illis confirmari, non vano promiſſorem hiatu fuiſſe nobiliſſimum *Argelatum*; ſed, quæcunque promiſſa & oſtenſa ſunt in utroque Programmate, ea hic præſtita rebus ipſis exhiberi cumulatiſſime; illud præſertim, ut in hiſtoricis Operibus, quæ a *Sigonii* inde ætate ſtudio atque ingeniis clarorum hominum detecta, aut illuſtrata, aut refutata ſunt, ea in Notis ſubjectis indicentur; quo facto & ſuus Autori honos integer ſervatur, & temporis interjecti fructus ad Lectores pervenit. De chartarum typorumque nitore non eſt, quod multa dicamus, cum nemo ſit, quin viderit uno alterove ſpecimine, quam ſplendida, quam emendata ſoleant eſſe, quæ ex Palatina illa officina prodeunt. Sed, ne tam luculenti Operis nimis perfunctoriam injeciſſe mentionem videamur, age, illud inde excerpamus, quod præter cetera ad muneris noſtri rationem, hoc eſt, ad cultum Hiſtoriæ Literariæ, pertinet: e vita *Sigonii*, quæ tota elegans, tota lectu digniſſima eſt, ſumma capita proponamus. Natus eſt vir Seculi ſui & omnium temporum bono natus A. 1524, (quod hic probabili ratione contra alios oſtenditur,) familia apud Mutinenſes plebeja, ſed honeſta eadem, qui *Sigones* vel de *Sigonibus* in antiquis monumentis vocantur. Patrem ejus non tam lanaria ars, honeſta tum Mutinæ, quam concubina, vivæ conjugi inducta, in cujus domo mortuus eſt, infamavit. Contigit ei, ut poſt puerilem inſtitutionem præceptorem haberet *Franciſcum Portum*, Cretenſem illum Græcæ eruditionis eo tempore

Digitized by Google

pore magiſtrum, publico ſtipendio a Mutinenſibus conductum: Philoſophiæ autem doctores *Magnettum Magnettium*, *Antonium Bernardum*, & *Anton. Franc. Fabium*, in Academia Bononienſi, in qua etiam Medicinæ operam dedit, condiſcipulo cariſſimo & contubernali adeo uſus *Hieronymo Oſorio*, qui poſt Epiſcopus Silvenſis inter eruditiſſimos & politiſſimos Scriptores refertur. Simili felicitate in amicitiam pervenit *Gabr. Palæoti*, qui poſt Bononienſi Infula, ipſaque adeo purpura, ornatus magno illi ornamento fuit. Poſtea in Ticinenſi Academia audivit *Andream Camutium*, Philoſophum. Quod autem *Romulum Amaſæum* in præceptoribus *Sigonii* quidam numerant, illud eo incertum videtur Cel. *Muratorio*, quod homo gratiſſimus nusquam illius rei mentionem facit. Ceterum tardiuſculum nactus videbatur ingenium *Sigonius*: verborum certe parcus, audire, quam loqui, fere maluit: quod genus ingenia poſt acre ſtudium uberiores fere fructus ferre conſueverunt. Ad Medicinam deſtinatus a patre Noſter fuerat: ſed ille, ſepoſita ea, in clientelam ſe & familiam *Marini Grimani*, Cardinalis, contulit: & paulo poſt campum nactus eſt animo ſuo obſequendi, in locum Præceptoris paulo ante ſui, *Franciſci Porti*, a civibus ſuis ſuffectus A. 1546; & biennio poſt in familiam etiam adſcitus a *Lucretia*, *Claudii Rangonis*, Comitis, uxore vidua, cujus fratrem, *Galeottum Picum*, Mirandulanum Comitem, & *Fulvium*, filium, optimis literis inſtitueret. Profuit illi etiam amicitia *Ludovici Caſtelvetri*, quem grandiorem natu eo tempore in quotidiana conſuetudine magiſtrum quaſi habuere tum *Sigonius* noſter, tum *Gabr. Falloppius*, magnus ille Medicinæ, Anatomes præſertim, illuſtrator, quem æqualem Noſtri fuiſſe, hic adverſus aliorum ſententiam oſtenditur. Eſt hic ille ipſe *Caſtelvetrus*, (ita enim hoc nomen, a *Caſtello vetere* tractum, ſcribendum eſt,) cujus non ita pridem vitam Cel. *Muratorius* noſter illuſtravit. Hoc tempore æmulatio quædam interceſſit *Sigonio* cum *Anton. Bendinello*, ludi Mutinenſis magiſtro, qui, cum audiſſet, parari aliquid a Noſtro de vita *Scipionis Æmiliani*, occupavit ipſius conſilium, effecitque, ut fruſtra laborem ſuſcepiſſe videretur *Sigonius*,

Digitized by Google

quem tamen poſtea, limatum ſcilicet & ornatum diligentius, in lucem protulit. Sed,ut, agrum ſibi ſterilem non eſſe, oſtenderet, *Faſtos Conſulares* ac *Triumphos Romanorum* illuſtrare aggreſſus, primam ejus Operis editionem protulit A. 1550 Mutinæ, & auctiorem A. 1556 Venetiis, recuſam deinde Baſileæ A. 1559, & ſæpius. Aucta hinc fama *Sigonius* A. 1552 Venetias evocatus eſt, & ſucceſſor datus in ſchola humaniorum literarum *Fr. Robortello*, ante quem *Regius*, *Sabellicus*, *Egnatius*, in ea ſchola docuerant. Quam placuerit Venetis, inde colligas, quod altero ſtatim anno ſtipendium CLX Ducatorum ad CCXX illi auctum eſt. Hic ſeptem illi Orationes natæ ſunt, quibus ſingulis annis ſcholas eloquentiæ auſpicari ſolebat. Hic evulgavit etiam *de nominibus Romanorum libellum* A. 1553; deinde A. 1555 *Scholia in Livium*, ſæpe recuſa. Hic poſterior liber anſam dedit controverſiis, quas moleſtiſſimas habuit cum *Fr. Robortello*, viro docto ſane, ſed invidiæ ſtimulis nimium quantum agitato, qui ferre non poſſet, ſucceſſorem ſuum, juvenem hominem, ſibi veterano non tantum linguæ & eloquentiæ Latinæ, ſed etiam maturi judicii, gloria vulgo præferri. Hujus arrogantiam & contumelias ut retunderet, edidit *Sigonius* A. 1557 *duos Emendationum Libros*, in quibus ſimul ſua in *Livium* Scholia adverſus *H. Glareanum* tutatus eſt. Compoſitæ videbantur lites cum *Robortello*, cum *Hieronymus* ipſe *Seripandus*, Cardinalis, coram forte utrumque nactus Bononiæ, ipſos in gratiam reduxiſſet: ſed mox tanto acrius, *Robortelli*, ut hic confirmatur, culpa, recruduerunt. Inter hæc edidit *Sigonius Fragmenta Ciceronis* A. 1559; & anno proximo libros *de antiquo jure civium Romanorum*, *de antiquo jure Italiæ*, & *de antiquo jure Provinciarum*, quos claſſicos pæne in ſuo genere haberi conſtat. Hoc ipſo A. 1560 iterum *Robortello*, ad Bononienſe Gymnaſium duobus ante annis translato, ſucceſſit Noſter in cathedra Rhetorica Patavii; in quam urbem cum rediiſſet A. 1561 *Robortellus*, ad docendam præter humaniores literas Philoſophiam morum, novæ æmulationis atque diſcordiarum faces animis ſubditæ ſunt. *Robortellus* præſertim eo progreſſus eſt, ut etiam nata-

Digitized by Google

natalium obſcuritatem & corporis defectus, & ſi quid in toto vitæ actu reprehendendum inveniſſe ſibi videretur, æmulo objiceret. *Sigonius* etiam triginta dies in prodenda *Robortelli* ignorantia exſpatiatus eſt, ſingulis triduis aliquot ejus errorum confutatione typis tradita: edideitque eodem A. 1562 *Libros duos Diſputationum.* Facit hic Cel. *Muratorius* pro ea virtute, cujus ipſe non autor modo aliis, ſed exemplum eſt, cum poſt ea, quæ pro excuſanda etiam acerbitate dici poſſunt, tandem ſubjicit: *Nihilo tamen ſecius majorem laudem, quantum quidem mihi videtur,* Sigonius *tuliſſet, ſi, uti virum Philoſophum, eoque magis Chriſtianum, decet, mitius ac moderatius in hoſtem, quamvis improbum, invectus fuiſſet.* Non quieverunt lites, niſi cum *Robortelli* morte, quæ incidit in XV Cal. April. A. 1567. Jam quatuor annis ante *Sigonius*, (credit *Muratorius*, quod ipſum & æmulum ipſius eadem mœnia non caperent,) abdicato munere Patavienſi, Bononiam conceſſerat, ubi duplo ſtipendio ejus, quod Patavii habuerat auctus, & civitate donatus, eloquentiam per reliquum vitæ tempus ſumma tranquillitate docuit: vulgavitque ſtatim A. 1564 libros *de Republica Athenienſium*, item *de Athenienſium Lacedæmoniorumque temporibus*; Anno autem 1665 *Ariſtotelis Rhetoricorum Libros*, Latio a ſe donatos. Diſceſſerat in libris ſuis de antiquo jure civium Romanorum a quibusdam ſententiis *Nic Gruchii*, qui paulo ante Commentarium de comitiis Romanorum ediderat. Hinc certamen ortum novum, ſed in quo nihil modeſtiæ & urbanitatis deſideratum eſt, ut intelligi poſſet, non ſua natura aſperum eſſe & rixoſum *Sigonium*, ſed, ſi quid in *Robortello* peccaverit, ipſius Adverſarii quaſi contagione infectum feciſſe. Prodiit A. 1565 *Gruchii* Reſponſio ad binas *Sigonii* Reprehenſiones: cui ſtatim hic repoſuit Diſputationes duas, *de binis comitiis*, & *lege curiata.* A. 1567. Refutatione ad poſteriorem *Sigonii* Diſputationem edita, finem certamini impoſuit *Gruchius.* Noſter vero A. 1574 *de Judiciis* libros tres edidit, præſtantiſſimos illos quidem, ſed in quibus, non credibile eſt, illum tantam temporibus intercapedinem poſuiſſe. Nimirum ea tempeſtate animum applicuerat ad Hiſtoriam Italicam a declinatione inde

imperii contexendam: eamque ob caufam tabularia omnia perluftravit, Diplomata & monumenta, quorumcunque vel privatorum, vel publicorum fieri copia illi potuit, aut infpexit, aut per amicos confuluit. Hinc natæ illi *Hiftoriæ de Regno Italiæ*, quas eodem A. 1574 primum Venetiis vulgavit, res ab A. 565 ad 1199 complexus. Plaufibus, quos dignos nactum eft hoc Opus, excitatus, A. 1577 fubfequi juffit alterum, ab A. 284 ad initia Regni Longobardici & fuperioris Operis perductum, *de Occidentali Imperio.* Sed etiam a fine continuavit Italiæ Hiftoriam, eamque ad annum produxit 1286, quæ quidem continuatio poft mortem denique Autoris ab *Alex. Caprara* in lucem prolata eft. Merito hic reprehenditur eorum negligentia, qui, cum prelo commendarent has de Regno Italiæ Hiftorias, omiferunt *Catalogum Hiftoriarum & Archivorum*, quibus ufus fuerat *Sigonius*, editum Bononiæ A. 1576, quo tanto magis opus erat, cum ipfa monumenta, varie expilata ac diffipata, quo tandem pervenerint, non conftet, quod ipfo fe ufu edoctum profitetur Cel. *Muratorius*, quo nemo unquam diligentius, felicius, monumenta rerum Italicarum conquifivit. *Sigonius* autem, ut *Bononienfes* fui aliquod ex fe ornamentum haberent, ejus *urbis ac Reipublicæ Hiftoriam* fcribendam fufcepit: cumque primus conatus, antequam exiret, non probaretur civibus (quæ illius rei caufæ fuerint, difcere volentes ablegat *Muratorius* ad *Vincentii Borghinii* Differtationem, *An Florentiæ Attilas excidium attulerit? p. 256,*) diftulit opus, & aliquanto poft elimatius edidit, cui fuccenturiavit *Libros V de Epifcopis Bononienfibus*, qui A. 1586 primam lucem viderunt, Autore jam fatis functo. Ceterum eam fibi in hoc etiam genere famam paraverat *Sigonius*, ut A. 1578 a *Gregorio XIII*, Pontifice Maximo, invitaretur ad Hiftoriam Ecclefiafticam univerfam illuftrandam, quod negotium *Onuphrio* quoque *Panuinio* ante commiffum, *Baronio* Cardinali refervatum, videbatur. Prælufit magno Operi *Sigonius*, publicatis A. 1581 in *Sulpicii Severi Ecclefiafticam Hiftoriam Commentariis*, & *Libris VII de Republica Hebræorum.* De Operis ipfius reliquiis jam di-

ctum

ctum eſt in Programmate, quod *Tomo tertio* præmiſſum, & *Actis* his inſertum eſt. Brixianis ea tempeſtate ſe obtulerat *Sigonius* ad Hiſtoriam illius Reipublicæ literis tradendam, ſed illi elabi eam ſuæ gloriæ occaſionem paſſi ſunt. Ceterum *Sigonius* Bononiæ tum *Palæoti*, Cardinalis, tum aliorum, qui ingenio vel literis eminebant, familiaritatibus atque amicitiis uſus eſt, & bona pars, ſi non autor, fuit Societatis illius *Bononienſis*, quam *Academiam* deinde dixerunt: de cujus origine inſignem locum & bene longum ex *Friderici Borromai*, Cardinalis, *Lib. I Cap. 1 de fugienda oſtentatione* profert Cel. *Muratorius*. Quæ ſub finem vitæ *de Conſolatione Ciceronis* illi nata eſt controverſia, ea notior eſt, quam ut repeti hic debeat. Duo nos docet *Muratorius*, quæ ad refutandas quorundam hac de re narrationes pertinent. Primo falſum eſſe, quod ajunt, ipſum ſub finem vitæ confeſſum apud amicos, ſe Autorem libelli: quippe conſtanter hoc negaſſe *Sigonium* apud *Antonium Gigantum*, amicum intimum; neque quidquam inter ipſius chartas inventum, unde probabilis alioquin ſuſpicio, ab ingenio, ſtudiis, & facultate viri ducta, confirmari poſſet. Deinde commentitium eſſe, & forte in *Jo. Imperialis* demum cerebro ac *Muſeo Hiſtorico* natum A. 1640, *Sigonium* præ mœrore extinctum interceptæ ſibi, quam ſperaſſet ex hoc libro, gloriæ, ſi fucum facere naſutioribus potuiſſet. Satis gloriæ partum erat *Sigonio*, ſi Autor fuit Opuſculi, cum dignum *Cicerone* fœtum, expreſſam certe *Tulliana* orationis imitationem, plerique omnes agnoſcerent. Et, quam non victum ſe putarit, illud declarat, quod *Oratio tertia contra Riccobonum*, ultimum Operum ipſius mortalium, ipſo volente poſt mortem ipſius edita eſt. Modeſtius in hac etiam lite *Sigonium* ſe geſſiſſe *Riccobono* Adverſario, non doctiſſimus modo vitæ illius Scriptor Ipſe judicat, ſed aliorum etiam ſententiis confirmat. Mortuus eſt *Sigonius* in patria ſua, & villa, in quam ſecedere per æſtatem valetudinis & amicorum cauſa ſolebat, A. 1584, quem annum ex publicis Mutinenſium Annalibus probat Cel. *Muratorius*, funeris quidem ampliſſimi honorem illi tribuente patria, ſed monumento omni publico caruit. Quo magis

magis laudandus *Alphonsus Saxius*, Aquarii Comes, ac Patricius Mutinensis, qui anno demum 1600 imaginem *Sigonii*, (qua etiam *primus Tomus* Operum illius in fronte exornatus est,) inter depictas effigies aliquot illustrium Cardinalium in Sacello gentis suæ dedicavit, testatus inscriptione, *eandem promeritum dignitatem, si quam præclare de sacris bonisque literis meritus fuerit, inspiciatur.* Fuit *Sigonio* vultus liberalis, lata rugosaque frons, gravis adspectus, statura mediocris. Desiderabatur in eo clara jucundaque vox, & expeditum linguæ obsequium, unde blæsum illum vocat *Robortellus.* Meditabundus incedebat, in colloquiis tamen amicorum facilis & venustus. Lenes illi honestique mores amicitias facile conciliabant, quas ille virtute sua & constantia tuebatur. Conjugium suadentibus respondebat, *ne Diis quidem Deabusque simul nitentibus contigisse, ut Venerem Palladi conciliarent.* Scripta Viri nobiliora jam commemoravimus. Omnium, etiam minorum, Catalogum texit Cel. *Muratorius*, quem hic repetere tanto minus opus est, quod inseruntur his *Actis* singulorum Tomorum Programmata, titulos & argumentum complexa. Historiam *de Regno Orientali* per errorem commemorat *Anton. Riccobonus. Scholia in Ciceronis Orationes*, & *Commentaria in ejusdem Orationes de re agraria*, quæ circumferuntur sub nomine *Bernardini Lauredani*, itemque *Commentaria in Ciceronis Epistolas familiares*, quæ *Hier. Ragazzonii* nomen adscriptum habent, quæque ab aliis ad *Manutium* Autorem referuntur, hæc, inquam, omnia ex recitationibus forte *Sigonianis* excepta sunt. Atque hæc quidem, incerta fide tradita, neque damnat Cel. *Muratorius*, neque probat. Falso autem tributa *Sigonio* arbitratur ista: *de titulis Regis Hispaniæ* Librum, sub *Jac. Mainoldi* nomine editum, & Opus *de Senatu*, quod præscriptum habet nomen *Jo. Zamoscii*. Operibus *Sigonii* A. 1604 Francofurti editis adjectum est illius *judicium de Romanæ Historiæ Scriptoribus*, quod, si est *Sigonii*, certe non eo consilio ab eo scriptum apparet, ut sic ederetur; quod etiam aliis ejus posthumis libris contigit. Superesse illud unum videtur, ut, quoniam *Tomi*

secun-

Digitized by Google

secundi Programma non ita, ut reliquorum, his *Actis*, ob eam causam, quam initio indicavimus, potuit inseri, illud hic quasi revocemus:

Viris Eruditis Philippus Argelatus, *S. C. C. M. Caroli VI Rom. Imp. Semper Augusti a Secretis S. P. D.*

Novam Caroli Sigonii *Editionem instauraturus, jam ante scripseram, quæ ad ornamentum celebratissimi Scriptoris designabam, quæque sint opera mea veteribus editionibus accessura, & Elenchum Tomo primo præposui, ut omnes meditamenta nostra præcognoscerent. Absolutus ad hunc usque diem Tomus alter in lucem prodit, qui continet Libros XX de regno Italiæ, Sereniss. Principi* Eugenio a Sabaudia *dicatos. Atque hoc etiam pacto me de* Sigonii *manibus, atque universo Italico nomine, bene meruisse puto, cum patronum eum acclamaverim, qui Augustissimi Imperatoris Vicario munere fungitur in Italia nostra, eamque suis victoriis ornavit, ac præsentia sua aliquando hilarem fecit atque beatam. Quod ad literariam operam spectat, quam in illustrandis* Sigonianis *Libris adhibuit Vir Cl.* Josephus Antonius Saxius, *Ambrosianæ Bibliothecæ Præfectus, paucis referam: sat mihi namque fuerit hominem nominasse, Literariæ Reipublicæ ex editis libris notissimum, ut tuam, Lector humanissime, probationem & commendationem inveniam. Libros namque* Sigonianos *perpoliendos tradidi Viro, ob longam Historiarum lectionem, in omni antiquitate versatissimo, copia Diplomatum, aliorumque veterum monumentorum, optime instructo. Plura namque de celebratissimo Archivo Monasterii S. Ambrosii ad illustrandam* Sigonianam *Historiam contulit, quæ communia sibi diligentissimus Autor peroptasset. Hinc erit, ut editio nostra in pretio sit omnibus futura, & Italica Historia meliorem lucem nancisci facile possit, quod præ ceteris optabam. Sed, ut distinctius intelligas, quale fuerit Cl.* Saxii *studium, accipe, quæ ipse præfatur. Hæc tantum addere liceat; ex collatis posterioribus quinque* Sigonii *Libris, qui pluribus aliis in editionibus desiderabantur, non incuriosa quædam, hac nostra, emer-*

gere, quæ literatis viris cognoſcere gratiſſimum ſit, meque plurimum curaſſe, ut Index rerum & verborum ampliſſimus accederet, expreſſis oppidis omnibus, caſtris, viris, villis, urbibus, montibus, & fluminibus, a Sigonio, *ſive a* Saxio, *memoratis; atque, ne ſynonymorum copia Lectorem deciperet, maxime novum, cujuscunque ſitum, & regionis locum, diverſa characterum forma indicavimus, Geographicorum Lexicorum more acceptiſſimo. Perſonarum vero nominibus vel gentis originem, vel officium, vel patriam, adjunximus, ut unam ab altera diſtingueremus. Et, quæ ab Autore & Annotatore, utpote eruditiſſimis, ſuperflua pro eruditis Lectoribus judicata ſunt, ego in Indice, rei Hiſtoricæ minus inſtructis morem gerens, breviori tamen, ut fieri potuit, ſtilo, tanquam ſpecificationes addidi. Sed inſuper Chronologicus alter, typis unis, jam ante, atque etiam ſeorſim, vulgatus, ut ad meliorem formam perficeretur, curavi; qui præſidio ſit memoriæ commodiſſimo, & ſupra veterem editionem copioſior Capitum, rerum autem indicatarum contractior, ne inutiliter in præcitato enuntiata, omnia repeterentur, ſed maxima diligentia nitidiſſime expurgata qualibet ſerie, additis e conſpectu correctionibus, locosque Autoris numero paginarum denotatos appellans. Quorum novorum diligentiſſimi laboris & maximi tædii Operum intentio, atque abbreviaturarum explicatio, breviſſima ad eosdem Indices Præfatione explicabitur. His itaque, Lector humaniſſime, in tui gratiam paratis, utere feliciter, ſtudiorum tuorum incremento. Vale!*

Digna erat Cl. *Saxii* Præfatio, ad quam provocat *Argelatus*, quæ tota & ipſa insereretur, adeo plena eſt bonarum rerum, & bonam partem adhuc incognitarum, ſed, cum aliquot illa plagulas occupet, ſuademus potius, ut aliquis ſeparatim eam typis vulgandam curet, quo illi etiam frui poſſint, quos rationes ſuæ a toto Opere prohibent; hic modo pauca delibabimus. Expoſita difficultate Operis a *Sigonio* ſuſcepti, & laudibus, quas in eo perficiendo promeritus eſt, non diffitetur, *indefeſſa accuratiſſimi Scriptoris diligentia nondum effectum eſſe,*

eſſe, ut, deterſa prorſus obſcuriorum ætatum fuligine, integer defæcatusque hiſtoricæ veritatis ſplendor elucere. Plura enim, inquit, *primævis obſita tenebris adhuc in incerto latent: plura e lutulentis fontibus hauſta ſpongiam lituramque merentur; nec raro peccatum eſt in annorum ſerie hiſtorica digerenda, aut in ipſa rerum per ſuperiora tempora geſtarum narratione, locis perſonisque mendoſe indicatis*. His mederi cum vellet Cel. Autor, & iis etiam, quæ a *Baronio, Peregrinio, Mabillonio, Pagio, Bachinio*, aliisque, peccata hic ſunt, (quorum omnium non minus, quam *Sigonii* ſui, laudibus ſe favere, candidiſſime ſignificat,) Hiſtoriam univerſam Langobardicam, mirifice nonnunquam ab uno illius Scriptore, *Paulo Diacono*, turbatam, revolvere aggreſſus eſt, ſtuduitque, ut collatis veterum teſtimoniis, atque attente perlectis chartis publicis privatisque, Langobardicam Italici regni ſeriem contexeret, ſi minus labis omnis expertem, certe veritati magis conſonam. Deinde ſpecimina ſubjungit ſuarum emendationum. V. g. *Paulus* ipſe *Diaconus IV, 50 ſeq. Rotharis* uſque ad *Grimoaldum* ſucceſſoribus plures regiminis annos aſſignat, quam utriusque Legum Edicta patiuntur. Erroris fontem feliciter detexit Cl. *Saxius* in *Rodoaldi* Hiſtoria, qui non *annis quinque & ſeptem diebus* regnaſſe debet, ut nunc habent libri, ſed, ut ſcribere voluit *Paulus, menſibus quinque & ſeptem diebus*. *Adaloaldum, Agilulfi* Regis filium, non A. 603, ſed triennio ante, natum contendit: vulgatam ſententiam, Epiſtola *Gregorii M.* ad *Theudolindam* matrem nixam, ita elidit, ut literas Pontificis ſerius datas dicat; quam rem conjecturis quibusdam facit probabilem. *Deſiderium*, Langobardorum Regem poſtremum, anno, non 756, quod adhuc ab omnibus ſcriptum eſt, ſed proximo demum, ſeu 757, ad imperium perveniſſe, ex charta illius ætatis demonſtrat. In Exarchorum ſerie & hiſtoria tum eruditis *Bened. Bachinii* laboribus, libro *Agnelli* Pontificali impenſis, uſus eſt, tum ipſe primus *Anaſtaſii* teſtimoniis oſtendit, *Eutychium*, qui ſemel modo adhuc in Exarchis relatus eſt, bis eam dignitatem obtinuiſſe. In Gallicis Germani-

cisque Regibus frequenter claudicavit *Sigonius*, destitutus tum aliis monumentis, tum præcipue *Carolini* Codicis Epistolis, quæ Cel. *Saxio* præsto fuere. In hoc igitur intervallo v. g. primus ex veteri charta docet, jam A. 773 Regem Langobardorum acclamatum *Carolum*. *Bernardus*, *Caroli M.* nepos, non A. 813, sed 812, Italiæ regnum cœpit, neque A. 718, sed 717, ob conjurationem excœcatus periit. In qua terrarum parte obiisset *Ludovicus II*, Imperator, silent fere Scriptores. *Arcanum hoc*, inquit ipse Cel. Autor, *in Annotationibus ad A. 875 evolvi. Sed hujus beneficii laus tribuenda est doctissimo Viro*, Jo. Burchardo Menckenio, *nuper magna literarum jactura defuncto, qui in nova rerum Germanicarum Collectione* Andreæ, *Presbyteri*, *Chronicon evulgavit. Scriptor autem iste postrema* Ludovici, *Imperatoris*, *acta & mortem recenset, seque funeri interfuisse testatur, cum post aliquot ab ejus obitu dies ejusdem cadaver e Brixiæ sepulchro refossum, atque in feretro collocatum, solenni instituta supplicatione Mediolanum deportaretur*. *Carolus Crassus* Italicum Regnum non iniit A. 880 demum, quod *Sigonii* ætate credebatur, sed, quod nunc ex *Bertinianis* Annalibus constat, jam 879: nunc docuit Cel. *Saxius* ex charta antiqua, factum id esse, ejus anni mense Octobri. *Arnulphum*, Germaniæ Regem, in Italiæ Regibus non connumerat *Sigonius*, resque ab illo gestas in *Berengarii* modo gratiam putat: alia omnia docet Cel. Autor, &, sibi quæsivisse regnum in tertium minimum annum productum, (jure, injuria? non disputat,) ostendit. Simili industria versatus est in his, quæ ex *Byzantinis* Historicis ad Græcorum Imperatorum res illustrandas post *Sigonium* proferri potuere: itemque in annis & actis Romanorum Pontificum, ubi *Pagium* præsertim secutus est. Ad Mediolanensium vero Præsulum seriem & res gestas multa post *Papebrochium* ipse Cel. Autor ex chartis vetustis, incognita ante hunc diem, attulit. Inprimis hac in parte conspicua est ipsius industria. Inter alia liberat Mediolanensem Ecclesiam ab impacto illi schismate, quo per ducentos annos a Romani Pontificis autoritate discef-

discesserit: sed contra ea falsam gloriam illi non vult tribui, cum prodidit *Sigonius*, a *Gregorio M.* donatos esse Mediolanenses Archi-Episcopos jure creandi Reges Italiæ, idque a *Carolo M.* sancitum esse, quod ipse posterique Reges ferream coronam Madoetiæ ab iisdem acciperent. In Aquilejensibus & Gradensibus Patriarchis multa emendavit, multa resarcienda & expolienda superesse, fatetur. In Ravennatis Ecclesiæ Archi-Episcopis *Bachinii* operam, circa *Agnelli* Pontificale versatam, sibi profuisse multum prædicat. Illud minime hic prætereundum est, bis editum *Sigonii* Opus ipso superstite: primo Venetiis A. 1574: deinde auctius multo atque emendatius Bononiæ A. 1580. Priorem repræsentarunt externi typographi, qui aliquoties recuderant: posteriorem exhibet Cel. *Saxius*, ita tamen, ut non refugerit molestum laborem comparandæ etiam prioris Editionis, &, quæcunque mutata sunt a *Sigonio*, in extremo margine indicandi, adjectis etiam rationibus, cur mutatum quodque videatur a *Sigonio*. Illud autem longe maximum præstitit Historiarum studiosis beneficium, quod Autores, quos secutus est *Sigonius*, certe quorum fide firmari possunt ipsius dicta, diligentissime annotavit: quo vel solo nomine, quantum Viro Cel. debeat nostra & posterorum ætas, apparet. In fine Præfationis laudat *Laurentium de Georgiis*, Tabulario Mediolanensi Præfectum, cujus beneficio chartæ omnes ipsi patuerunt numero & pretio antiquitatis insignes, ex quibus Italicorum Regum & præsulum Mediolanensium historia juvari potuit. Hæc fere ad XV priores Historiæ Italiæ libros pertinent, *Sigonio* vivo iterum, quod diximus, editos. Accessere posthumi V, quorum Historiam peculiari Præfatione exponit Cl. *Saxius*. Asservatur avtographum in Bibliotheca *Ambrosiana*, cui Noster cum laude summa præest. Cum Venetiis imprimendum esset Opus, venia ejus rei impetrari non potuit, donec quædam immutarentur, quæ illius Reipublicæ gloriæ detrahere viderentur: quæ illa fuerint, hic ex avtographo cum fide indicatur: ita, ut post tantam temporis intercapedinem nunc demum, qualis de manu sui Autoris exiit, ea pars Historiæ exstet. Nova impedimenta objecerat

jecerat Operi Inquisitor Provinciæ, sed, etiam illa quomodo superata sint, hic ex Epistolis enarratur. Ceterum eadem diligentia etiam hic versatus est Cel. *Saxius*, cujus hoc unum specimen proferamus. Scriptum est in ipso avtographo, *Fridericum II*, Imperatorem, promisisse *Honorii III*, Pontificis Maximi, Legatis, se *centum milites* in Oriente suo stipendio per duos annos habiturum. Illud festinantis *Sigonii* erratum ex alio ipsius loco emendatur, ubi *mille militum* fit mentio. In ipso autem Orationis *Sigonianæ* contextu nihil mutavit idoneis de caussis Cel. *Saxius*. Coronidis loco adjecit Epistolam Clarissimi & Doctissimi Equitis Marchionis, *Joseph Malaspina*. Abbatis S. Martiani, & a Consiliis Augustissimi Cæsaris, quibus tuetur, falsum prorsus esse *Alerami*, (Montisferratensium Marchionum conditoris,) conjugium cum aliqua *Ottonum*, Cæsarum, filia, illumque Marchionis Montisferrati dignitate jam fuisse insignitum, antequam *Otto I* Italiæ Regnum iniret.

JACOBI GRETSERI, SOCIETATIS JEsu Theologi, Opera omnia, antehac ab ipsomet Autoro accurate recognita, Opusculis multis, Notis, & Paralipomenis, pluribus locis in hac Editione insertis, aucta & illustrata, nunc selecto ordine ad certos titulos revocata.

Tomus I & II.

Ratisbonæ, sumtibus Joannis Conradi Peez & Felicis Bader, Sociorum, 1734, fol.

Tomus I Alph. 6 pl. 10. Tomus II Alph. 6.

Cum nemini inter paulo humaniores *Jacobi Gretseri* nomen ignotum esse potest, cum ejus Opera a Pontificiis tanti semper æstimata sunt, ut, quos cum ipso conferant, paucos se habere, profiteantur. Itaque edi denuo universa Viri doctissimi Opera voluerunt, & in XVII Tomos digesta, qui in

in limine nominati fuerunt, Bibliopolæ nobiliſſimi. Nos de duobus Tomis primis, qui ad nos adhuc pervenerunt, pro inſtituti noſtri ratione dicemus. Primo Tomo præmiſſa eſt Commentatio de vita, virtute & doctrina *Jacobi Gretſeri*, ex qua cognoſcimus, natum illum fuiſſe A. 1562 Marckdorfii in Suevia, &, tyrocinio in Societate Jeſu depoſito, abſolutoque Theologiæ curriculo, Philoſophiam Ingolſtadii primum, deinde Theologiam, docuiſſe, mortuumque tandem A. 1625 eſſe. Maximam vero partem hujus Commentationis conficiunt virorum variorum de *Jacobi Gretſeri* eruditione judicia, in quorum prænominibus ſæpius dormitarunt Autores, e. g. Cel. *Jœcherum* noſtratem tantummodo appellant *Chriſtianum*, cujus prænomen eſt *Chriſtiani Gottlibii*, & *Baylium*, incertum, quo autore, vocant *Magnum*.

Ipſe *Tomus I* ea complectitur, quæ *Gretſerus de ſancta cruce* libris ſeptem conſcripſit. In quorum *primo*, explicatis Pag. 1-177. generibus crucis, Autor inquirit, quæ qualisve illa crux Dominica fuerit, quam tactu, ſanguine, ac morte ſua, Salvator conſecravit, quænam illam crucem vel comitata, vel ſubſecuta, vel antegreſſa fuerint: quonam cultu ſit colenda, & quo in pretio ſemper tam ipſa, quam ejus reliquiæ, a Pontificiis ſint habitæ; quibus explicatis, miracula, per crucem Domini facta, recenſet, & de reliquis paſſionis Dominicæ inſtrumentis diſſerit. *Libro ſecundo* de imaginibus crucis, quæ ſignum crucis 178-315. permanens, non tranſiens, appellantur, ſive ſculptis, ſive fuſis, ſive pictis, ſive alia ratione factis agitur, ac primo earum antiquitas, deinde frequens apud Chriſtianos uſus, variis argumentis & exemplis docetur, ac denique pro more miracula quædam adjiciuntur, quibus Deus teſtatus ſit, uſum & cultum talium imaginum ſibi gratum & acceptum, hominibusque utilem & ſalutarem eſſe. *Liber tertius* varias diverſasque cru- 316-337. cis apparitiones, variis hominibus factas, ex Hiſtoriarum monumentis repetit, & ſiſtit. *Libro quarto* agit Autor de ſigno 338-437. crucis tranſeunte, hoc eſt, de illo, quod, ſimul atque formatum eſt, definit eſſe, forma quidem & ſpecie, non fructu & utilitate. Hinc exponit, quomodo ſignum hoc ſit effingendum, & quæ myſteria & commoda contineat, quando ſignum

hoc a Chriſtianis uſurpari cœptum ſit, & quam frequens ejus uſus fuerit inter Chriſtianos, quosnam effectus, & unde illos,
Pag.438 ſeq. habeat. *Liber quintus* eſt de cruce ſpirituali, ubi diſquirit Autor, quid & quotuplex ſit, a quibus, quomodo, & quo fructu, ferenda, vocatis in ſubſidium non ſolum Scripturæ Sacræ,
1-43. verum etiam Patrum, teſtimoniis. *Tomo* huic *primo* præter Indicem acceſſit mantiſſa, in qua habetur Diſſertatio *de vino myrrhato & vaſis murrhinis*, ubi oſtenditur, potum illum Chriſto ante crucifixionem oblatum, nec ſuavem, nec dulcem fuiſſe, nec myrrhatum dictum eſſe a vaſis myrrhinis, quæ, licet ex lapide pretioſo affirmentur fuiſſe, non tamen vel porcellanæ, vel ex myrice, vel fictilia, vel ex concretis murrhæ lachry-
44-100. mis, fuiſſe aſſeruntur. Porro in hac mantiſſa exhibetur *Apologia pro cruce, in qua Chriſtus paſſus, pro imagine & pro ſigno crucis, contra Franciſcum Junium*, qui ea, quæ *Bellarminus* de hac ipſa cruce ſcripſerat, aggreſſus, variis argumentis la-
101 ſeq. befactaverat. Clauditur hæc mantiſſa *Syntagmate de Inſignibus Imperii*, in quo quidem, paucis de Sacri Imperii ſacris Cimeliis & Lipſanis præmiſſis, feſtum lanceæ inprimis & clavorum aſſerit Autor ab *Innocentio VI*, Pontifice, rogatu *Caroli VI*, Imperatoris, inſtitutum, & a *Martino VI*, Pontifice, translatione Inſignium Imperialium ex Bohemia Norimbergam facta, novis indulgentiis confirmatum eſſe. Unde inquirit, quænam lancea aſſervetur, vel aſſervata fuerit inter Imperii ſacra Lipſana, quomodo & quando ſacra lancea poſt cœleſte indicium reperta ſit; ac de lancea Dominica ex divina revelatione Antiochiæ reperta, de feſto inventæ lanceæ, de miris lanceæ repertæ effectibus ceteris, diſſerit.

Tomus II varia Græcorum Autorum encomiaſtica monumenta Græco-Latina de ſacra cruce exhibet, quæ ex variis Biblio-
1-44. thecis eruit olim, & in lucem edidit, *Gretſerus*. Primo igitur loco ſiſtitur *Alexander*, Monachus, *de venerandæ ac vivificæ crucis inventione* Græce & Latine, quem excipiunt ea, quæ
44-46. de inventione ſanctæ crucis in *Chronico Georgii Hamartoli* leguntur, & quæ de eadem re habet *Ambroſius* in Oratione de
48. obitu *Theodoſii*, Imperatoris. Accedunt *S. Paulini* Epiſtola ad

Digitized by Google

ad *Severum*, fratrem unanimum, de inventione crucis, & teſtimonia ex *Sulpicii Severi*, *Ruffini*, *Theodoreti*, *Socratis*, *Sozomeni*, *Nicephori*, ſcriptis, & ex Epiſtola *Leonis*, Imperatoris, ad *Umarum*, Saracenorum Regem, repetita, una cum *Petri Damiani* Sermone de inventione ſacræ crucis. De exaltatione crucis proferuntur quædam ex Menologio, quod habetur in Typico Sabæ, & *Curopalata*, *Sophronii*, Patriarchæ Conſtantinopolitani, Oratio de exaltatione venerandæ crucis, & de ſancta reſurrectione, *Andreæ*, Archi-Epiſcopi Cretenſis, Orationes duæ de exaltatione venerandæ crucis, *Joſephi*, Archi-Epiſcopi Theſſalonicenſis, Oratio, *Theophanis Cerumei*, Archi-Epiſcopi Tauromeniæ in Sicilia, Orationes duæ, *Leonis*, Imperatoris, *Pantaleonis*, Presbyteri Monaſterii Byzantinorum, *Germani*, Patriarchæ Conſtantinopolitani, *Philothei*, itidem Patriarchæ Conſtantinopolitani, *Macarii*, Archi-Epiſcopi Philadelphienſis, *Calliſti*, Patriarchæ Conſtantinopolitani, *Joannis Calleca*, Patriarchæ Conſtantinopolitani, & *Chryſoſtomi* duæ Orationes, quæ uti omnes de exaltatione crucis differunt, ſic ſingulæ Annotationibus quibusdam, licet breviſſimis, illuſtratæ ſunt a *Gretſero*. Pro adoratione crucis media quadrageſima, ex Typico S. Sabæ, ex *Triodio* Græcorum, ex *Curopalata*, ex *Chryſoſtomo*, ex *Sophronio*, Patriarcha Conſtantinopolitano, ex *Theodoro Studite*, ex *Germano*, Patriarcha Conſtantinopolitano, ex *Joanne Xiphilino*, ex *Philotheo*, & ex *Theophylacto*, Bulgariæ Archi-Epiſcopo, loci a *Gretſero* Notis illuſtrati exhibentur. De feſto vero ſacræ crucis Calendis Auguſti ex typico S. Sabæ & ex *Timotheo*, Presbytero Antiocheno, & de paraſceve ex Libro Antiphon. *Gregorii Magni*, ex *Athanaſio*, ex *Chryſoſtomo*, ex *Leontio*, Presbytero, agitur, quorum vel Orationes, vel teſtimonia, ubique Annotationibus explicantur. His accedunt alia ad crucem pertinentia, ut homiliæ, *Ephraem*, *Chryſoſtomi*, *Severiani*, Epiſcopi Gabalorum, *Georgii Mytilenæi*, duo fragmenta *Methodii*, &c. quibus annectuntur ea, quæ de ſigno crucis, quod *Conſtantino M.* apparuit, *Gelaſius* refert, & quæ *Cyrillus* de crucis ſigno, tempore *Conſtantii*, Imperatoris, viſo, *Procopius* de cruce Apameenſi, & *Theo-*

Pag. 51 ſeq. — 65 ſeq. — 71 ſeq. — 212 ſeq. — 354 ſeq.

Lll

Digitized by Google

Theophylactus Simocates de cruce ad templum S. Sergii missa memorant, una cum aliis dubiæ fidei & incertæ autoritatis scriptis de inventione atque apparitione crucis. Coronidis quasi loco accesserunt *Germani*, Patriarchæ Constantinopolitani, Oratio, & *Theophanis Ceramei* Homilia de restitutione imaginum. Subjunguntur Indices tam locorum Scripturæ Sacræ, in Tomo hoc altero ad crucis illustrationem adductorum, quam rerum in hoc ipso Tomo notatu digniorum.

Johann Heinrichs von Falckenstein Nordgauische Alterthümer und Merckwürdigkeiten.

h. e.

JO. HENRICI DE FALCKENSTEIN Antiquitates & Memorabilia Nordgaviæ veteris.

Tomus I.

Suobaci, apud Jo. Jac. Enderes, 1734, fol.

Alph. 4 pl. 1, cum Tabb. æn. 4.

Nondum desinit bene mereri de Nordgavia Ill. *Falckensteinius*, sed novas illius Antiquitates cum Viris doctis communicat. Diversum hoc, quod nunc molitur, & cujus *priorem Partem* in manibus habemus, Opus est a priore, cujus recensum in his *Actis M. Nov. A. 1733 p. 489 seq. M. Jun. A. 1734 p. 252 seq.* & *M. Jul.* ejusdem *Anni p. 308 seq.* instituimus. In illo enim de una saltem Nordgaviæ parte, nimirum de Episcopis & Episcopatu Aureatensi, egit, & ultra octavi Seculi primordia non adscendit. In nostro vero universæ Nordgaviæ situm, Provincias, & Principes, describit, atque ad antiquissima usque tempora progreditur. *Capitibus octo* hic Tomus absolvitur.

Pag. 1 - 16. *Caput I de Harudis, Sedusiis, Hermunduris, Thuringis, Narcissis, Armalausis, Bojis, Francis*, & *Saxonibus a* Carolo M. *devictis, & in Nordgaviam missis, vetustissimis Nordgaviæ populis*, disputat, quos omnes, fortes, magnanimos, nobilesque fuisse docet, & Genealogiarum conditores jure reprehendit, qui

qui apud Romanos, aut in Trojano equo, inani ridiculoque conatu, quærunt primas Germanicarum familiarum origines. *Capite II varias Virorum doctorum de Idololatriæ initiis ſententias* affert. *Capite III* de *Idololatria Germanorum in genere, & ſigillatim Nordgavienſium*, agit. Refellit hic *Cluveri, Schedii*, & *Wægemanni*, opinionem, qui, Germanos tres Deos coluiſſe, iisdemque notum fuiſſe venerandum illud SS. Trinitatis myſterium, aſſerunt. Poterat mendacii illos convincere vel unus *Tacitus*, qui *Tuiſconem*, ſive *Tuiſtonem, Mannum, Herthen, Mercurium, Herculem, Martem, Alcidem, Iſidem, Tanfanam, Velledam*, tanquam Germanorum Numina, commemorat. Antiquiſſimis temporibus Germanorum religio puritate integritateque ſua ſeſe commendabat. Binas veritates incomparabiles, divinam providentiam, & animæ immortalitatem, crediderunt. Sed illam puram illibatamque religionem ſuperſtitio mirum in modum contaminavit penitusque evertit. Diſſerit hac occaſione de *Saxonum, Soraborum, Cimbrorum, Freſorum, Thuringorum, Haſſorum, Francorum*, & *Suecorum idolis*, de *Diis Topicis Nordgavienſibus*, de *Beleno, Cerere, Stiſa, Lollo, Mercurii Templo Mecklenhomenſi*, de *Emmenzheimenſibus idolorum & Druidum imaginibus*, de *Dea Hippona*, & *inſigni Bojorum & Nordgavienſium in idolorum cultu pertinacia*, quippe qui, non decere religionem Chriſtianam militem, aut belli Ducem, arbitrabantur. *Caput IV* de *Sacerdotibus & mulieribus fatidicis* præcipit. In magno atque præcipuo honore erant apud veteres Sacerdotes, ſine quorum conſilio nullam rem gravem atque arduam facile ſuſcipiebant. Tres illi Claſſes conſtituebant. In prima erant *Druidæ*, ſive antiquorum Germanorum Theologi, qui Sacrificia, myſteria, & alia ad religionem pertinentia negotia, interpretabantur, ſumma prudentia pollebant, judicum partes ſuſtinebant, rem bellicam moderabantur, capitis ſententiam ferebant, diris devovebant hoſtes, & liberi immunesque a bellis erant. Varias hic antiquitatum peritiſſimorum virorum de etymologia nominis *Druidarum*, horum veſtimentis, doctrina, Auditoriis, ſcientia in Medicina,

[Margin: Pag. 17-25. 27, 28. 29-48. 49, 50. 51-92. 93-96. 97-99. 100. 101-113.]

na, vaticiniis, de ratione eos ſepeliendi, opiniones adducit Ill. *Fal-*
Pag. 114-121. *ckenſteinius*. Ad alteram Sacerdotum Claſſem refert Auſpi-
ces, qui ex victimarum extis, aſtris, avium volatu, & equo-
rum hinnitu, futura divinabant. Primum auſpiciorum genus
per ſortes, alterum per avium voces, & volatum, tertium per
equitum hinnitus, quartum per judicium *Duellicum*, quin-
tum per ſanguinem & inteſtina hoſtiarum immolatarum, per-
122-132. agebatur. Lucroſæ illi divinandi arti non ſolum viri ſe tradebant,
verum etiam, ac ſigillatim quidem, mulieres, quibus divini quid
ineſſe credebant majores noſtri. Mulieres ejusmodi fatidicæ
communi matrumfamilias & Alrunarum nomine veteribus
celebrantur, & copioſum illarum catalogum nobis dedit Ill.
133-138. Autor. Ad tertiam Sacerdotum Claſſem pertinebant Bardi,
qui fortia virorum illuſtrium facinora heroicis compoſita
verſibus cum dulcibus lyræ modulis cantabant. Ab hiſce Bar-
dis Phonaſci, qui olim Moguntiæ, poſtea Argentorati & No-
139-152. rimbergæ, floruerunt, originem ſuam deducunt. *Capite V*
de *Sacrificiis & humanis, quas Diis immolabant, hoſtiis* com-
153-182. mentatur. *Capite VI* de *lucis, nemoribus, templis Druida-
rum, quernis arboribus, Dryolatria, altaribus veterum*, diſce-
ptat. *Caput VII initia & propagationem religionis Chriſtia-
næ in Nordgavia & regionibus vicinis* commemorat. In eo
plerique Hiſtoriarum Scriptores conſentiunt, jam primo poſt
Chriſtum natum Seculo Laureaci prima ſanctioris religionis
183-186. fundamenta jacta fuiſſe. Divum enim *Laurentium*, non qui-
dem illum martyrii gloria celebrem, ſed alium ejusdem no-
minis, a *S. Petro* Aquilejam miſſum, cum Sociis Nordgaviam
quoque intraſſe, & illius incolis, Jeſum Chriſtum, Dei im-
mortalis filium, carne tectum humano e cœlo delapſum
eſſe, mira & inaudita facinora ediuiſſe, pro mortalium ad-
miſſis criminibus diriſſimo crucis ſupplicio ſatisfeciſſe irato
patri, denique ruptis ſepulchri repagulis in cœlum iterum
187-189. ſeſe recepiſſe, annunciaſſe ferunt. Quam ſententiam alii, *Pezius*
inprimis, novam, commentitiam, cerebrinam, vocant, & *S. Sy-*
190-262. *ro* & *Juventio* hanc laudem tribuunt. Hinc Vitas *S. Syri*,
Juventii, *Lucii*, *Maximiliani*, *Quirini*, *Floriani*, *Narciſſi*,
Caſſia-

Caſſiani, Valentini, Severini, Maximi, Ruperti, Euſtaſii, Vitalis, Emmerani, Marini, Aniani, Victerpi, Conſtantii, Corbiniani, Wilibaldi, Wunibaldi, Walburgæ, Bonifacii, Solæ, Deochari, Sebaldi, Gumberti, pluribus fabulis commentisque inquinatas, deſcribit. *Capite VIII* de *Epiſcopatibus, in Nordgavia ſitis, Ratisbonenſi, Aureatenſi, Bambergenſi, de Concilio Ratisbonenſi I*, (cujus intuitu indiculum ſuperſtitionum paganiarum a *Ferdinando*, Epiſcopo Paderbornenſi, e Bibliotheca Vaticana primum publici juris factum Operi ſuo addidit, Notisque illuſtravit,) de *Concilio Ratisbonenſi II*, de *Concilio Altheimenſi, & Synodo ob Epiſcopos Villanos Ratisbonæ congregata*, quædam haud proletaria in medium affert. In fine comparet *Capitulare Caroli M. in Partibus Saxoniæ*, quod Ill. *Falckenſteinius* ampliſſimo eruditiſſimoque Commentario inſtruxit.

Pag. 263 - 265. 267 - 268. 269 - 303. 304 - 319. 320 - 321. 322 - 332.

M. Joh. Alex. Döderlein Kurtzer, doch gründlicher, Bericht von dem Heydenthum der alten Nordgauer, ꝛc.

h. e.

M. JO. ALEX. DOEDERLINI, LYCEI *Weiſſenburgenſis Rectoris, Academiæ Cæſareæ Nat. Curioſ. & Regiæ Berolinenſis Societatis Scientiarum Socii, Antiquitates Gentiliſmi Nordgavienſis.*

Ratisbonæ, apud Chriſtian. Theoph. Seiffart, 1734, 4.

Plag. 16½.

Uno eodemque tempore cum Ill. *Falckenſteinio* calamum in manus ſumſit Cl. *Dœderleinius*, & in origines & fata idololatriæ apud Nordgavienſes accurate diligenterque inquiſivit. Veteres Germanos religione motos fuiſſe, & Diis cultum præſtitiſſe, certum eſt. §. 1. Hic, quem Numinibus exhibebant, cultus multo purior, ſincerior, ſimpliciorque ceterarum nationum cultu fuit. 2. Quid? quod *Cluverus*, aliique, ſanctiſſimum illud 3.

§. 4. S.S. Trinitatis myſterium innotuiſſe Germanis, nobis perſua-
dere cupiunt, a qua tamen opinione cordatiores intelligentio-
5. resque merito divortium faciunt. Ab integra illibataque re-
ligione, cum tam numeroſam Romanorum Deorum multitu-
dinem oculis cernerent, paulatim deſciverunt, & plures Deos
6. colere cœperunt. Quapropter *Soli* primum hebdomadis diem,
7, 8. *Lunæ* alterum, tertium *Tuiſtoni* ſive *Tuiſconi*, quartum *Wo-*
9. *dano*, ſive *Othino*, quem Romani *Mercurium* eſſe credebant,
10, 11. quintum Deo *Thor*, ſive *Jovi tonanti*, ſextum Deæ *Freyæ*,
12. ſive *Freæ*, ſeptimum *Saturno*, conſecrarunt. Præter hoſce
13 - 17. Deos terram, ignem, fontes, flumina, tonitrua, fulmina &
ventos exquiſita veneratione proſecuti fuerunt majores. Ar-
18 - 19. bores itidem, quernam inprimis, ejusque viſcum, lucos, nemo-
ra, montes, in rebus ſacris numerarunt. Aſinos quoque, equos,
20. hircos, &c. heroes vita functos, & fœminas fatidicas, in Divo-
22, 21. rum retulerunt numerum cenſumque. Diis topicis, in quibus
23, 24. Norici *Belenum* Suevi & Nordgavienſes *Iſidem* & *Mannum*,
25 27. *Cizam*, *Genios*, *Fortunam*, *Lollum*, *Heſum*, & plures alios, co-
28, 29. luerunt, ſacrificia obtulerunt. Neque Romanorum Deos plane
ignorarunt veteres; id quod nomina Jovis, Dianæ, &c. in an-
tiquis marmoribus & Inſcriptionibus luculenter confirmare
30. poſſunt. Veretur tamen Cl. Autor, ne illi ſuaviter errent,
qui, primis antiquiſſimisque temporibus jam Romanorum
Deos coluiſſe Germanos, exiſtimant. Illi enim non prius in-
31, 32. notuerunt Germanis, quam Romani in has terras exercitus ſuos
mitterent, & crudeliſſima & pæne perpetua bella cum iisdem
33. gererent. Præcipua religionis pars in ſacrificiis Diis faciendis
34. conſiſtebat. Sacerdotes in tres Claſſes, in Druidas, Auſpices, &
Bardos, dividebantur, quibus accenſebantur fœminæ fatidicæ.
35. Sacerdotum officium erat, Numina ſtatis feſtisque diebus ſa-
36. crificiis & humanis hoſtiis placare. Hi edocebant populum,
antiquiſſimum Deorum vocari omnium Patrem, qui cœlum,
37. terram, aerem, & cunctas ejus proprietates, atque, quod ma-
ximum eſſet, hominem, creaſſet, eique vivam & immortalem
animam inſpiraſſet; hunc genios bonos & malos produxiſſe,
hunc divina providentia univerſum terrarum orbem ſapienter
regere

regere atque gubernare; hunc pro ineffabili juſtitia ſua bene factorum ampliſſima præmia tribuere, male facta ſevere punire. Cum vero illi, qui ſcelera ſceleribus cumulant, vitam fortunatam atque beatam, illi autem, qui incorruptæ ſanctitatis laude celebrantur, miſeram & infelicem plerumque agunt; hinc conſequens eſſe judicabant, ſupereſſe poſt hanc vitam aliam, in qua pii lætiſſimos ſanctitatis ſuæ fructus ferant, nefarii atque improbi crimina ſua atque delicta æterno ſupplicio luant. Præcipue ſe feliciſſimos reputabant, ſi in acie perirent, in lecto mori, turpe atque indecorum arbitrabantur. Mortuos antiquiſſimis temporibus ſepeliebant; poſtea ritus igne concremandi defunctos invaluit, cujus rei teſtimonium urnæ in cryptis repertæ perhibent. Fortium atque illuſtrium virorum tumulos monumentis condecorabant. Porro Druidæ, ut animos civium eo magis ad prœlia ineunda incitarent, non interire animas, ſed reſtitui, ſupremum judicium expectare, omnem denique mundum igne ſepultum iri, illius tamen renovationem futuram, illumque ornatiorem rediturum eſſe, docebant. Compertum quoque habuerunt atque perſpectum majores noſtri, primos homines ab impreſſa illa divinitatis imagine deflexiſſe, ſe peccatores eſſe, & remedia circumſpicere debere, quibus a ſordibus ſeſe purgarent, & promeritas pœnas a ſe averruncarent. Inter media ſeſe abluendi a ſceleribus referebant aquæ adſperſionem & Pædo Baptiſmum, Cimbris & aliis populis uſitatum. Plurimum fiduciæ ponebant in ſacrificiis, tanquam voluntaria religionis ſuæ parte. Heroica excellentiaque facinora perpetrare, pro patria animam glorioſe effundere, aliorum neceſſitatibus cupide ſubvenire, expeditiſſimam facillimamque ad beatitatem conſequendam viam eſſe ſtatuebant. Sortilegiis, vaticiniis, & auſpiciis futura explorabant. Druidibus unus præerat, qui ſacras cerimonias, ſacrificia, religionemque, ordinabat. Sacerdotes præcipui in populo erant, & omnia ſacra civiliaque negotia peragebant. Magiſtratus pro diverſitate nationum diverſi, & principes magis nomine, quam re, tales fuerunt. Conjugalem fidem ſemel datam ſanctiſſime ſervarunt, & frugalitate, laborum conſtantia, & ſexcentis aliis virtu-

§. 38.
39.
40.
41, 42.
43. 44.
45.
46.
47.
48.
49.
50, 51.
52.
53.
54.
55, 56.

virtutibus, æternam & nunquam intermorituram laudem gloriamque reportarunt, & in supina illa, in qua versabantur, literarum ignorantia, morum doctrinam vita factisque expresserunt.
§. 57. In hisce gentilismi tenebris permanebant usque ad quinti Seculi finem, quo post cruenta Francorum atque Alemannorum prælia, sexto inprimis Seculo, Franci & complures Alemanni sub *Clodovao*, Rege suo, Christianæ fidei subscriberent, & paganas reliquias a se amoverent. Non ita multo post *Thedo III*, Bajoariæ Dux, illecebris uxoris suæ *Reginotrudis* permotus, Christianam religionem amplexus est. Tres itaque
58. Periodos gentilismi constitui posse, decernit Cl. Autor. In prima Periodo religio admodum pura, sincera, integraque fuit. In altera aliorum Græcorumque Philosophorum instinctu mirum in modum depravata. In tertia per commixtionem cum Romanorum religione funditus deleta atque eversa fuit.

LE TERME DEL MASINO, &c.

i. e.

THERMÆ MASINENSES IN VALTELlina, examinatæ a Doctore BUONAFEDE VITALI, Anonymo dicto, id est, Dissertatio Medico-Philosophica, qua de natura & proprietatibus Thermarum prædictarum, itemque de origine fontium, caloris eorum causis, corporumque mineralium, quæ iisdem continentur, natura, agitur, annexa brevi iisdem cum successu utendi methodo.

Mediolani, per Josephum Cairolli, 1734, 8.
Plag. 8.

Plurima quidem lectu digna de Thermis suis, earundemque legitimo usu, commentatus est Cl. Autor, quæ patriæ ejus, non omnibus, scripta esse deprehendimus; insunt tamen non levioris momenti quæstiones, quæ publici juris fieri debere nobis visæ

visæ quasque adeo recensere non dubitamus. De Fontium origine controversiam moturus, varias quæstiones adducit; utrum, aere inter aspera montium incluso, aquarum rivuli ad radices decurrant; utrum aqua marina intra terræ arenosa loca salsedinem deponat, fontiumque venas constituat, satiusne sit, credere velle, ab exhalatione aquarum subterranearum, accedente igne subterraneo, destillationes fieri, quibus exaltata aqua centralis in fontes desinat; & utrum corporum cœlestium pondus & terram versus pressio huic subterraneæ aquæ ad adscendendum necessarium motum imprimant. Addit suam mentem Autor, certo affirmans, partim a pluviarum niviumque deliquium passarum descensu ad radices montium, partim ab adsce..su vaporum, igne centrali excitatorum, fontium principia fieri posse. Verum diversa a priori est quæstio, qui fiat, ut calidi sint fontes, alii minus, utrum ab igne subterraneo, utrum a conflictu corporum diversæ fabricæ, ejusmodi calor excitari possit. Anne calcinata igne subterraneo marmora, & in calcis naturam mutata, aquam superaffusam hoc ipso, uti solet calx viva, calefacere possint. Ut in in re dubia Autor mentem suam promtiu. exponere possit, sequentia phænomena fundamenti loco ponit. Aquæ calidæ, thermometris, barometris, tubisque exploratæ, noctu aut hyeme plus calent, quam interdiu, aut per æstatem. Aquæ thermales immersa corpora plus omni calidissima ab igne culinari aqua alterant. Aqua ejusmodi mineralis tardius refrigeratur, quam aqua omnium maxime ab igne culinari ebulliens. Aqua Thermarum calidissima & aqua fontium frigidissima, si eodem tempore igni culinari imponantur, id curiosi habent, quod aqua frigidissima citius ebulliat, quam calida. Facta sunt hæc experimenta ab Autore in aquis montis ferrati calidis, aliisque. Ex his datis inferendum est, causam caloris esse non accessoriam, sed innatam; quam ut debito modo declaret, supponit ex Philosophia metallica *Becheriana & Stahliana*, dari terram vitrescibilem, quæ metalla, dari terram combustibilem, quæ salia producat. Existere sal primogenium summe mobile, quod cum terra vitrescibili rubra aurum, alba argentum, nigra plumbum aliaque ignobiliora

metalla, producat. Terra combustibilis, sulphurea scilicet, hoc sal primogenium imbibit, constituendo pro sui gradu semimetalla, sulphura, arsenicum. In perenni versatur motu sal primogenium, atque, accedentibus solarium radiorum refractionibus sulphureis, & parabolicis, prout casus fert, modo rubram, modo albam, modo nigram terram, modo inflammabilem arripit, inde varii generis metalla, aut sulphura. Quodsi autem sal illud primogenium ex terræ centro divagatur, idem facit sulphur, diversa tamen via. Quodsi ergo sal primogenium aquas hinc inde obvias impraegnat, fontes fiunt salini tantum, si sulphureæ sunt exhalationes, quæ aquas subeunt, fontes fiunt medicati antimoniales, imo arsenicales & venenosi, sal autem & sulphur junctum fontes ejusmodi minerales efficiunt, qui modo particulam Martis, modo Veneris, in sinu suo fovent. Declarat mentem ulterius Autor experimentis, quibus oleum vitrioli cum simplici aqua excalescere, itemque sulphur cum ramentis martis, accedente aqua, calorem producere observatur; ex quo infert, simili modo sal primogenium & sulphur metallicum eo demum tempore conflictus agere, quo in aqua simplici conjunguntur. Experimenta, quibus thermarum indoles explicari solet, contrarium effectum in suis produxerunt. Gallæ pulverisatæ nullum nigrorem excitarunt: florum violarum decoctum nec in rubrum, nec in viridem colorem transiit. Cum Mercurii sublimati solutione non ebullit; interim solutionem argenti aqua forti factam instar aquæ communis præcipitat. Ebullit tamen cum spiritu nitri, pulveremque album dimittit. Acerrima pugna fuit cum oleo vitrioli caustico. Ex quibus omnibus infert, non martiales, non nitratas, sed mere salinas esse has aquas, quæ a conflictu salis primogenii cum sulphure metallico excanduerint. Regulæ medicæ theoriæ de sanitate ægrorum insigniter respondent.

PERSPECTIVE MADE EASY, OR, A NEW Method for practical Perspective, &c.

h. e.

PER-

ad Nov. Act. Erud. A. 1734. M. Octobr. p. 467.

hical protractor



Fig. II.

PERSPECTIVA FACILITATA, SEU ME-thodus nova Perspectivæ practicæ, Autore GUI-LIELMO HALFPENNY.

Londini, apud Joannem Oswaldum, 1731, 8.
Plag. $2\frac{1}{2}$, cum Tabb. æn. 28.

Autor in hoc Tractatu novum describit instrumentum, vi cujus etiam hospes in Perspectiva proprio Marte omnem artem sibi familiarem reddere valet, qua ad Scenographiam objecti cujuscunque, veluti ædium, hortorum, urbium, perficiendam opus habet. Ecce tibi descriptionem ejusdem. TAB. VIII Fig. 1. *ABCD* est planum tabulæ, in qua stria *E* recipit trabeculam verticalem foraminulis pertusam, huc illucve mobilem, quæ dioptræ vice fungitur. *F* & *G* sunt plana, quibus insistunt duæ trabeculæ, perpendiculariter ad tabulam firmatæ. *HIKL* est Tabula quadrata ejusdem crassitiei, cum trabecula horizontali inter verticales *F* & *G* fixa, circa cardines mobilis. *MNOP* est planum Perspectivæ plani *ABCD*, *X* ipsius *E*, & *QR* ipsius *FG*, & *STUW* ipsius *HIKL*. Ast *Y* & *Z* sunt puncta visus & distantiæ. Et ita patet Ichnographia instrumenti. Addamus igitur & Scenographiæ explicationem. Fig. 2. *ABCD* est tabula lignea, tribus fulcris *E*, *F*, *G* sustentata, & *HIKL* sunt cancelli, verticaliter super tabula erecti, intra quos recipitur tabula *bcTS*, circa cardines in *b* & *c* mobilis juxta arcus *QS* & *CT*. Filum *dOMN*, nodo in *P* instructum, transit per foramen *M*, & clavo *O* retinetur, alteri vero extremo *N* affixus est globus plumbeus. Trabeculæ dioptris *Z* & *Y* instructæ pedamentum *W* intra striam *E* huc illucve moveri potest. Tabulæ *cbST*, quando instrumento uti volueris, affigitur charta, & trabecula cum dioptris *X* cancellis *HLKI* pro arbitrio admovetur, vel ab eadem removetur, prouti commodum visum fuerit. Clavus *O* extrahitur, &, filo manu prehenso, per foramen *Y* vel *Z* in objectum visus dirigitur, ita, ut nodus *P* tegat punctum objecti, in quod fit collineatio. Attollatur tabula *bcST*,

donec nodum fili *P* attingat: hic enim punctum objecti, in quod obtutus dirigebatur, in charta deſignabit. Tabula attollitur ope funiculi circa trochleam mobilis calcando: quod artificium ad evitandam confuſionem in ſchemate non expreſſum eſt, cum facile intelligatur. Poſtquam Autor inſtrumentum deſcripſit, ejusque uſum expoſuit, ichnographiam & ſcenographiam figurarum, primum Geometricarum, deinde quoque aliorum corporum & ædificiorum perficere docet: ubi tamen nihil ſingulare occurrit, quod non alibi quoque legatur. Immo nec inſtrumentum Scenographum prorſus novum eſt. Poſtquam enim ***Albertus Dürerus***, qui celeberrimum in arte pictoria & ſculptoria, qua mirifice excelluit, nomen conſecutus, praxin Perſpectivæ tribus filis exercere cœperat, ſuumque artificium in Opere de Perſpectiva *fol. 191* publici juris fecerat, mox complura inſtrumenta Scenographa excogitata ſunt. Inprimis vero ***Wenceslaus Jamitzerus***, Noribergenſis, menſam excogitavit Scenographam, in qua ope chordæ unius Scenographia corporum perficitur, & quam ceteris inſtrumentis præfert ***Joannes Faulhaberus***, in theoria & praxi Matheſeos merito ſuo celeberrimus, in Tractatu, patrio ſermone A. 1610 edito ſub titulo: ***Neue Geometriſche und Perſpectiviſche Inventiones etlicher ſonderbahrer Inſtrumente.*** Hanc in eodem Tractatu compendioſiorem effecit ***Faulhaberus***, ut Architectis in bello, aliisque itineribus, absque ulla moleſtia apparatus neceſſarius, ad Scenographiam in quovis ſcamno & pariete erecto perficiendam ſemper ad manus eſſe poſſit. Eidem affine eſt Scenographum catholicum, quod a ***Ludovico Cigolo***, nobili pictore Florentino, inventum deſcribit ***Jo. Franciſcus Niceron*** in Thavmaturgo optico *fol. 101 & ſeq.* ubi non diffitetur, ***Dürerum*** primum Perſpectivæ praxin organice inſtituiſſe, & ex ejus invento, tanquam fonte, non modo omnia illa inſtrumenta, quæ ad eundem uſum commendat ***Ignatius Donti*** ad capitulum tertium primæ regulæ Perſpectivæ ***Jacobi Barocii***, verum etiam Scenographum catholicum ***Cigolianum*** profluxiſſe. Ad eandem quoque menſam Scenographam prope accedit ***Protractor Scenographus***, quem Noſler vocat. Ceterum, ut fateamur,

mur, fas eſt, Autorem admodum perſpicue omnem praxin Perſpectivæ duabus plagulis expoſuiſſe, quamvis ſine demonſtratione, quam nec ferebat tanta brevitas, nec requirebat inſtitutum, neque adeo dubitandum eſſe, quin utilem præſtiterit operam iis, qui artem exercent.

M. FRIDERICI GUILIELMI STÜBNERI Nova methodus explorandi virium moventium quantitatem in motu retardato, ope reductionis motus hujus ad motum corporum mole inæqualium, ſed eadem celeritate latorum, quæ paria ſint ſiſtendo motum retardatum in ſingulis temporis elementis.

De corporibus mole inæqualibus, ſed eadem celeritate latis, nulla eſt controverſia inter eos, qui quoad menſuram virium, quæ cum inæqualibus celeritatibus corporum conjunctæ ſunt, in alia omnia abeunt ſuis opinionibus, quin vires horum corporum inæqualium, quæ eadem celeritate pollent, ſint in ratione ipſorum corporum. Ignotum adeo vires in motu retardato menſurandi modum, ubi nempe celeritas continuo alia atque alia locum habet, ad hunc notum & ſatis expeditum motum corporum inæqualium æque velocem, ſi reducere liceret, næ inde certa veritatis ignotæ detectio ſperanda eſſet. Licet vero ſequentem in modum hoc, quod quærimus, efficere. Sint quatuor corpora æqualia *A*, *B*, *C*, *D*, quæ omnia ferantur motu uniformiter retardato, ita, ut in primo tempuſculo dt ſpatiola $7ds$, in ſecundo dt ſpatiola $5ds$, in tertio dt ſpatiola $3ds$, in quarto denique dt ſpatiolum ds permeent. Corpori *A* in primo tempuſculo ſiſtendo ſufficiunt, ſi demonſtrationis ergo corpora ſupponantur non elaſtica, vel corpus *A* celeritate $ds : dt$ latum, vel corpus $7A$ celeritate $ds : dt$ motum. Ultimum aſſumamus. Corpus *B* in primo tempuſculo nullum inveniat obſtaculum, ſed, durante ſecundo tempuſculo dt, ipſi obviam moveatur corpus $5B$ celeritate $ds : dt$. Patet, motum cor-

poris B ſic cohibitum iri. Corpori C demum in tempuſculi tertii initio occurrat corpus $3C$ celeritate $ds:dt$. Pariter hoc modo ſiſtetur motus corporis C, qui tempuſculo tertio alias perficiendus foret. Denique corpori D obviam eat ſub initium quarti tempuſculi corpus aliud D celeritate eadem $ds:dt$ latum; etiam hujus motus per hoc ultimum tempuſculum alias affuturus ſupprimetur. Si aliquod horum quatuor corporum motu retardato latorum nullum plane obſtaculum offenderet, tamen ejus motus, qui in ſingulis quatuor tempuſculis affuturi ſunt, poſt præterlapſum tempus $4dt$, ſublatum iri, conſtat per id, quicquid illud demum ſit, quod vim in corpore, motu retardato lato, continuo imminuit. Ergo corpora $7A$, $5B=5A$ (per hypotheſin) $3C=3A$ (per hypotheſin) & $D=A$, eadem celeritate $ds:dt$ lata, motum eundem in tempore $4dt$ cohibebunt, quem cohibet id, quod in motu retardato vim uniformiter diminuit. Ergo ob celeritatem communem corporibus $7A$, $5A$, $3A$, A aggregatum virium, motus in temporibus $4d-t$ cohibentium, corporum horum ſummæ $7A+5A+3A+A=16A$ proportionale eſt. Spatiis ergo, non temporibus, proportionales ſunt vires in motu retardato. Tandem, ſi poneremus vim corporis A in initio primi tempuſculi, durante quo ſpatium $7ds$ motu æquabili percurret, eſſe æqualem $A\frac{7ds+5ds+3ds+ds}{4dt}=A\frac{16ds}{4dt}=4A\frac{ds}{dt}$: ſequeretur, ut corpus $4A$ celeritate $ds:dt$ latum poſſet ſiſtere motum corporis A motu retardato lati, etiam tum, cum nondum foret imminuta ejus celeritas. At vero corpus $4A$ celeritate $ds:dt$ latum non poteſt in primo tempuſculo dt cohibere corpus A, quod in hoc dt per ſpatium $7ds$ tranſiturum eſſet, quia impetus $4A\frac{ds}{dt}$ non poteſt eſſe æqualis impetui A, $\frac{7ds}{dt}$. Ergo falſum eſt, quod ſupponebatur, vim corporis A, motu retardato expoſito lati, tum, cum nondum

iminu-

imminuta sit, fuisse $A \frac{4ds}{dt}$. In exposito hoc modo reductionis, quatuor corpora occurrentia manifesto in quatuor corporibus diversis, sed mole æqualibus absumunt motus illos elementares omnes, qui in unico corpore, a nullis obstaculis retento, a sola illa vi, quæ motum uniformiter retardat, absumerentur.

MARCI HIERONYMI VIDÆ, CREMOnensis, Albæ Episcopi, Poemata, quæ exstant, omnia; quibus nunc primum adjiciuntur ejusdem Dialogi de Reipublicæ dignitate; ex collatione optimorum Exemplarium emendata; additis Indicibus accuratis.

Tomi IV.

Londini, apud Lantonum Gilliver, & Jo. Nourse, 1732, 12. Alph. 2 pl. 20 ch. dimid.

M. *Hieronymo Vidæ* contigit non tantum, ut parem fere ex Poetica arte, quantam ex soluti sermonis facultate, gloriam referret, sed etiam ut hac adhuc ætate merita ipsius agnoscant homines. Post primam Operum Poeticorum editionem Cremonensem A. 1550, & *Plantinianam* A. 1585, 12, intra quatuor annos ter in Anglia edita fuerant, tum *Poemata, quæ Autor haud plane disjungit a fabula*, tum *Christiados libri VI*, annis, quod ex Præfatione discimus 1722, 1723 & 1725. *Thomæ Tristrami* studio illas inprimis deberi, notum est, qui Vitam Autoris & Notas adjecit, æneisque imaginibus exornari primam præsertim, in 4 editam, curavit. Quam nunc indicamus, eam *Richardo Russel* deberi, ex Dedicatione intelligitur, elegiaco scripta carmine ad *Alexandrum Pope*, celeberrimum Poetam. Observaverat ille in laudatis modo editionibus Britannicis, tum alios multos errores incuria fusos, tum intempestivas Emendationes, quibus deterior optimus Poeta factus fuerat. Juvat specimen unum alterumque proferre, cum indigeat ætas nostra frenis quibusdam ad coercendam emen-

emendandi, quæ non intelligunt, libidinem. *Poet. II, 589*, scripserat Poeta;

Illum, Thybri pater, lætanti spumeus alveo
Exciperes Tuscus Tuscum, veheresque per undas,
Miratus *habitusque novos hominumque figuras.*

Editor Anglus, qui metuerat, ne versus laboraret, reposuit *miratas*, cum tamen occurrere deberet illud *Virgilianum, molli* fultus *hyacyntho*. Scripserat *Vida*, plane *Virgilianum* in morem, ovem *seræ* oblitam decedere nocti. Importune illud mutatum est in *sera nocte*. Hæc talia itaque bene restituta ab Editore novissimo. Et tamen videmus, omissam ab eo admonitionem, libris Poeticorum præmissam, quam ex Editione *Plantiniana* A. 1585, 12, huc referre, non abs re fuerit: *Quisquis es, Autor te admonitum vult, se non laudis ergo opus adeo periculosum cupide aggressum, verum ei honestis propositis præmiis a duobus summis Pontificibus demandatum scito,* Leone X *prius*, *mox* Clemente VII, *ambobus ex Etruscorum Medycum* (sic scriptum) *clarissima familia, cujus liberalitati atque industriæ hæc ætas literas ac bonas artes, quæ plane exstinctæ erant, excitatas atque reviviscentes debet. Id, volebam, nescius ne esses.* Non minus omissam videmus admonitionem aliam, quam in ipso Carminum fine posuerat *Vida*, quam & ipsam hic legere non injucundum putamus: *Quæ* Vida *agnovit, exploratаque habuit, sua hæc omnia ipse de scrinio suo depromta adhuc vivens congessit. Si quid forte præterea ullo unquam tempore adjectum fuerit, adulterinum censeto, ab aliquo aut maligno, aut in re aliena nimis officioso ac diligente, adinventum, quod de Poeticis tantum dictum volo. Nam, quæ soluta oratione ad Christi rem spectantia idem Autor conscripsit, propediem se itidem superstitem sospitemque in lucem editurum, sperat. Deo Optimo Maximo approbante atque juvante, cui uni se suaque omnia addixit ac consecravit.* Quod hic mentionem facit scriptorum ad Christi rem spectantium, ea sunt forte *Paraphrases in omnes Evangelii Scriptores, ad Delphinum, Franciæ Regis filium*, quas autem nunquam editas putat, qui vitam viri scripsit, in hac editione

auctio-

auctiorem repetitam; cui, ut indicavimus, etiam adjecti ſunt de dignitate Reipublicæ libro duo, e rariſſimo exemplari Cremonæ A.1556 impreſſo. In his introducitur *Vida* noſter cum *M. Antonio Flaminio* diſputans Tridenti, cum adeſſent *Reginaldus Polus*, & alii viri ſummi, quos Concilii rationes ibi retinebant. Videtur hoc Opere reparare aliquomodo voluiſſe *Vida* jacturam, quam in *Ciceronis* de hoc argumento libris fecerunt literæ. In vita Viri memorabilis eſt ætas ſex fere ſupra nonaginta annorum, quo finiit A. 1566 Albæ, in qua urbe Epiſcopus cum eſſet, militaris etiam fortitudinis egregium ſpecimen edidit, invadentibus eam per nocturnum tumultum Gallis. Jam foſſas ſuperaverant, jam aliqui eorum urbem intraverant, jam ceſſerat arce Cæſarianum præſidium; cum Noſter, abjecta Pontificia perſona, ſumtoque ſago, populum armat, hoſtes, qui ingreſſi erant, capit, qui in murum adſcenderant, dejicit, ceteros terga vertere, relicto oppugnationis apparatu, cogit. Scripta ipſa *Vidæ* notiora ſunt, quam ut ſpecimina eorum afferri debeant, & commendatiora his, qui guſtum habent talium deliciarum, quam ut noſtris laudibus accendere quemquam ad ea legenda debeamus. Qui chartæ ac typorum elegantiam amant, & ipſi invenient, quod oculos oblectare animumque poſſit. Illud forte gratius feciſſet ſtudioſis, ſi, quo ordine ipſe *Vida* diſpoſuit ſua Carmina, eodem hic edita fuiſſent. Sed, cum in minutos IV Tomos diſtribuere vellet ſcilicet Editor, quæ modicum minimi ordinis Volumen implent, alio inſtituto opus fuit.

JO. BURCHARDI MENCKENII DISSERtationes Literariæ. Olim diſperſas, nunc in unum corpus redegit, & cum ſua de Romanorum veterum Stipendiis Militaribus Diſſertatione edidit FRID. OTTO MENCKENIUS, JO BURCH. fil.

Lipſiæ, apud Jo. Chriſtianum Martini, 1734, 8.
Plag. 21.

In laude merito apud eruditos habetur, libellos doctorum hominum colligere, qui propter exiguitatem plerumque aut intereunt, aut ita certe diſparent paulatim, ut quovis etiam pretio redemturus non poſſit uſquam invenire. Itaque vel hoc nomine aliquid laudis mereretur, qui has B. *Menckenii* Lucubratiunculas in unum corpus redactas edidit de Republica Literaria meritiſſimi Parentis filius, niſi etiam pietatis laudem haberet, famæ paternæ conſulere, ejusque laudes in novo quaſi monumento ſpectandas proponere. Quæ hoc Volumine continentur viginti & quinque Diſſertatiunculæ, a Cel. Autore in hac Academia ſcriptæ ſunt, poſtquam Profeſſoris munus ſuſceperat, & aut ad indicendas exequias Orationesque publicas, aut ad invitandos ad honores Philoſophicos ambiendos, ſi qui eorum cupiditate tangerentur, comparatæ, aut ipſis creandorum Magiſtrorum ſolennibus præmiſſæ fuerunt. Sed, ut B. *Menckenius* ingenium habebat plurima, eademque varia & multiplici, eruditione refertum; ita, quacunque occaſione data, ex eo, tanquam ex ditiſſimo theſauro, ſolebat depromere, quæ & novitatis gratiam aliquam haberent, & Lectoribus aliquam utilitatem afferrent. Itaque modo ex Hiſtoria Civili, modo ex Literaria, modo ex Antiquitatibus Romanis & Græcis, aliquid ſibi tractandum, explicandum, illuſtrandum, ſumebat; in quibus generibus, id quod inter omnes conſtat, ita ille apud nos excellebat, ut parem haberet neminem. Jam non opus erat verbum addere ad cupiditatem legendarum Diſſertationum harum movendam Lectoribus noſtris, cum neminem facile tam putemus aut harum rerum incurioſum eſſe, aut *Menckenianæ* eruditionis ignarum, ut nulla, vel titulo lecto, cupiditate hujusmodi ducatur; ſed erat tamen aliquid conſuetudini dandum, quæ præcipua ex libro quoque delibare jubet. Damus autem nihil fere præter titulos Diſſertatiuncularum; quarum omnium accurate argumenta ſi enarranda fuiſſent, plura nobis fuiſſent dicenda, ac juſtæ recenſionis termini patiuntur.

Earum, quæ Hiſtorici argumenti ſunt, præcipuæ fere ſunt, de *Mindelhemio in Principatum Imperii evecta*, de *Angliæ muta-*

mutationibus variis, de *dubio Guſtavi Adolphi interfectore*, de *Stirpis Auſtriacæ & Saxonicæ diuturna & vinculo multiplici confirmata concordia*, de *Pſevdo-Principibus*, de *Eminentia Comitum Solmenſium inter reliquos S. R. Imperii Comites, &c.* Inter eas autem, quæ Literarii argumenti ſunt, non poteſt non jucunda lectu eſſe inprimis ea, quæ *Palæographiæ Montefalconianæ*, tum nondum editæ, cum hæc Diſſertatio ſcriberetur, *Delineationem* exhibet, cui etiam brevis enarratio ejus controverſiæ præmittitur, quæ, edito inſigni *Mabilloniano* Opere de re Diplomatica, exorta eſt de ipſorum Diplomatum fide, & quaſi indiculus quidam multorum Codicum Græcorum & Latinorum ſubjicitur, qui Manuſcripti in Angliæ inprimis Bibliothecis ſervantur, & ab Autore in peregrinatione ejus erudita inſpecti ſunt; de *Geieri*, Theologi Dresdenſis, item de *Gabrielis Simeonis vita & ſcriptis*, quæ quidem poſterior eo gratior debet eſſe, quod plerisque fere ignota ſunt hujus *Simeonis* & fata & ſcripta; de *Hiſtoricis mercede conductis*, de *Scriptoribus Saxonicis, &c.* Ex Antiquitate denique petitæ ſunt, de *Imprecationibus, quas libris monnmentisque aliis adjecere veteres*, de *vi faſcinandi laudibus tributa*, de *cærulei coloris uſu apud veteres*, de *vetuſtiſſimo Satyrarum uſu, &c.* Non pœnitebit etiam legiſſe eam, quæ oppoſita eſt *Huetio*, qui, noſtra ætate multum a priſtina proceritate defeciſſe ſtaturam humanam, in *Huetianis* dixit. Qui autem Poeticis elegantiis delectantur, in *Hermanni Buſchii* Carmine, a Cel. *Menckenio* primum poſt *Buſchianam* editionem A. 1504 edito, quod *Lipſica Buſchius* inſcripſit, quodque dulciſſimis verſibus laudes Lipſiæ celebrat, habebunt, quo ſe delectent. Quæ ab Editore ſubjecta eſt, de *Stipendiis Militaribus apud Romanos* Diſſertatio, jam ante hos quinque annos, ſed brevior, ac nunc, prodiit. In ea militaris Stipendii origo, mutationes, incrementa, cetera, ex priſcis Autoribus enarrantur, diverſæ Scriptorum ſententiæ inter ſe componuntur, nec paucis Autorum veterum locis obſcurioribus ſua lux accenditur. Neque adeo ex ejus lectione fructum Lectori nullum ſpondemus.

JO. BURCHARDI MENCKENII ORAtiones Academicæ, maximam partem Literariæ. Edidit & præfatus est FRID. OTTO MENCKENIUS, JO. BURCH. fil.

Lipsiæ, apud Jo. Christianum Martini, 1734, 8.
Alph. 1 pl. 12.

Alterum hoc est reliquiarum *Menckenianarum*, a Filio collectarum, & cum orbe erudito communicatarum, Volumen, Orationes ejus, in Academia Lipsiensi, publica plerasque autoritate, habitas, complexum. In his, si argumenta spectes, quod jure reprehendas, si dicendi genus totumque sermonis habitum, quod displiceat, non invenias. Nam, quod pleræque Literarii & Historici argumenti sunt, est id quidem a veterum Græcorum & Latinorum institutis & præceptis alienum, quorum si quis, aut *Demosthenes*, aut *Cicero*, ab inferis rediret, & nostros homines de rebus Historicis Criticisque dicentes audiret, negaret profecto, se Oratores audire, aut eloquentiæ vim agnoscere; sed tempori hoc potius, quam B. Viro, tribuendum, qui veterum illa eloquentiæ præcepta non ignorabat. Incidit enim B. Viri ætas, & ipsa hæc nostra, in ea tempora, quibus, ut quisque maxime placere, doctus & eloquens haberi, quin audiri vult, ita debere se putat & novitatem in eligendo argumento, & in ipsa Tractatione varietatem rerum, plurimum sequi, omnia denique Orationis ornamenta ex Historia Literaria & antiquitate Græca & Romana repetere. Itaque ergo Auditores moventur. Quod autem ad dicendi genus attinet, purum illud esse & emendatum, æquabile ac jucundum, facile ab his intelligetur, quibus Latinæ literæ cognitæ sunt. Erat autem B. Vir ingenio miti & placido, quod, qui eo aut familiariter usi sunt, aut quibus certe aliquando conveniendi ejus copia fuit, non ignorant. Itaque, cum scribendi genus soleat plerumque aliquid ex ingenii indole trahere, mirandum non est, si non observetur in his Orationibus *Demosthenea* illa & *Ciceroniana* vehementia, quæ extra

extra ſe rapiuntur Auditorum animi; quæ nec per ſe in pleraque argumenta harum Orationum cadere poteſt; ſed placidum genus quoddam, & leniter, ſed ſuaviter, labens. Quare, qui natura hujusmodi ſunt, plurimum ex his Orationibus proficere poterunt; omnes autem, qui Latinarum literarum amantes ſunt, multum eſſe ex earum lectione voluptatis capturos, minime dubitamus.

Primum autem inter has Orationes merito ſuo locum occupant, quibus, Academiæ noſtræ nomine, Sereniſſimo Regi noſtro junctam connubio Archi-Ducem Auſtriæ, & *Annæ*, Reginæ Britannicæ, adjunctam Angliæ Scotiam, anno hujus Seculi ſeptimo gratulatus eſt: quarum poſterior quidem omnium ſine dubio præſtantiſſima, & quaſi Regina, eo ipſo anno typis excuſa & Reginæ dedicata eſt. Tertia, quæ *Campani* convitia Germanis facta convellit, jam olim a B. Autore cum Epiſtolis *Campani*, & ſexta, qua civium ſuorum doctrina illuſtrium laudes celebrat, A. 1717 ſeorſim edita eſt. Comparent hic etiam duæ celeberrimæ illæ, totiesque recuſæ, de Charlataneria eruditorum. Ceteræ duodecim nunc primum cum orbe erudito communicantur; quæ, ut omnes, ita inprimis de gravitate Eruditorum una, de Hiſtrionia Politica duæ, & de Societate Scientiarum Anglicana lectu digniſſimæ ſunt. Qui autem rerum Politicarum ſtudio ducuntur, multum ſine dubio ex ea, quæ eſt de *Caroli V* nævis Politicis; & qui Hiſtoriam Literariam amant, ex ceteris, ut de contemtu elegantiorum literarum, de rei literariæ impedimentis, de origine & cauſis bellorum inter Eruditos, ceteris, multum voluptatis capient. Quod reliquum eſt, non dubitamus, quin gratiſſimum orbi erudito facturus ſit harum Orationum Editor, ſi, quod promiſit, proxime etiam Diſſertationes Academicas B. Parentis in unum corpus redactas publici juris fecerit.

JO. ANTONII CAMPANI, EPISCOPI Aprutini, Opera ſelectiora. Recenſuit FRID. OTTO MENCKENIUS.

Lipſiæ, apud Jac. Schuſterum, 1734, 8.
Alph. 2 pl. 5½.

Hoc etiam pietatis esse putamus, imitatione Parentis facta approbare, & ab ipso cogitata exsequi. Publicavit olim Editoris Parens *Epistolas & Carmina Joannis Campani*, Viri sua ætate, ut eruditionis summæ, ita incredibilis eloquentiæ Latinæ, laude maximi; eidemque erat, dum vita manebat, in animo, cetera hujus Viri Opuscula, rarissima illa & paucissimis visa, nedum lecta, eodem modo orbi literato reddere. Sed variis rebus impeditus, ac tandem morbis, ac ipsa morte, ab hoc labore abstractus, reliquit Filio hanc *Campani* edendi provinciam; quam ille ita suscepit, ut nunc primum Operum Volumen ediderit, proxime etiam alterum editurus, quod Orationes *Campani* complectetur.

Hujus Voluminis libel i, partem Historici, partem Philosophici, argumenti sunt. Primus enim est *de Andreæ Brachii rebus gestis*; alter *de Vita Pii II, Pontificis Maximi*; tertius *de Thrasimeno lacu*; quartus autem *de ingratitudine fugienda*; quintus *de regendo magistratu*, & sextus *de dignitate matrimonii*. De argumento horum Librorum singulatim & fuse dicere, quia nunc non primum eduntur, nihil attinet: quid Editori debeant, paucis dicemus. In *Historia Brachiana* emendate edenda multum eum adjuverunt *Hochstetteniana* & *Muratoriana* editiones; quarum illa Basileæ A. 1545, 8, prodiit, hæc autem *Vol. XIX* Scriptorum Italiæ *pag. 431* exhibetur. *Muratorium* tamen inprimis secutus est, cum propter summam in hoc genere eruditionem, tum vero etiam, quod is librum hunc cum Interpretatione Italica, a *Pompejo Pollino* Venetiis A. 1572 vulgata, contulit. Neque tamen *Muratoriana* opera *Campano* præstita perfecit, ut nihil vitiorum in eo relinqueretur. Nam Editor unum alterumque locum visus sibi est deprehendisse, in quo mendas reliquit *Muratorius*, quas ille omnes eluere studuit. Reliquos libros ex Operibus *Campani* exprimendos curavit, non apud Venetos A. 1502, sed Romanos A. 1495, editis, characteribus Venetis, per *Eucharium Silber*, alias *Franck*, cura autem, correctione & impensa *Michaelis Ferni*, cujus Epistolæ, editioni huic præmissæ, etiam huic editioni nostræ insertæ sunt. Constabat, *Vitam*

Pii

Pii II Francofurti in 4, *de Regendo magiſtratu* Lovanii A. 1548, forma minima, item Coloniæ Agrippinæ A. 1618, prodiiſſe ſingulatim, ſed has editiones non potuit uſquam invenire. Neque vero eſt, quod eum non viſarum editionum harum pœniteat, cum minime dubium ſit, quin eæ ſint ex ipſis Operibus junctim editis transſcriptæ. Intelligent ſine dubio æqui rerum æſtimatores, non parum moleſtiæ & laboris in edendis his libellis devorandum fuiſſe, magisque modeſtum eſſe, quam verum, quod in Præfatione Editor ait: *ingenio ad hæc, quæ præſtiterit, opus eſſe admodum puſillo, & ſudore nullo prorſus.* Jam, ſi quid ad ipſius operis commendationem adjicere, aut ad legendos libellos hos invitare Lectores noſtros, vellemus, plane injuriam his facere videremur. Ut enim taceamus, qui Hiſtoriæ operam dant, non poſſe facile Vita *Brachiana* & Vita *Pii II* carere; qui aliqua literarum Latinarum amore ducuntur, quomodo poſſent ejus lectionem prætermittere, qui, quicquid veteribus recte dictum eſt, in ſuos libellos tranſtulit? Vel una illa ad Thraſimenum pugna, inter *Hannibalem* & Romanos depugnata, ad legendum *Campani* de eo lacu libellum allicere poteſt; &, qui alios de rebus moralibus libellos legere non dedignantur, qui horum elegantiam minime aſſequuntur, his multo magis *Campanus* lectu dignus habebitur.

M. AUGUSTI BEYERI MEMORIÆ HISTOrico-Criticæ Librorum rariorum. Accedunt EVANGELI COSMOPOLITANI Notæ ad JO. BURCH. MENCKENII de Charlataneria Eruditorum Declamationes, in quibus exempla nonnulla, præcipue Hiſpanorum, afferuntur.

Dresdæ & Lipſiæ, apud Fridericum Heckel, 1734. 8.
Plag. 20.

Cl. Autor, cum ipſi facillimus ad ſelectiſſimas Illuſtrium & Celeberrimorum Virorum Bibliothecas aditus pateret, libros quamplurimos oculis uſurpavit, qui raro in his terris reperiun-

periuntur. Lætabatur inſigniter, ſe admiſſum eſſe ad veneranda hæc myſteria, ſed mirabatur ſimul, Anglos, Gallos, Germanos, tacito quaſi furore conſpirare in rariſſimorum librorum coemtione, cum tamen rariſſimi libri non ſemper optimi, ſed plerumque peſſimi, viliſſimi, ſceleratiſſimique eſſent. Cum igitur perplurimos tam ſumtuoſa libros rariores conquirendi cupiditate affectos videret, aliorumque anilem vanitatem obſervaret, ſalutare Hiſtoriam librorum rariorum, & controverſiarum ſuper illis motatum, colligendi conſilium cepit. Libri illi, in quibus recenſendis occupatur Autor, rariores ſunt, quod unumquemque obſervationes ſingulis additæ abunde docere poſſunt. Libri illi rari vero duplicis generis ſunt. Alii ſunt utiles, quibus primos ab inventæ artis impreſſoriæ typographis principibus excuſos Codices, MStis ipſis æquiparandos, libros ad eruditionem pertinentes, ſcripta veritatis teſtimonia complectentia annumerat. Alii ſunt inutiles, quorſum ſpectant libri, vel religionis cultum, vel Reipublicæ ſtatum, vel bonos mores offendentes. Neque fraudi ſibi eſſe debere arbitratur Cl. Autor, quod ſceleratiſſimorum librorum ſæpe mentionem fecerit, cum tot celeberrimi Viri illos Catalogis ſuis ſcriptisque inſeruerint, ſeque illos eapropter commemoraſſe fatetur, ut βιβλιόφιλοι in poſterum in recenſione horum librorum acquieſcant, neque in coemendis nefandis iſtis libris inanes & inutiles ſumtus impendant. Præter libros & paucularum plagularum Schediaſmata & MSta in Memorias ſuas retulit, propterea quod illa paucorum manibus terantur, MSta vero nunquam typis exſcripta fuerint, & nihilominus in ſummo apud doctos viros pretio habeantur. Delibemus quædam ex libro, ut Lectores, nos vera prolocutos eſſe, re ipſa intelligant.

Pag. 1. De *Nicolao Catharinoto* obſervat, eum nunquam magnæ molis Operibus delectatum fuiſſe, sed ſingulis annis aliquot folia edidiſſe, & illa parietibus affixiſſe, ut eo citius divulgarentur.

2. De *Mureto*, cum *Bezæ Juvenilia* recenſeret, ita pronuntiat: *Si recte judico, Muretus in Poematibus ſuis multo liberius luſit, & nihilominus, quod ſane miror, cenſuram benigniorem, aliis haud indignantibus, apud poſteros habuit.*

Quod

Quod *Jo. Franc. Rauchii*, Medici Viennensis, Dissertationes Pag. 40 42.
binæ de aere & esculentis & potulentis vix ac ne vix quidem
inveniantur, hanc caussam fuisse allegat, quia Autor in utraque
lascivum Monachorum otium justissime reprehenderat, & illos
Chocolatham & vinum non ob abundantiam succi nutritii, sed
ut Veneri pabulum præberent, bibere ex vero docuerat. Lau- 78.
dem meretur Bibliotheca Scriptorum de ludis, quam Cl. Autor,
cum Abbatis *Joachimi* rarissimum de ludo *Schaccio* librum, Ita-
lice scriptum, commemoraret, texuit, quamvis uno alte-
roque libro, vel ex unius *Lipenii* Bibliotheca Juridica, (si qui-
dem hæc veros librorum titulos habet,) facile suppleri
queat. De *Gabrielis Naudæi* libro, qui sub titulo *Mascu-* 115.
rat lucem adspexit, notat, duas ejusdem prodiisse editiones,
priorem Parisiis A. 1649 in forma octo plagulis constante, al-
teram ibidem, non Amstelodami, ut alii falso perhibent, A. 1650
in eadem forma, typis exscriptam fuisse. Utraque neminem 116.
quemquam carere posse, cum non solum paginarum numero,
verum etiam argumentorum varietate, a se invicem differant.
In quem finem plura specimina ex utraque editione inter se 117-146.
collata affert diligentissimus Autor. Ultimam, quæ de *Langleti*
Fresnoji Methodo studendi Historiæ Parisiis A. 1729 impressa 166-206.
fuit, editionem castratam esse, & paucissima exemplaria inte-
gra superesse, affirmat, & in eam rem nonnulla ex non castra-
tis exemplaribus adducit. *Bernardini Ochini* Catechismum
neque Sibyllinis foliis rariorem, neque imaginarium esse, sed
tria ejusdem in Dresdensium Bibliothecis exemplaria reperiri
decernit. In Notis ad B. *Menckenii* Declamationes de Char-
lataneria Eruditorum Hispanorum mores vitiaque falso atque
acute perstringuntur. Sic finem imponimus recensioni ele-
gantissimi libri, doctissimumque Autorem per publica com-
moda rogamus, ut pergat in cœpto opere, Memorias libro-
rum rariorum ulterius communicet cum viris doctis, & Bi-
bliothecam Epistolicam suam propediem in dias luminis au-
ras exire jubeat.

Wilhelm Friedrich Pistorius Amœnitates Historico-Juridicæ, &c.

h. c.

VARIÆ DISSERTATIONES, OBSERVAtiones, Consilia, Opuscula, cetera, quæ Historiam Imperii Germanici, & Jus Civile, Publicum & Feudale Germanicum, Antiquitates itidem ac Consuetudines, illustrant, tum ab aliis elaborata, sed huc usque nondum typis impressa, tum primum composita a GUILIELMO FRIDERICO PISTORIO, Illustrissimo Comiti Erbacensi a Consiliis Aulæ.

Pars I.

Francofurti & Lipsiæ, apud Adamum Jonathan Felsecker, 1731, 4. Alph. 2.

Apposuimus integrum Opusculi hujus titulum, ut, quid sperare queant de hac Sylloge Lectores nostri, eo facilius judicare queant. Nunc, quid sigilatim in *priore* hac *Parte* præstiterit Cl. *Pistorius*, commemorabimus. Inter præcipua Bibliothecarum cimelia habetur *Joinvillii* Historia *Ludovici IX*, quam perplurimis Observationibus auctiorem locupletioremque reddidit *Carolus Fresnæus*, magnæ atque infinitæ Vir eruditionis. Inprimis XXX illæ Dissertationes, quas *Joinvillii* Operi adjecit *Fresnius*, multas bonæ frugis plenas Observationes, quæ medii ævi Historiam apprime & mirifice illustrant, complectuntur, ut aliquam se gratiam initurum esse ab harum intelligentibus confidat Autor, si illas ex Gallico sermone in patrium transferret, & notulis quibusdam instrueret. Comparent itaque in hac *Parte I sex priores Fresnæi Dissertationes ad Joinvillii Historiam.* Prima de Sagis militaribus, quibus magnificentiam & pompam suam veteres belli Heroes ostendebant hostibus, & origine colorum & metallorum in arte Heraldica, agit. Altera de Placitis ante Portas, & de ratione Regum Francicorum habendi judicium, pertractat. Reges nimirum Francici ipsi in palatiis suis jus dixerunt civibus suis, & faciles illorum querelis aures præbuerunt. Quandoque, arduis regni curis impediti, hoc negotium demandabant Comitibus, eosdem-

Digitized by Google

eosdemque in maxime diſſitas regni Provincias ablegabant, ut illorum nomine juſtitiam adminiſtrarent,& controverſias, intra breviſſimum tempus,ſummo cum rigore dirimerent. In omnes ac ſingulas Provincias perſonas quasdam, Miſſorum Dominicorum nomine inſignes, mittebant, quorum officium in eo conſiſtebat, ut judices ſacramenti præſtiti admonerent, eos in ordinem redigerent, ſententias latas accurate examinarent,abuſus tollerent,& civium querimonias audirent. Sæpe itaque veteres Annales, judices jus reddidiſſe in campo, platea, publicis locis, coemiteriis, ante templorum, palatiorum, & urbium portas, teſtantur. Et hanc ſapientiſſimam laudatiſſimamque conſuetudinem *Ludovicus S.* & alibi Francorum Reges,religioſiſſime obſervarunt. Diſſertatio tertia de Fratragio & Paragio exponit. Quarta Comitia Regum Francicorum deſcribit. Sub Monarchiæ Francicæ initium Reges Calendis Martii, aut, poſterioribus temporibus, Calendis Maji ſolennem populi conventum inſtituerunt. In his conventibus populi querelas contra immanem judicum & miniſtrorum regiorum ſævitiam audiebant, leges novas ferebant, exercitum luſtrabant, & dona a populo oblata accipiebant. Singulare quid memoratuque dignum eſt, quod pleraque monaſteria magnam pecuniæ copiam Regi ſingulis annis in his conventibus offerre tenerentur. Graviſſimæ quoque controverſiæ, inter Regem & Aulæ Proceres exortæ,his Conventibus componebantur, ſequioribus temporibus, cum bellicis victoriis plures Provincias regno adjeciſſent, Reges duo ſolennes Conventus, unum ſub anni initium, alterum Menſe Auguſto vel Septembri, celebrarunt. Quinta Diſſertatio curias & feſta ſolennia Regum Francicorum recenſet. Solebant nimirum Reges in primariis anni diebus feſtis ſolennes conciones indicare, in quibus ſe populo peregrinisque magnifico & ſplendido veſtitu indutos conſpiciendos præbebant, publice laute opipareque cœnabant, & a præcipuis aulæ miniſtris ſervitia inter cœnandum ſibi præſtari patiebantur. Dona quoque magna, exquiſita & pretioſa miniſterialibus ſuis largiebantur. Sexta originem & uſum torneamentorum delineat, & primos horum ludorum equeſtrium natales, ad Francos referendos,

rendos, & a Gallo *Godofredo de Previlly* inventos eſſe docet. In notulis, quas hiſce *Fresnai* Diſſertationibus ſubjecit Autor, ſolicite in vocum origines inquirit, easdemque plurima ex antiquitatibus luce illuſtrat. Luculentum hujus rei teſtimonium exhibent, quæ de voce *Vair*, *le Gueule*, *Cruſina*, *Maſtruca*, *Sabulo*, *la Faſce*, de Miſſis Dominicis, Domeſticis, de Apanagiis & Paragiis, de origine donorum Regibus in Comitiis offerendorum, fuſe atque copioſe ex optimis Autoribus diſputat. Secundum in hac Sylloge locum occupat *Chriſt. Franc. Paulini Diſquiſitio de Comitibus Palatinis*, in qua illud agit *Paulinus*, ut Comitibus Palatinis ſubſtituendi alios vim poteſtatemque aſſerat, Vice Comitesque illos, iisdem, quibus Comites, privilegiis immunitatibusque uti doceat, ſententiamque ſuam Diplomatibus, quæ fere totam Diſſertationem conficiunt, quibus Vicarios conſtituerunt S. Palatii Comites, confirmet. Succedit III *Ej. Paulini Diſſertatio de Barba*. Claudit hoc Volumen IV *Ej. Diſſertatio de Dextra*, quæ duo Diſſertationes multas jucundas, curioſas, & ridiculas obſervationes narrationesque complectuntur.

Pag. 18. 25, 26, 27. 29, 41. 48, 56. 61-64. 79.

POTENTISSIMI MAGNÆ BRITANNIÆ Regis, S. R. I. Principis Electoris, GEORGII II, Inſtitutum condendi novam in terris Brunſuicenſibus Academiam literato orbi, autoritate Superiorum, exponit JO. DANIEL GRUBER, Sacræ Regiæ Majeſtatis ab Aulicis Conſiliis.

Qui ingeniis favent, & bonarum artium ſtudiis delectantur, iis vix gratior afferri nuntius poteſt, quam quoties nova de augendo atque amplificando literarum cultu conſilia agitari audiunt. Quo eminentiori autem inter mortales loco ſunt poſiti, qui in erogandis in hanc rem ſubſidiis munifici eſſe conſtituerunt; eo majora atque illuſtriora ex hujusmodi inſtitutis cum ſcientiarum, tum boni publici, incremen-

menta ominari licet. Ingenuarum enim artium cultura mentes hominum cum maxime perfici, ac proinde publicam humani generis felicitatem apprime promoveri, uſu comprobatum eſt. Quam ob rem Potentiſſimus Magnæ Britanniæ Monarcha, qui & ipſe amat literas,& a literis viciſſim colitur, ſubjectis ſibi in Germania Provinciis decus atque beneficium immortale collocaturus, novam honeſtatis officinam,elegantiarum ſedem, literarum domicilium, Muſarum atque Gratiarum ſacrarium, & quoddam veluti rei publicæ Seminarium, quod vulgo *Studium Univerſale*, vel *Studiorum Univerſitatem*, vocant, inſtituere decrevit, in quo omnis generis diſciplinæ & ſcientiæ publice privatimque doceantur, bene merentibus diligentiæ atque eruditionis præmia ritu majorum conferantur, ceteraque omnia, quæ in aliis Germaniæ celeberrimis Academiis tradi ac fieri ſolent, exquiſita cura & tradantur & peragantur. Inſinuata res eſt auribus Cæſaris Auguſtiſſimi, cujus auſpicia, quod negotium iſtud in Germania ſuſcipiendum erat, non videbantur negligenda. Is vero jam ſuperiori anno,ſcripto die 13 Januarii ampliſſimo Diplomate, voluntatis ſuæ atque aſſenſus proniſſimi benigniſſimam ſignificationem dedit. At Rex interea nihil intermittere eorum,quæ ad exſequendum nobiliſſimum propoſitum neceſſaria viſa. De urbe circumſpiciens, quæ tantum decus reciperet, digneque foveret, *Gottingam*, vetus ad ſubſidentis Hercynici ſaltus radices municipium, haud procul a confluentibus Werra Fuldaque amnibus, atque adeo a capite Viſurgis, poſitum, & ſitus opportunitate, & clementia cœli, & loci amplitudine, & frequentia civium,& rerum omnium ad victum neceſſariarum abundantia invitatus, ſelegit, ſelectumque, ut Muſis ibi bene ſit, mirifice exornandum curat. Collegium, quod a priſtinis ædium habitatoribus, *S. Dominici* inſtituta profeſſis, *Paulinum* dici conſuevit, cum adjecto templo magnifico, uſibus Academiæ deſtinavit, &, ne deeſſet ſupellex libraria publica, ſine qua fontes ipſi areſcerent, id egit, ut præſtantiſſimam librisque rarioribus inſtructiſſimam *Bibliothecam Bulovianam*, a Perilluſtribus Poſſeſſo-

ſeſſoribus novæ Muſarum ſedi liberali donatione oblatam, haud ſpernenda acceſſione ex Bibliotheca Palatina augeret. Vocati ſunt, honeſtiſſimis conditionibus propoſitis, Viri, earum, quas quisque profitetur, ſcientiarum callentiſſimi, qui publice docendi munus obeant. Horum complures ineunte proximo ſemeſtri, quod a die Michaeli Archangelo ſacra auſpicari moris eſt, in urbe *Gottingenſi* Scholas ſuas aperient, novisque civibus facem præferent in omni genere diſciplinarum. Adſpiret cœptis Numen propitium, ut hæc quoque Academia in uberiorem cum Eccleſiæ, tum Reipublicæ, ſalutem, ex voto Potentiſſimi Conditoris, læta aſſurgat & effloreſcat.

EPISTOLA PLURIUM DOCTORUM E Societate Sorbonica ad Illuſtriſſimum Marchionem SCIPIONEM MAFFEJUM, de ratione Indicis Sorbonici, ſeu Bibliothecæ Alphabeticæ, quam adornant, ubi de Epiſtolis S. Auguſtini nuperrime & inventis, & editis.

Pariſiis, 1734, 4 maj.

Plag. $1\frac{1}{2}$.

Fructuoſiſſimum Opus parant Celeberrimi quidam Doctores ex Societate Sorbonica, *Salmonius*, *De Saint Aubin*, *De la Lande*, *Digaultrajus*, *De Villevielle*, cujus rationem ordinemque hac ipſa Epiſtola, quam Ill. Marchioni *Scipioni Maffejo*, præcipuo non ſolum Italiæ, verum etiam univerſæ Europæ, ornamento, conſecrarunt, diligentiſſime exponunt. Multa indigeſta, confuſa, & male ordinata Volumina ſub inventa typographia uſque ad noſtra tempora prodierunt, quæ *Analecta*, *Anecdota*, *Antidota*, *Micropresbytica*, *Hæreſiologias*, *Orthodoxographa*, *Theſauros*, *Supplementa*, *Opuſcula ſelecta*, *Bibliothecas Patrum*, *Annales*, *antiquas*

tiquas Lectiones, *Varia*, *Vitas*, *Acta*, *Homilias*, &c. ut nihil de *Græcis Orthodoxis*, de *Italiis ſacris*, de *Galliis Chriſtianis*, de *Sanctorum variis Editionibus*, de *Conciliorum Collectionibus*, dicant Compilatores, inſcripſerunt. Aliena hic occurrunt plurima, & importuno loco prorſus collocata, ut otioſiſſimo cuivis tantam ampliſſimorum Voluminum copiam evolvere, aut oculis ſaltem perluſtrare, vix liceat. Accedit aliud, illudque peſtilentiſſimum, malum, quod novi Editores, qui vel non legunt, vel non legere poſſunt, quæ prius edita ſunt, Opera, quæ dudum lucem adſpexerunt, tanquam nunquam edita recudenda curant, & hiſce operoſis Operibus magis onerant, quam ornant, Rempublicam literariam, veritatisque inquiſitionem longe difficiliorem reddunt. Tolerari hæc utcunque poſſent, niſi ſomnolenti & negligentes Editores ſcripta veris Autoribus abjudicarent, fallaces & ſpurios titulos libris præfigerent, mendoſe, mutile, lacereque cuncta ederent, doctis hominibus turpiter imponerent, feraciſſimisque erroribus infeliciſſimam præberent occaſionem. Naſcuntur ex hoc chao innumeræ Diſſertationes, Annotationes, Notæ, Obſervationes, in utramque partem redundantes, quibus impeditur & obruitur orbis literatus. Hæc cum unus ex Clariſſimis Viris, quorum nomina ſupra recitavimus, & quem Cel. *Salmonium*, Bibliothecæ Sorbonicæ Præfectum, fuiſſe, aliunde compertum habemus, probe ſapienterque perpendiſſet, non melius, non præſtantius, huic incommodo medium excogitari poſſe, ſtatuit, quam ſi *Index Generalis*, ſeu Bibliotheca conficeretur, in qua *Acta*, *Vitæ*, *Chronica*, *Hiſtoriæ*, *libri*, *Tractatus*, *Bullæ*, *Conſtitutiones*, *Decreta*, *Diſſertationes*, *Epiſtolæ*, *Diplomata*, *Chartæ*, *Fœdera*, *Liturgiæ*, *Sermones*, *Homiliæ*, *Opuſcula*, *Inſtrumenta*, cetera Monumenta, quæ hinc & inde diſperſa ſunt, & extra proprias ſuas ſedes evagantur, ordine Alphabetico ſub ſuorum Autorum nominibus indicarentur, citatis locis omnibus, in quibus, quaſi in tot ſepulchris, abdita huc usque jacuerunt. Sed, cum ſe unum non ſufficere videret tam vaſto diffuſoque Operi *Salmonius*, ceteros Viros erudi-

eruditissimos in laboris assumsit societatem, Indicem Generalem, quem ordinaverat, fundamenti loco posuit, & non pauca, quæ alii monebant, brevitatis, perspicuitatis, commoditatisque causa, mutavit. Indicis illius ope omnia instrumenta, Diplomata, facile unusquisque reperiet, &, ubi locorum delitescant, cognoscet. Ipsius ope, quicquid Dissertationum, Chronicorum, Tractatuum, Epistolarum, unquam editum est, editum esse constabit, diversæ illarum editiones, & quantum a se invicem discrepent, patescent. Ipsius ope errantia, & quasi in exilium missa Opera iterum in pristinas suas sedes revocabuntur, quæ non parum illustrabunt omnis generis Historiam, plurimos emendabunt errores, & nobilium familiarum Genealogiæ lucem accendent clarissimam. Ordinem hunc fere tenebunt Cl. Editores. Primo Autoris nomen decernent, rei exponent argumenta, loca omnia, ubi res exstat, citabunt, fragmenta, notas criticas, & si quis alicubi eadem de re disseruerat, indicabunt. Instrumentum, si sub falso nomine notum sit, sub illo ponent, & Lectorem ad verum ejus nomen remittent. Patrum scripta in quatuor Classes distribuent. In prima Opera eorum genuina; in altera dubia; in tertia supposititia, quorum Autores cognoscuntur; in quarta supposititia, quorum Autores ignorantur, collocabunt. Ad marginem e regione cujusque Articuli observabunt ordinem Chronologicum, quo scilicet quisque Autor tempore vixerit, quo floruerit; quo quisque Rex, quisque Imperator, quilibet Papa, creatus sit & mortuus; quo quodlibet datum sit Instrumentum. In fine Operis materiarum comparebit Index. Nunquam denique in toto Opere censorium supercilium ponent, at parce laudent atque molliter. Hujus sui laboris Specimina aliquot, & Fragmentum Epistolæ *S. Augustini* ad *Optatum*, prout exstat apud *Eugypium*, cum variantibus lectionibus, attulerunt. Nos animitus precamur Viris meritissimis propitia atque secunda fata, ut promissa sua implere, & utilissimum maximeque salutare Reipublicæ Literariæ Opus propediem evulgare queant.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris Anno MDCCXXXIV.

Westphälische Friedens-Handlungen und Geschichte, rc.

h. e.

ACTA PACIS WESTPHALICÆ PUBLICA.

Tomus primus, exhibens historiam annorum 1643, 1644 & 1645, certissimæ fidei monumentis innixam, quam composuit JO. GODOFREDUS DE MEIERN, Regis Magnæ Britann. & Electoris Brunsuico-Luneb. Consiliarius Aulæ & Cancellariæ.

Hannoveræ, apud Jo. Adolph. Gerckenium, 1734, fol. Alph. 10 pl. 19.

Quod jam dudum optavit publice *Sam. Rachelius*, ut *Acta Pacis Westphalicæ* (quæ pacificatio haud immerito in Dedicatione judicatur omnium pacificationum, quas habet Historia, maxima & magnificentissima,) *plene ederentur*, *plurimum quippe collatura ad Juris Publici Germanici exactam notitiam*, id nunc præstat Generosissimus, idemque Consultissimus, Autor noster, eaque re communem init eorum gratiam, quibus tractanda sunt negotia Germaniæ publica. Ut autem *Actis* hisce sua constet fides, sua autoritas, in Præfatione nominatim laudat thesauros illos, e quibus, quæ exhibet hic, singulari felicitate accepit. Ceterum facile sentiens, *Acto-*

rum horum, e monumentis MStis certiſſimæ fidei hauſtorum, ſimplicem repræſentationem minus gratam minusque utilem fore lectoribus, ſtatim animum induxit omnia redigere in ordinem Chronologicum ac hiſtoricum, juſtamque & perpetuam exhibere tanti momenti rerum actionumque narrationem. Quare *quinquaginta libris* incluſit materiam ſuam, quorum argumenta ſingulorum in hac Præfatione recenſet, addens, ſe ſtudioſiſſime retinuiſſe in hac ſua Hiſtoria ipſa Legatorum, quorum Commentariis uſus eſt, verba: ut ſcilicet ſincera ubique & ſuas duntaxat undas trahenti flumini ſimilis hiſtoria daretur in manus eruditorum. Maluit igitur, elegantiam orationis, quam ſuam fidem, deſiderari: atque adeo immutata exhibuit, quæ ſcripſerunt Legati ſermone quidem Germanico, ſed intertexta habenti Latina, Gallica & Italica vocabula. Ac arripit hanc occaſionem Nobiliſſ. Autor laudandi noſtram hanc ætatem, quæ & puritatis & elegantiæ ſermonis Germanici ſe præbet ſtudioſiſſimam: ipſiusque tum Dedicatio, tum Præfatio, inter luculenta hujus ſtudii exempla & ſpecimina referri meretur. Nec vero putes, Lector, quæ hic eduntur monumenta, ea jam edita eſſe ſparſim ab aliis. Imo vero pleraque, quæ hic reperis, nunquam viderant lucem, ſed latuerant in tabulariis, (*Archiva* vocant,) & nunc demum e denſis ſuis tenebris protrahuntur ad illuſtranda *Inſtrumenti pacis* capita, quæ hoc adjumento orbata multum retinent obſcuritatis, multumque negotii faceſſunt viris pragmaticis. Scias autem, Lector, etiam *Supplementa* hujus Operis in Præfationis exitu promitti ab Autore, ubi ſcilicet ex aliis Archivis alia pacis hujus acta ipſi fuerint ſuppeditata: qua quidem felicitate ſe uſurum, eo minus dubitat, quod jam duo ejus generis monumenta MSta a duobus ampliſſimis viris, quorum nomina grātus profert, accepit. Promittit item in trigeſima hujus Præfationis pagina, ſe, Opere hoc univerſo edito, emiſſurum *Acta executionis hujus pacis* e monumentis certiſſimis pariter ac rariſſimis. Denique *p. 39* pollicetur novam ac vulgata meliorem editionem *Relationis hiſtoricæ Pacificationis Oſnabrugo-Monaſterienſis*, quam ab *Adamo Adami* (qui ipſe iſti Pacificationi

cationi

cationi Legatus interfuit,) accuratissime confectam esse testatur: cujus & viri, parum adhuc cogniti, vitam & fata satis copiose hic persequitur.

Ceterum, uti Autor nulli operæ, nulli sumtui, pepercit, ut splendidum orbi daret Opus, & cum charta nitidissimum, tum literis figurisque magnificum, ita & Operi toti præfixit pulcherrimum oculiferium, ingenii *Kœnigiani* fœtum, & singulis libris præmisit aliquot æri incisos nummos, quibus cudendis occasionem pax illa Westphalica præbuit. Nec illud nobis prætereundum est, quinque hanc Præfationem habere Appendices, in earumque prima exhiberi Legatorum, qui huic pacificationi interfuerunt, nomina, quæ certe tam accurate nondum sunt a quoquam exhibita. Secundum locum tenent nomina effigiebus illorum Legatorum subscripta, quæ sunt omnium oculis expositæ in Curia Osnabrugensi. Tertio loco legitur *Vita Salvii*, Legati Suecici, primum edita in Germanicis *Actis Eruditorum*: quanquam Noster integrum cuivis de hoc libello permittit judicium, haud obscure prodenti sui Autoris malevolentiam. Quartum occupat locum scriptum ingeniosissime satyricum, quod in *Placciano Pseudonymorum Theatro n. 1478 Isaaco Volmaro*, Legato Cæsareo, tribuitur, Nostro autem judice, verius creditur profectum esse a *Jo. Balth. Schuppio.* En lepidum ejus libelluli titulum: *Bibliotheca Gallo-Suecica, sive Syllabus Operum selectorum, quibus Gallorum Suecorumque hac tempestate belli proferendi & pacis evertendæ studia publico exhibentur.* Denique Noster conspectui nostro subjicit quinque haud contemnendas *Tabulas* pacificatorias, quibus tanquam norma sua eo tempore usi sunt Legati Sueciæ.

Intremus age nunc ipsa hæc sacra, ita tamen, urgente nos brevitatis studio, ut, generatim expositis librorum argumentis singulorum, tum pauca quædam excerpamus, quæ visa nobis sunt memoratu digniora. *Primus* igitur *Liber* confirmat *Taciti* illud: *Tardiora sunt remedia, quam mala.* Cum enim tot partes adversæ tandem animum applicuissent ad pacem faciendam, tam lente tamen festinatum fuit in hoc negotio, ut primo perdiu exspectandus esset Legatorum de pace acturo-

 rum

rum adventus, deinde multum temporis ante elaberetur, quam Legati, qui convenerant, negotium ſibi mandatum ſerio aggrederentur. Hic *p. 12* dignæ lectu ſunt literæ *Salvii*, Sueciæ Legati ad Marchionem Baruthinum, A. 1643 datæ, e quibus cognoſcere licet, id Sueciæ & Galliæ Regibus fuiſſe propoſitum, ut hac in pacificatione Imperatoris poteſtas intra eos coerceretur limites, ut ampliora fierent jura Principum Germaniæ. *Pag. 38* Legatus Hiſpanicus in literis ad *Cranium*, Imperatoris Legatum, Monaſterio Osnabrugam ſe conferre juſſum, dolet, *ipſi vivendum nunc eſſe inter hæreticos & infenſiſſimos Catholicæ veritatis hoſtes.* *Pag. 69* fatentur Legati Cæſarei, prorſus neceſſe eſſe Imperatori pacem facere, cum & pecunia, nervo rei gerendæ, & copiis, deficiatur, ac præterea Principes illi, qui adhuc a Cæſaris partibus ſteterint, ob imbecillitatem ſuarum virium nihil aliud, quam pacem, ſpectent. *Libro ſecundo*, qui acta continet trium priorum menſium A. 1644, nondum pax ridet, ſed turbarum adhuc plena ſunt pleraque. Narratur enim hic initio, quantum impedimenti objecerit negotio pacificatorio novum bellum Dano illatum a Sueco. Deinde exponitur adventus Nuntii Apoſtolici & Legatorum Gallicorum, ceremoniæque, quibus poſt nonnullam diſceptationem excepti fuere. Hinc occurrunt Legatorum Gallicorum cum Hiſpanicis de ſuperiore loco concertationes, Electoralium item Legatorum cum Cæſareis diſputationes de certis ceremoniis, lites Legatorum de literis plenipotentiariis, turbæ denique, quas excitarunt literæ Legatorum Gallicorum circulares ad Ordines Imperii: ut omittamus Batavorum ſtudium, tantundem honoris ſuis Legatis tribui a Cæſareis volentium, quantum hi tribuerant Legatis Reipublicæ Venetorum. Hic *pag. 88 - 132* exſtat Programma (*Manifeſtum* vulgariter vocant,) Suecicum de bello contra Danum ſuſcepto, una cum Appendicibus, & *pag. 137 - 175* refutatio illius Manifeſti Danica. Quod utrumque ſcriptum hic recuſum eſt ob ſuam raritatem. Epiſtola, quam Gallici Legati miſerunt ad ſingulos Germaniæ Principes, *pag. 219 ſeq.* exhibetur: in qua Imperator accuſatur moliri abſolutum in univer-

ſam

Digitized by Google

ſam Germaniam' imperium, ac Principes exſtimulantur ad mittendos Monaſterium & Osnabrugam Legatos, ſuasque expromendas querimonias, certum accepturi auxilium a Legatis Galliæ ac Sueciæ. Quam huic Imperator oppoſuit longam ad eosdem Principes Epiſtolam, ea *pag.* 223 - 228 ſiſtitur, in qua *pag.* 227 Epiſtola Gallorum vocatur *libellus famoſus*. Exhibentur quoque *pag.* 228 - 247 animadverſiones cenſoriæ in illam Gallorum Epiſtolam, ſermone contextæ Belgico. *Pag.* 248 - 252 novum hujus argumenti ſcriptum Legatorum Regis Galliæ producitur. *Liber tertius* reliquorum A. 1644 menſium acta comprehendit. Occurrunt hic oculis noſtris novæ, eæque diuturnæ, lites de literis plenipotentiariis; liticula item inter Electorum & Imperatoris Legatos Electorales; lites de liberando a captivitate Electore Trevirenſi; lites Gallorum & Suecorum cum Imperatore de arceſſendis ad hanc pacificationem Principibus ceterisque ordinibus Germaniæ. Et, quanquam initium hic offendimus propoſitionum pacificatoriarum, tamen & has materiam præbuiſſe concertationibus, legimus. *Pag.* 263 *ſeq.* ſatis aculeatæ proferuntur Legatorum Suecorum literæ ad Imperatoris Legatos, in quibus hos accuſant protracti dilatique pacis negotii. *Pag.* 269 *ſeq.* exhibentur novæ Legatorum Galliæ literæ circulares ad Principes Imperii, Legatis Imperatoris ingratiſſimæ: quibus adjecta eſt ipſius Regis Galliæ Epiſtola ad Germaniæ Principes, in qua profitetur, ſe non niſi Legatis ipſorum ad pacificationem adhibitis acturum eſſe cum Imperatore de pace. *Pag.* 284 *ſeq.* literæ exſtant Electorum ad Imperatorem, quibus contendunt, ſuos Legatos non minus honorifice, quam Legatum Reipublicæ Venetæ, tractandos Osnabrugæ eſſe ab Imperatoris Legatis. Ac *pag.* 286 reſcribit Imperator, id ſe fieri velle a ſuis Legatis. *Pag.* 294 *ſeq.* proferuntur Principum ac ceterorum Ordinum Franconiæ argumenta, quibus docent, ſe ad hanc pacificationem adhiberi debere, & ita quidem, ut ſuas dicant de ſingulis pacis articulis ſententias. Annectitur *pag.* 300 *ſeq.* Appendix, ſpeciatim exhibens, quæ a Legatis Principum ſint hoc in conventu urgenda. *Pag.* 313 legimus Legatorum Suecicorum literas

Digitized by Google

teras ad Legatos Imperatoris, quibus profitentur, non ante pacis negotium ſe aggreſſuros, quam advenerint Legati Principum & civitatum Germaniæ. Idem cum urgerent *pag. 322* Legati Gallici, in contrarium diſputant *pag. 323 ſeq.* Cæſarei Legati, contendentes, Imperatorem ſine concurſu Ordinum Imperii hanc pacem facere poſſe, ac ſuo quidem jure. *Lampadius* vero, Legatus Brunſuicenſis, *pag. 327* aſſerit Ordinibus Imperii jus ſententiam dicendi in hoc pacis negotio, nec ferendi, ut excludantur. *Libro quarto*, qui acta dimidii prope anni 1645 exhibet, variæ enarrantur lites, ſcilicet de ceremoniis ac titulis honorariis, de modo conſultandi, de liberatione captivi Electoris Trevirenſis, de admittendis ad deliberationes de pace Ordinibus Imperii. Hic *pag. 340* Epiſtola exhibetur *Axeli Oxenſtirnæ* ad filium, Legatum Suecicum, in qua docet, in conventu hoc a Suecis Legatis urgendam eſſe reſtitutionem Germaniæ in ſtatum priſtinum, primario vero id ſpectandum, ut Pomerania redigatur in ditionem Suecorum. *Pag. 389 ſeq.* narratur, quomodo & quibus conditionibus e captivitate dimiſſus ſit Elector Trevirenſis. *Pag. 424 ſeq.* lis exponitur inter Legatos Venetos & Electorales de præcedentia, quam vocant. Ultimo vero hujus libri loco *pag. 430 ſeq.* jucunda piis lectoribus narratio exſtat de concordia inter Cæſareum & Gallicum Legatos firmata per ſacram cœnam, qua forte una utebantur. *Libro quinto* tandem aperitur prima ſcena negotii pacificatorii, & cetera quoque commemorantur, quæ A. 1645 Junio & Julio menſibus acciderunt. Proponuntur itaque hic a Galliæ Sueciæque Legatis articuli pacificatorii, jusque ſimul ſuffragii fortiter vindicatur Ordinibus Imperii. Et quidem *pag. 435 - 442* exhibetur Suecica *Propoſitio* cum Latine, tum Germanice: & *pag. 443 - 448 Propoſitio* Gallica ſermone tum Gallico, tum Latino. *Pag. 456 - 472* Legati Principum ſuis dominis aſſerunt jus ſuffragii; cumque contra tenderet *pag. 472 ſeq.* Legatus Moguntinus, *pag. 473 ſeq.* Brandenburgicus Legatus verba facit pro Ordinibus, hosque, quod juſtum ſit, poſtulare, docet. Quæ Legatus Noribergenſis protulit ad jus ſuffragii civitatibus Imperii fortiter ac luculentiſſimis

mis argumentis vindicandum, ea *pag. 479 - 495* legi poſſunt. *Libro ſexto duobusque ſequentibus* Acta continentur trium ſubſecutorum menſium, Auguſti, Septembris & Octobris. Omne vero hoc tempus adhuc tranſactum eſt partim concertationibus, partim deliberationibus de modo conſultandi, deque Ordinum Imperii jure ſuffragii hoc tempore exercendo. Libet hinc commemorare, quod *pag. 618 - 628* exhibeatur Germanice & Latine Imperatoria reſponſio ad Suecicam, quam ſupra diximus, Propoſitionem pacificatoriam, & *pag. 628 - 632* ad Propoſitionem Gallicam; *pag. 633 - 649* legatur Suecicum Inſtrumentum Pacis, cum Rege Daniæ A. 1645 menſe Auguſto factæ: id quod eo gratius Lectoribus futurum putat Generoſiſſimus Autor, quod nec in *Bæcleri Hiſtoria belli Sueco-Danici*, nec in *Schmauſii Corpore Juris Gentium*, id reperitur, in *Theatro* vero *Europæo*, itemque apud *Londorpium* & *Gaſtelium*, Germanica tantum ejus verſio occurrit, &, licet in *Dumontii Corpore Diplomatico* exhibeatur, multis tamen locis differt ab exemplari præſenti; *pag. 672 ſeq.* valde urgeant Galli admiſſionem Legatorum Haſſiacorum ad pacis negotia, vehementiſſime renitentibus Legatis Cæſareis; quodque hac ac ſimili de Magdeburgici Legati admiſſione lite pæne totus impleatur liber ſeptimus; *pag. 740 - 765* exhibeantur Monita Legatorum Ordinum Imperii Proteſtantium ad Propoſitiones ſupra dictas pacificatorias, Suecicam & Gallicam, itemque ad Reſponſionem Cæſaream utramque: quæ Monita jure *patriotica* ſtilo noſtræ ætatis vocari poſſunt; denique *pag. 765 - 871* legi poſſit continuatio deliberationum ab Ordinum Proteſtantium Legatis habitarum de pacis negotio. Verum definimus hic, & ceteros præclariſſimi Operis Tomos, quorum jam *ſecundum* prelo exiiſſe accepimus, avide exſpectamus.

HISTOIRE DE L'EGLISE GALLICANE,
i. e.
HISTORIA ECCLESIÆ GALLICÆ, Autore JACOBO LONGUEVAL, e Societate Jeſu.
Tomi IV.

Luto-

Lutetiæ, apud Franc. Montalantium, 1732, 4.
Alph. 14 pl. 4.

Dedicavit hoc Opus Rev. Autor univerſo Clero Galliæ, cujus juſſu & auſpiciis tantæ molis opus ſuſcepit elaborandum. In *Præfatione* vero docet, *primum* ſe eſſe conditorem Hiſtoriæ Galliæ Eccleſiaſticæ. Quod ſi quis objiciat ipſi *Cointii Annales Eccleſiaſticos Francorum*, eum cogitare jubet, *Cointium* non ſolum, quinque fere prioribus Seculis omiſſis, ab eo demum tempore, quo Franci occuparunt Galliam, laborem ſuum exorſum eſſe, ſed etiam in medio Seculo nono deſiiſſe: cum ipſe ab ovo, quod ajunt, rem repetat, hujusque Hiſtoriæ filum ad hæc noſtra uſque tempora ſit pertexturus. Præfationi ſubjicit Diſſertationem de religione & moribus Gallorum veterum, novem implentem folia. Verum, cum in his *Actis A. 1728 M. Jun. pag. 242 ſeq.* ampliſſimam hujus rei Hiſtoriam, a Cl. *Martino* compoſitam, & A. 1727 editam, recenſuerimus, non eſt, quod hic moremur. Ceterum Lectoribus noſtris nunc exhibemus quatuor priores hujus Operis Tomos, quorum quisque tribus Libris abſolvitur. Horum primus ab initio progreditur ad annum Chriſti 312; alter ad A. 395; tertius ad A. 434; quartus ad A. 476; quintus ad A. 533; ſextus ad A. 561; ſeptimus ad A. 584; octavus ad A. 602; nonus ad A. 647; decimus ad A. 700; undecimus ad A. 751; duodecimus ad A. 790. Singulis vero Tomis ſingulæ ſunt præfixæ Diſſertationes affinis argumenti: & primo quidem *pag. 42-46* de tempore illo Diſſertatio, quo radices egit Chriſtiana religio inter Gallos. Sentit hic Noſter, primo ſtatim Seculo per diſcipulos Apoſtolorum adhuc viventium, *Creſcentem* ac *Trophimum*, invectam eſſe Chriſtianam religionem in Galliam, ſed primis duobus Seculis non fuiſſe late diffuſam. Concedit igitur, quæ vulgo tradantur de fundatione plurium Eccleſiarum jam primo Seculo facta, eſſe perambiguæ fidei, meritoque hodie negari, primum Gallorum doctorem Chriſtianum fuiſſe *Dionyſium Areopagitam*. *Secundi Tomi* limen ornat Notitia Geographica antiquæ Galliæ, *19 paginis* abſoluta. *Tertio* præponitur Diſſer-

Diſſertatio *21 paginarum* de religione & moribus Francorum ante conditum regnum, itemque ſub duabus prioribus Regum Galliæ ſtirpibus. *Quarto* denique *Tomo* præmittitur Diſſertatio *paginarum 20* de *judiciis Dei*, quæ vocabant veteres. Accedimus ad ipſum corpus hiſtoricum, cujus initium facit Cl. Autor a *S. Pothino*, *Polycarpi* diſcipulo: quem credit a *Polycarpo* ſecum ductum fuiſſe Romam ad Epiſcopum *Anicetum*, & ab hoc miſſum in Galliam, datumque primum Epiſcopum Lugdunenſi civitati. In qua cum, *M. Antonio Philoſopho* imperante, exarſerit Chriſtianorum perſecutio, quæ Viennam quoque corripuit, utriusque Eccleſiæ Epiſtola de hac re, ab *Euſebio* ſervata, hic recitatur tota. *Irenæi*, qui *Pothino* ſucceſſit, tempore altera fuit agitata perſecutio, quam ita deſcribit Noſter, ut copioſius deſcribat *S. Symphoriani* martyrium. Eodem temporis tractu cum Gnoſtica hæreſis vitiarit religionem Gallorum, Noſter oppoſitum his *Irenæi* opus perſtudioſe recenſet, expoſitisque ejus argumentis, nec nævos erroresque ſancti viri præterit. Hinc reliquam ipſius vitam perſequitur una cum martyrio. Verum non eſt noſtræ brevitatis, ita pergere in Opere hoc hiſtorico. Satis igitur erit, docere, Cl. Autorem in primis Seculis maxime ſedulum ſe præbere in hiſtoriis exhibendis Martyrum: quæ cum ſæpius infirmo innitantur fundamento, facile credimus, lectores ex ipſis Pontificiis criticos non omnia ei aſſenſuros eſſe. Martyrium e. g. *legionis Thebææ* fabellis nunc adſcribitur ab eruditiſſimo quoque, ac meminimus, ſingularem hujus argumenti librum a nobis recenſeri in his *Actis A. 1706 pag. 308.* Noſter tamen *pag. 109 ſeq.* pluribus exponit hanc narrationem, ne mentionem quidem faciens, quod de ejus veritate a viris quibusdam acumine claris dubitetur. Nec vero nos tam duri ſumus, ut exigamus a doctiſſimo Autore noſtro aliam hiſtoriam, quam quæ ſacro illo ordine, cujus eſt Sodalis, & illa Eccleſia, cujus ſectator eſt, digna ſit. Quare nec mirum eſſe debet, in ceteris Seculis maximum ejus laborem verſari in eo, ut hiſtoriam Epiſcoporum & Abbatum hujus ævi, quorum nominibus ritu ſuæ Eccleſiæ venerabilem literam *S.* nuſquam non præfigit, deſcri-

 bat:

Digitized by Google

bat: ut adeo vere dixeris, in hoc Opere Sanctorum plena eſſe omnia, ſatisque hic iis fieri, qui lectitare geſtiant, quæ Sanctis illis vulgo tribuuntur, revelationes & miracula. Agit vero & haud mediocri diligentia de Scriptoribus Galliæ Eccleſiaſticis, ſingulisque eorum libris, ac, ut exemplum præſto ſit, *quarto* in *Libro* de *Salviano, Remigio, Eucherio, Arnobio* juniori, *Sidonio Apollinare, Claudiano Mamerto, Juliano Pomerio,* & *Fauſto Rejenſi*, eorumque Operibus, luculenter diſſerit. Jam, cum generatim indicaverimus totius hujus Operis argumenta, contenti fore videbuntur Lectores noſtri paucis & ſpeciminibus & obſervationibus. *Libro II pag. 178 ſeq.* enarrantur labores ab Eccleſia Galliæ ſuſcepti ad tollendum Schiſma *Donatianum*. Hic Rev. Autor, Arelatenſis Concilii ob id coacti mentionem faciens, quartum ejus canonem, in quo, *qui arma projiciunt in pace*, excommunicantur, ita interpretatur, ut putet, Chriſtianos milites, pace jam reddita Eccleſiæ per Imperatorem *Conſtantinum*, non debere detrectare militiam. Nobis vero alieniſſima videtur, quod pace doctiſſimi Viri dixerimus, hæc interpretatio: ac duo ſubſequentes canones, in quibus Eccleſia prohibentur aurigæ circenſes & actores comœdiarum, admonere ſatis perſpicue videntur, etiam tertio in canone ludicrum aliquod abrogari autoritate Eccleſiaſtica. Nec vero dubitandum nobis videtur, ſignificari illud ludicrum, quod in *Germania* ſua *Tacitus* hiſce verbis *Cap. 24* deſcribit: *Nudi juvenes inter gladios ſe atque infeſtas frameas ſaltu jaciunt:* addens, *audacis* hujus *laſciviæ pretium eſſe voluptatem ſpectantium.* Nam & a Gallis ludicrum hoc uſurpatum fuiſſe, e *Sidonio Apollinare* & *Nithardo* docet noviſſimus illuſtrator *Taciti*, Cl. *Dithmarus.* Illud addimus, a Cl. Autore noſtro exhiberi Concilii illius canones univerſos: qua occaſione docemus, idem ab eo fieri, quoties in Concilii alicujus Gallici mentionem incidit. *Pag. 211 ſeq.* deſcribit vitam & laudes *Hilarii Pictavienſis*, ac ſimul ſummam exhibet Operis ejus de Trinitate: quod cum Arianis potiſſimum ſit oppoſitum, etiam fata Arianæ hæreſeos Gallica exponit. De ceteris quoque *Hilarii* ſcriptis & factis ac fatis ampliore lectores impertitur notitia

titia uſque ad *pag. 294.* Vitam *Martini Turonenſis pag. 249 ſeq.* perſequitur, ducem ſecutus *Sulpicium Severum*, quem bonæ fidei Hiſtoricum eſſe, *pag. 308* contendit, diſſerens quoque de hujus vita ſcriptisque in libro ſubſequenti. Hiſtoriam *Priſcillianiſmi* fuſe tradit *pag. 323 ſeq.* In *tertio Libro pag. 365 ſeq.* ſtatum deſcribit Monaſteriorum Galliæ, maxime Lirinenſis. Recenſet item ſcripta *Caſſiani*, delatus hac occaſione ad hiſtoriam *Pelagianiſmi* ac *Semipelagianiſmi*, radices agentis in Gallia. Præcipua quoque hic tradit de *Hilario Arelatenſi*, quem, licet in doctrina de prædeſtinatione ab *Auguſtino* diſſenſerit, tamen *Semipelagianos* inter referendum eſſe negat *pag. 498.* Meminit etiam *pag. 536 ſeq. Vincentii Lirinenſis*, cujus e *Commonitorio* ea exhibet, quæ favent magnopere hodierno Catholiciſmo, *cujus eruditum defenſorem* eum vocat *pag. 539.* Quod *quarto* in *Libro pag. 8* de *S. Bricæo*, Epiſcopo Turonenſi, refert, dignum utique eſt, quod memoretur. An etiam dignum ſit, cui fides habeatur, alii judicabunt. Epiſcopi ſcilicet illius famula cum enixa eſſet puerum, ex ipſo eum ſuſcepiſſe a credula plebe putabatur: quæ tanto Epiſcopi ſui odio inflammabatur, ut obrutum eum vellet lapidibus. Is vero juſſum afferri infantem ita eſt affatus: *Mando tibi in nomine Chriſti, ut eloquaris, an ſim ego pater tuus.* Infans vix triginta dies natus reſpondebat: *Non.* Stolida plebs, miraculum non agnoſcens, jubebat Epiſcopum id quoque ex infante quærere, quodnam ſit nomen vero patri. Id cum facere renuiſſet, populus perſeveravit credere, Epiſcopum ſtupro ſe polluiſſe. Quare is alterum edidit miraculum. Geſtavit videlicet in veſte ſua prunas ardentes uſque ad *S. Martini* tumulum: quo delatus, conſpicuum fecit omnibus, non eſſe peruſtam veſtem ſuam. Verum nec hoc miraculo motus popellus Turonenſis abdicavit eum ſacro munere, aliumque elegit Epiſcopum. Quo facto, Romam ſe contulit *Bricæus*, ubi poſt ſeptem demum annos agnita fuit ipſius innocentia a Papa *Sixto III*, ejusdem quondam reo criminis: qui eum ad Turones remiſit, a quibus non ſolum receptus, verum etiam Divorum poſtea in numerum relatus eſt. Eodem hoc in li-

bro legas *S. Germani* & *S. Genovefæ* valde mira miracula. In *Libro quinto pag. 231* delatus Noſter ad unctionem baptiſmalem *Chlodovæi*, obſervat, Criticos celebratiſſimam illam de *ampulla Rhemenſi* fabulam ideo pro commentitia habere, quod Scriptores illius ævi, qui baptiſmum iſtius Regis commemorarunt, alto miraculum hoc prætereant ſilentio. Noſter, ut & Criticis & traditionis hujus patronis gratificetur, poſtquam ex vetere quodam libro retulit, *S. Remigium* aliquando, cum ægrotum hominem eſſet baptizaturus, ac non eſſet in promtu chriſma, miraculoſe produxiſſe oleum, putat, de hoc ipſo oleo poſtmodum unctum fuiſſe *Chlodovæum*. Cum igitur hoc oleum non tum demum, cum Rex baptizandus erat, ſed diu ante creaſſet *S. Remigius*, hinc factum eſſe, ut id referendum non ducerent Hiſtorici, qui ſcripſerunt de Regis hujus baptiſmo. Egregia vero ratio defendendi fabulam & populo placentem & Principibus glorioſam. *Libro ſexto pag. 424* laudatur *S. Papula*, quæ, cum a parentibus vetaretur fieri monialis, facta eſt monachus, hoc eſt, induta veſte virili triginta annos vixit inter monachos, tertioque demum ante mortem ſuam die id aperuit, velleque ſe dixit ſepeliri inter mulieres. Extraordinarium hunc vitæ monaſticæ amorem Deo gratum fuiſſe, ex eo concludit Noſter, quod poſt mortem multa patrarit in eos, a quibus invocata fuit, miracula. *Pag. 483 ſeq.* agit de adventu *S. Mauri*, cujus Congregatio nunc tanta verſatur in celebritate, & ſociorum ejus in Gallia. Addit vero, *Vitam* S *Mauri*, cui pleraque de eo narratio innitatur, nulla eſſe fide dignam. In *ſeptimo Libro* nihil uberius tractatur, quam hiſtoria Regis *Chilperici*, & *Gregorii*, Epiſcopi Turonenſis: quorum in illo plus juſto vituperaſſe, in hoc plus juſto laudaſſe, nonnullis videbitur. Sequens quoque *Liber* de hoc *Gregorio* multa habet: in quo & ſcripta ejus recenſentur, adjecto judicio. In *Libro octavo* lectu dignum eſt *bellum virginale*, quod ſexto Seculo exarſit in Gallia. Scilicet in monaſterio quodam Pictavienſi erant ſanctitati dicatæ duæ regio ſanguine ortæ virgines, altera *Chariberti*, altera *Chilperici* filia, vitæ hoc genus ſubire coactæ repugnante genio. Mortua paulo

poſt

poſt Abbatiſſa, cum neutra earum id muneris ac honoris adipiſceretur, ſed quædam genere humilior præficeretur ſacrato virginum choro, huic, aſperius etiam imperanti, parere ſunt dedignatæ. Imo, in ſocietatem adſcitis quadraginta ejusdem cœnobii virginibus, exceſſerunt, evaſerunt, eruperunt, delatæque ſunt pedites Calendis Martiis anni 589 in urbem Turonum, ejusque Epiſcopo *Gregorio* nuntiarunt, ſe ad Reges ituras, ſuasque expoſituras eſſe de Abbatiſſa querelas. Adhortabatur eas ad reditum *Gregorius*, ſed nequidquam. Nam altera regalium virginum, nomine *Chrodieldis*, pergebat in aulam Regis *Guntbramni*, avunculi ſui: qui ſtatim aliquot Epiſcopos jubebat id rei examini ſuo ſubjicere. Interim nonnullæ ſacrarum ſororum, quas in urbe Turonum *Chrodieldis* reliquerat, matrimonium inierant: quod exemplum ne ſequerentur plures, ipſa illuc rediit, ceterasque ſecum reduxit Pictavium: ubi adſciti cuſtodiæ cauſa milites multa commiſerunt duce *Chrodieldi* facinora. Quo facto, Metropolitanus reverti in ſuum monaſterium renuentes ſtrenue excommunicavit. Hæ vero & hunc & ceteros Epiſcopos aggreſſæ, humi proſtraverunt, & pugnis contuderunt maxime virilibus, ſimilique modo clericos ceteros, Epiſcoporum comites, mulcarunt. Quæ res tantum pavoris tantumque pudoris incuſſit Epiſcopis, ut non ſolum templo, in quo id accidebat, ſed ipſa urbe, ſine mora evolarent. Hinc herois illa, *Chrodieldis*, diripiebat bona monaſterii, dictitans, ſi expugnaret monaſterium, Abbatiſſam e feneſtra dejectum iri. Ceterum, quantum Epiſcopi damnabant facta hæc, tantum ea excuſabant alii. Brevi poſt *Chrodieldis* milites ſuos juſſit Abbatiſſam adverſariam e monaſterio vi extrahere, atque ad ſe deducere: idque noctu factum eſt. Epiſcopus Pictavienſis non unius generis minis permovere eam ſtudebat, ut liberam dimitteret Abbatiſſam captivam. Hunc cum illa non audiret, dolo quodam libertatem recuperare contigit Abbatiſſæ. Tum vero acerbum rurſus exortum eſt bellum inter *Chrodieldin* & Abbatiſſam. Milites utraque ex parte virginibus ducibus faciebant cædes. Tandem *Chrodieldis* potita eſt monaſterii. Reges duo, *Childebertus* & *Gun-*

Guntbramnus, in id incumbebant, ut bello huic muliebri finem imponerent. Cetera hujus belli (nam longa eſt fabula, longæ ambages,) prætermittimus, ſatis habentes, ſitim legendi accendiſſe. Deſcribitur præterea hoc in libro hiſtoria *S. Columbani*, eumque claudit narratio de *S. Victore*, uno e Martyribus legionis *Thebææ*. Sepultus is erat in templo quodam Genevenſi. Cum vero locus ſepulchri ignotus eſſet omnibus, Deus *Hicconio* cuidam id loci revelavit. Eo igitur indicante cum loculus, in quo Martyr jacebat, eſſet apertus, facies Martyris tam vivida & rubicunda erat, ut crederes, hominem vivere. Colebat igitur Eccleſia Genevenſis Sanctum hunc, & quidem eo impenſius, quo plura patrabantur ad ejus ſepulchrum miracula. Jubet igitur Rev. Autor hodiernos Genevenſes erubeſcere, quorum quippe ſententia a cultu reliquiarum uſque adeo eſt remota. *Nono* in *Libro* pertexitur hiſtoria de *S. Columbani* factis & revelationibus & miraculis: itemque de *S. Amando*, deque *S. Eligio*: quorum hiſtoria continuatur in libro proximo, ubi & de ſcriptis *Eligii* fit mentio. Sed nolumus de hiſce aliisque Sanctis eſſe longi, ne tædium creemus iis, qui illibenter legunt narrationes de iis, quos non niſi religio ſuæ ætatis & ſanctos & claros fecit. *Undecimus Liber* de *S. Bonifacio* continet permulta. Hic etiam *pag.* 273 Noſter ingenue explodit fabulam a plurimis, imo etiam ab aliquot Conciliis, creditam, qua fertur *Carolus Martellus* a Sancto quodam conſpectus eſſe in ſedibus infernis, ideo, quod non peperciſſet tempore neceſſitatis bellicæ bonis Eccleſiaſticis: creditque, propterea Clericis adeo arriſiſſe hanc fabellam, quod ea valere videbatur ad abſterrendos Principes ab invaſione bonorum ſacrorum. Poſtremi Libri, qui *duodecimus* eſt, maximam partem implent res geſtæ *Caroli M.* non tamen univerſæ. Pars enim earum magna reſervatur Libro ſubſecuturo.

SANCTORUM VINCENTII LIRINENSIS & HILARII ARELATENSIS Opera, ad MStos Codices inſigniores que Editiones recognita, ac Notis Ob-

ſer-

ſervationibusque illuſtrata a D. JOANNE SALINAS, Neapolitano, Can. Reg. Lat. ac S. Theol. Lectore, ad Sanctiſſ. Patrem, CLEMENTEM XII, Pontif. Max.

Romæ, typis Jo. Zempel, 1731, 8.
Plag. 13½.

Uterque Patrum, quorum ſcripta nitidiſſime recuſa, egregiisque Notis criticis exornata, denuntiamus, id habet eximii, ut doctrinæ Chriſtianæ publicæ, qualis ea ineunte ac medio Seculo quinto fuit, teſtimonia & ſpecimina inde innoteſcant luculentiſſima. Qui *Godofredi Arnoldi* hominumque ejusdem generis Hiſtorias Eccleſiaſticas, & in primis defenſiones pro eis ſuſceptas, cum fontibus ejusmodi conferunt, næ illi lupina imaginariis relinquunt fictionibus, ac æra ſibi reſervant. Ii certe hæretici, qui *Vincentii* ætate & paulo ante eam floruerunt, ſeu potius caligarunt, eas impotenti ac importuno animo propugnare annixi ſunt ſententias, quæ & clariſſimis divinioris Scripturæ oraculis, & complexui doctrinarum inde conformato, & conſenſioni confirmatæ, e diametro obſtiterunt. Optimo igitur conſilio Rev. Autor Scriptores illuſtres, qui doctrinarum divinarum & vitæ purioris diſciplinam commendarunt, denuo editos cum orbe literato communicavit, Pontificique Maximo Romano, *Clementi XII*, inſcripſit, quem a ſtudio antiquitatis Eccleſiaſticæ, a prudentia hierarchica, ceterisque virtutibus ſummis, collaudat. Formulam Dedicationis excipit *Admonitio* Autoris in *Commonitorium Vincentii*. In qua Autor promittit *Diſſertationem Apologeticam*, qua, ſe Viri ſancti honorem tuiturum, pronuntiat. Optima *Vincentii* Editio fuerat ea, quam *Steph. Baluzius* ad duorum Codicum Bibliothecæ Regiæ fidem Pariſiis una cum *Salviano* A. 1669 fecerat publici juris. Hunc ducem ſecutus eſt Noſter, Notasque tales adjecit, quæ laborem diligentiamque deſiderarunt. Capitum diſtinctio, a *Baluzio* ſublata, hic fuit repoſita, ut allegationibus majorum examinandis eſſet locus. Malle-

Mallemus tamen, scriptorem & eruditum & humanum manes *Dallæi* ac *Calixti* omisisse intactos. Datum enim esse aliquid affectui, patescit ex verbis: *De doctrina S. Viri circa traditiones alibi differemus contra Joannem Dallæum ac Georgium Callixtum,* (lege: *Calixtum,*) *Lutheranæ familiæ hominem, qui Helmstadii periit* (lege: Helmstadii placide obiit). *Hic enim recensuit ediditque Commonitorium anno Chr. 1649.* In Dissertatione, a *Calixto* adjecta, multum nervorum deprehenderant *Hottingerus, Hugo Grotius,* ac *Isaacus Casaubonus*: primus in *Bibliothecario quadripartito pag.* 27 edit. Tigur. 1664; secundus in *Discussione Apologetici Rivetiani*; tertius in *Epistola ad Cardinalem Perronium.* Eam ob causam Autor proxime Dissertationem *Calixti* sub examen vocabit, & quidem, uti spondet, & nos vehementer optamus, animo ab omnibus præjudiciis immuni. *Vincentius*, ab insula *Lirino*, nunc *S. Honorati*, dictus, *Commonitoria duo* scripsit: prius exstat integrum; posterius intercidit, excepta sola conclusione,

Pag. 89. quæ summam in utroque traditorum complectitur. *Vincentius*, canonem solum ad universa dogmata divina percipienda & defendenda sufficere, docet. *Traditionem* vero canoni Scripturæ adjiciendam, existimat, ad notitiam sensus dictorum receptissimi comparandam, *in iis duntaxat præcipue quæstionibus, quibus fundamenta totius catholici dogmatis nituntur.* Character veræ Catholicæ Ecclesiæ constituitur in eo, *ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.* Hoc teneri, si sequamur *universitatem, antiquita-*

7. *tem, consensionem.* Character falsæ Ecclesiæ ponitur a *Vincentio* in tribus momentis: 1) si qua se Ecclesiæ particula ab universalis fidei communione (adde: citra causam legitimam) præciderit; 2) in novitate sententiarum ac doctrinarum; 3) in dissensione a sententiis majorum. Quodsi ea Ecclesia est vera, quæ a sententiis, *Vincentio* probatis, haud discrepat; tum omnino Ecclesia Protestantium est vera, siquidem nemo non fatetur, Ecclesiam quinque Seculorum primorum a fundamento fidei haud recessisse. Ac e contrario ea Ecclesia visibilis non erit vere talis, quæ a traditione, tum recepta,

&

& catholice approbata, diſceſſit. Hoc præjudicio ſeu argumento *κατ' ἄνθρωπον Georgius Calixtus* uſus eſt, ad labem novitatis ab Eccleſia Proteſtantium propulſandam. Qua occaſione inter ipſos Evangelicos cœpit controverſia de conſenſu quinqueſeculari, principio fidei ſecundario. Utrinque ad extrema itum, donec tæderet litigantes temporis minus commode collocati. Dabimus porro nonnulla ex Animadverſionibus *D. Joannis Salinas*, paſſim adſperſis. *Commonitorium* a *Vincentio* adhibitum pro adverſariis, ad ſublevandam memoriam conſcriptis, licet ea ætate vox ea notaret mandata, Legatis ſcripto data. Ad vocem *catholicus* notatur proprietas, per quam Eccleſia intelligitur eſſe diffuſa per totum orbem, non in terræ coarctata particulam, vel angulum parvæ regionis. Adduntur ſtricturæ in diſſentientes ab Eccleſia Romana, quibus cognomen *hæreticorum* & *vanitas* attribuitur. Dandum enim erat aliquid imbibitæ opinioni, domicilio, ordini aſſumto, autoritati Pontificis ſummi, cui liber fuit conſecratus. Succurrit enim alias canon: *Magis & minus non variant ſpeciem. Optatus Lib. II* de Schiſm. Donatiſt. *n. 1 catholicum* exponit non ſolum per *ubique diffuſum*, ſed & per *rationabile*. Vocem catholici eſſe *honorificam, & ſpem ſalutis complecti*, largientur ii, qui voce externa & vocabulo ſalutem æternam metiuntur. Ubinam vero erat illud *univerſale*, cum totus orbis, teſte *Hieronymo*, miraretur, ſeſe tam ſubito factum eſſe *Arianum*? *Optati* lapſus conceditur circa originem *Donatiſmi*, Romæ damnati. *Vincentius §. 6. Conſtantium* ab *Arianis* ad conſenſionem pertractum eſſe, refert. *Gregorius Nazianzenus Invectiva I in Julianum*, Imperatorem purgat, aulicos accuſat. Alter igitur erravit. Veſtes pullæ olim impoſitæ ſunt viduis, virginibus, pœnitentibus. *Conſtantius* in frontibus Epiſcoporum ad metalla damnatorum titulum damnationis ſcribi juſſit. Mediolanenſem Eccleſiam reddidit Metropolitanam prædicatio *Ambroſii*, qua ſinceram fidem contra *Arianos* defendit. *Cyprianus*, Romanæ Eccleſiæ judicio Sanctus, lapſus eſt circa hæreticorum baptiſma. Romani ſcilicet Pontifices largiuntur, miniſtros hæreticorum ſacros re-

Marginal page references: Pag. 5. (beside "bus D. Joannis Salinas"); 7. (beside "tis ſcripto data"); 8. (beside "ctum eſſe Arianum"); 11. (beside "Arianis ad conſenſionem"); 12. (beside "poſitæ ſunt viduis"); 13. (beside "mnationis ſcribi juſſit"); 15. (beside "Metropolitanam"); 18. (beside "contra Arianos").

miſſionem peccatorum beneficio baptiſmi poſſe conferre, nec
Pag. 22. omne eorum miniſterium efficacia carere. Notatur *Joannes*
Clericus nomine acerbitatis, in ſanctos Eccleſiæ Patres ef-
31. fuſæ. *Neſtorius* gloriam unice quæſivit in exſtirpandis hære-
34. ticis, ipſe ſimilem in luem dein prolapſus. *Apollinaris*, pater
& filius, Laodiceæ a communione ſemoti, incertum, qua de
7. cauſa. *Leontius* & *Dionyſius Petavius* falſo crediderunt,
Apollinarem non erraſſe circa Trinitatem. *Ariani* quandam
42. Chriſto tribuerunt divinitatem, eamque fuiſſe inſtar animæ,
50 ſeq. docuerunt. *Origenes* cicutam adhibuit genitalibus, exemplo
hierophantarum Athenienſium, ad compeſcendam libidinem;
nequaquam ſeſe caſtrandum dedit. Factum ipſe ſerio, licet
ſero, damnavit ad *Matth. XIX, 12.* *Amarus eruditæ antiqui-*
52 ſeq. *tatis cenſor Joannes Clericus*, ita enim hic vocatur, *Hierony-*
55 ſeq. *mo* fruſtra objecit linguæ Hebraicæ imperitiam. *Philippus*,
Imperator, an fuerit Chriſtianus, breviter diſquiritur. *Orige-*
56. *nes* fuit geminus, ſolicite diſtinguendus. *Origenes* allegoriſta
excuſatur, quippe qui literalem Scripturæ ſenſum accurate ex-
poſuerit. *Tertullianus*, adactus invidia & contumeliis Clericorum
60. Romanæ Eccleſiæ, qui eum ultra presbyterii gradum adſcen-
dere nolebant, ad *Montani* dogma eſt delapſus. *Clericus* re-
71. prehenditur, qui voces *transſubſtantiationis*, *conſubſtantia-*
lis &c. culpaverat. *Novatianus* & *Tertullianus* docuerunt,
74. peccata, in ſolum Deum admiſſa, ab hominibus remitti non
poſſe. *Simon Magus* idem ſenſit ac nuper *Tuchtfeldius*
75. quidam, videlicet aſtris angelisque homines naturali-
ter eſſe obnoxios & penitus ſubjectos. De *Juliano, Pe-*
87. *lagii* ſectatore, afferuntur paucula. Defenditur *Cyrillus*
91 ſeq. contra *Clericum*. Hic enim *Neſtorio* preſſerat pollicem,
& *Cyrillum* pronuntiarat judicem in Synodo Epheſina ini-
quum. Si Cl. *Saligii* Apologiam *Neſtorii* vidiſſet Autor, ei
certe non peperciſſet. *Vincentius Neſtorium* vocat *impium*
& catholicæ vetuſtati contrarium, Cyrillum vero *ſacroſanctæ*
antiquitati conſentaneum. Ipſe interfuit rebus multis, tum
94 ſeq. nomine eo geſtis ac ſcriptis. De proxima editione Operum
Theophili Alexandrini ſolicitum eſſe *D. Franciſcum Paccam*,
ex

ex Autore diſcimus, qui eruditos rogat, ut ad optimum Virum, Romæ commorantem, ipſi mittant, ſi quid ex Opuſculis *Theophili* in angulis foruliſque Bibliothecarum adinvenerint. Opuſculis *Hilarii* Arelatenſis præmittuntur teſtimonia veterum, & admonitio Autoris de libris fabuloſis, quibus *Vita Honorati* continetur. *Vita S. Honorati, Epiſcopi Arelatenſis*, genuinus *Hilarii*, Epiſcopi Arelatenſis, eſt fœtus. *Honoratus* patre Romano natus fuit in Galliis. Pag. 123. Arelatenſem reddidit eum *Baronius*. At ei ſententiæ *D. Salinas* opponit firmiſſimas rationes. De *Eucherio* conſulatur nota *pag. 154 ſeq.* Epiſtola *Hilarii* ad eum ſubnectitur *pag. 179 ſeq.* 139. Variantium lectionum inſignis apparatus contextui *Hilariano* apparet appoſitus. Sequitur *Admonitio in Opuſcula, quæ S. Hilario adſcribuntur.* 181 ſeq. Promittit Autor S. Rev. *Diſſertationem Apologeticam*, in qua in doctrinam *Hilarii* ſit inquiſiturus, ac *Carmen de Providentia*, quod *Hilarii* eſſe negat, editurus. Hic ſimul eduntur 1) *Heroicum Carmen de ſeptem fratribus Machabæis*, ab Antiocho interfectis: 2) *Metrum in Geneſin, Leoni Papæ nuncupatum:* 3) *Narratio miraculi de S. Geneſio.* 189 Probabiliter hæc ſunt *Hilarii* Opera, certe primum. De *Geneſiis* quinque ſubtexuntur paucula. 207. Apprecamur S. Rev. Autori vires, promiſſis pares, & vegetas. De cetero non poſſumus, quin hic repetamus, ex *Petri Saxii Pontificio Arelatenſi*, quod B. *Jo. Burch. Menckenius Tom. I Script. rer. Germ. & Saxon.* edidit, addiſci poſſe non pauca de *S. Honorato* ex *pag. 139 ſeq.* & de *Hilario* ex *paginis 141—155.*

VETUS LATIUM PROFANUM. TOMUS quintus, in quo agitur de Lanuvinis & Ardeatibus, Autore JOSEPHO ROCCO VULPIO, Soc. Jeſ. Sacerd.

Patavii, typis Joſephi Comini, 1732, 4. Alph. 1½, Tabb. æn. 16.

Digitized by Google

Italiam inſtar fontis perennis non niſi elegantiam & doctrinam in hunc uſque diem ſcaturire, vel continuatum hoc Opus, ſi id aliunde non ſatis conſtaret, luculentiſſime demonſtraret. Tomus hic Eminentiſſ. Principi, *Joſepho Renato Imperiali*, Cardinali, inſcriptus apparet, ſuaſu *Petri Marcellini Corradini*, æque Cardinalis, qui primus laborem hunc Autori ſuſcipiendum perſuaſerat. Cynthianum ſcilicet, deliciæ purpurati Conſiliarii *Imperialis*, eſt pars agri olim Lanuvini. De veteri Latio Librum ſeptimum & octavum hic tandem accipimus mente gratiſſima. Autor rudera & reliquias veterum locorum ipſe oculis ſuis penſiculate introſpexit, & eas figuris, æri quam accuratiſſime inciſis, repræſentavit. Permulti lapides Lanuvini ſenatus populique, & rudera ac monumenta templi Junonis Soſpitæ Lanuvinæ hic oculis ſubjiciuntur una cum ſuis inſcriptionibus nummisque. Lanuvium exſtitit juxta viam Appiam, poſt Ariciam euntibus Roma Capuam, ubi nunc oppidulum *civita Lavinia*, ſeu *della Vigna*, ſive *Indovina*, jacet.
Pag. 9. Conf. *Horatius Lib. III Od. 27*, ubi *parra* eſt avicula, Italis dicta *parruzola*, & *ravus* eſt *ſubfulvus*. Villula *ſub Lanuvio* nunc dicitur *di San Gennaro*, forum olim rerum venalium.
10. *Cicero* ad *Atticum Lib. XIV Ep. 5* & tabulæ veteres Itinerariæ locum hunc habent, alias incognitum. Origo Lanuvii incer-
17. ta. Urbs fuit nominis Latini. Anno, qui *M. Manlii* mortem ſecutus eſt, Lanuvini, antea Romanis fideliſſimi, cum Latinis defecerunt, a *Manio* fuſi, pauloque poſt Romana civitate donati ſunt, & municipes dicti. In rebus belli Punici ſecundi anguſtis egregia fuit eorum virtus. Apud *Silium Lib. XIII*
19. legendum eſt: *Lanuvio generate — — Milo.* Codices typis deſcripti habent *Lavinio* plerique, quos lex metri refellit. Co-
21. lonia dein Lanuvium ducta. Tempus huc uſque latet. *Marius* muros evertit. *C. Cæſar*, Dictator, muros & jus coloniæ reddidit. Auxit *Auguſtus*, partemque virginibus veſtalibus attribuit. *Hadrianus* denuo acceſſionem adjunxit. Curator
29. ei, Romæ autoritate pollens, additus. Exſtitit ibi templum Jovis Soſpitatoris & Jugi, Martis Paciferi & Victoris, Apollinis, Mercurii, Veſtæ, Vertumni & Cereris frugiferæ, Robi-

gi,

Digitized by Google

gi, qui rubiginem a frugibus avertere credebatur, præcipue Junonis Soſpitæ, cui Caput quartum inſcriptum. *Ælianus Lib. XI Cap. 16 de Animalibus* tribuit Lavinio templum Junonis Argolidis per errorem; nam id Noſter Lanuvio vindicat. Ju- Pag. 37.
no Lanuvina, pelle caprina caput protegi ſolita, *Magna Regina* fuit dicta. De reliquis Junonis cognominibus & cultu hic attexuntur haud proletaria. Ilithyjam, quæ eſt vel ipſa Juno Lucina, vel ejus pediſſequa & miniſtra, ex ἱλάω, *placo*, dictam 44.
fuiſſe, Autori non facile largientur, qui *Seldeni* Librum de Diis Syris legerunt. *Redemtores operum publicorum* appellaban- 85.
tur ii, qui ærario publico ſummam aliquam pecuniæ pendebant. Amphitheatrum Lanuvinum, olim celebratiſſimum, o- 87.
ſtentat adhuc ſui rudera. De campo Solonio, Lanuvinis vici- 96 ſeq.
no, Autor ſolide diſſerit. Dein ad familias Lanuvinas, Romæ illuſtres, commemorandas deſcendit, Cornuficiam, aliasque. In nummo, quem *Tab. XI Fig. 1 ſeq.* Autor profert, *Q. Cornuficius* Augur & Imperator, Proconſul Africæ veteris, occurrit. In antica cornutum Jovis Ammonis caput Africam deſignat; in poſtica occurrit Junonis Soſpitæ Lanuvinæ effigies, caput pelle & corni- 101.
bus caprinis protectæ, calceis repandis de more, ſiniſtra ſcutum gerentis, cui inſigne fulmen quadriſulcum, dextra coronam ex frondibus imponentis Auguri. Eadem Junonis Lanuvinæ effigies in pluribus præterea nummis conſpicitur. Ipſi enim Junoni, Augure præſente, capra ad aram immolari conſueverat. Junonem, opinamur, in terris reginam olim, pelle caprina fuiſſe amictam. Unde ritus geſtaminis in nummis. Per- 151.
gimus ad Librum nonum, Ardeatibus inſcriptum, Lanuvio vicinis. Ardea olim Rutulorum urbs princeps. *Rutulo* occiſo, oppidum a Latinis captum. *Cybele*, magna mater Deum, ibi peculiari templo & ſacerdotio culta, de qua hic copioſe ex- 208.
ponitur. Effigies ejus *lapis*, quem ex Peſſinunte, Phrygum oppido, Romani in urbem ſuam arceſſiverant ingenti cum 211 ſeq.
pompa, copioſa hic perſunditur expoſitione. De Tauroboliis & Crioboliis, adhuc ſub Imperatoribus *Valente* & *Valentiniano* durantibus, de villis prædiisque Ardeatinis, de fonte Juturna & Juturnalibus, de amne Numicio, de via Ardeatina a 222.

Digitized by Google

Capena Romæ porta procurrente, quæ *Horatio* dicitur *via Numici*, de monumentis Martyrum ad Ardeam olim expreſſis, aliisque memoratu dignis, Rev. Autor producit non contemnenda, ac tandem Indice accurato Tomum hunc, Deo dante, claudit, ſpem ingerens de *Latio ſacro* a ſeſe proxime edendo, quod Opus merito avemus a manu tam docta videre elaboratum. Prædicamus nitorem chartæ & impreſſarum formarum, doctrinam incomparabilem, ſtilum planum purumque ac elegantem, methodum nativam, & induſtriam undique elucentem. Quæ ſingula ita comparata ſunt, ut jure ſuo Lectoribus moveant ſalivam, deſideriumque, Opus ipſum attente lectitandi, accendant.

THE ANATOMY OF THE HUMANE BONES,

h. e.

ANATOMIA OSSIUM HUMANORUM;
Autore ALEXANDRO MONRO, *Profeſſore Anatomiæ in Academia Edimburgenſi, & Regiæ Societ. Socio.*

Pars I & II.

Edimburgi, typis T. & W. Ruddimans, 1732, 8.

Alph. 1.

Autorem hujus Opuſculi ſe profitetur *Alexander Monro*, in Academia Edimburgenſi Profeſſor, & Regiæ Societatis Socius, in annexa & paulo poſt ſubſecutura de nervis & reciproco cordis motu Tractatione, qui, ut Anatomiæ *Cheſeldenianæ* in hac materia incaſſum expectatæ defectum ſuppleret, de ſtructura oſſium ſermonem ad diſcipulos inſtituit, locupletem rebus ad mentem neotericorum compoſitis. Si quæ jam cognita ſunt, fuſius hoc in loco recenſere nolumus. Perioſteum a dura matre originem trahere, longa ſatis via aſſerit quoad alterum membranaceum ſtratum, cum alterum a muſcularibus fibris derivandum ſit. Color oſ-

ſium

ſium in adultis ad albedinem accedens, in junioribus ob vaſorum ſanguiferorum pelluciditatem cæruleo propior eſt. Nervi, qui per univerſam oſſium compagem hinc inde diſtribuuntur, ſenſu eadem carere, negant, cujus rei fidem facit excreſcentia carnoſæ materiæ ex oſſibus maxime ſenſilis poſt trepanationem vel exfoliationem. Equidem epiphyſes oſſium ſeſe mutuo attingentium in libertate motus verſari debent, interim affectus præternaturalis anchyloſis ſeu oſſium articulatorum vera concretio rara non eſt, cum cartilagines, quibus articulationes conficiuntur, in oſſeam naturam degenerare haud raro ſoleant, prout in larynge adultorum haud obſcure apparet. Quod articulationem oſſium attinet, parum differt Autor in enarthroſeon, diarthroſeon aut amphiarthroſeon, ut Cl. *Winslow* termino utamur, declaratione. Singularis tamen induſtriæ ſpecimen edit in triplici ginglymi, quo oſſa & ſuſcipiunt & ſuſcipiuntur, diviſione, cujus primam ſpeciem appellat trochoidem, quando oſſa, ut radius circa axin, vertuntur, prout in occipitis cum ſecunda colli vertebra articulatione apparet; alteram *Baker's proximum* barbaro & hermaphroditico termino, rectus enarthrodicum, quando communi ligamento & eminentes & depreſſæ articulationis apophyſes continentur, cum pleniore motus libertate, quam alioquin in ginglymis eſſe ſolet, prout in articulatione ulnæ & radii aut femoris & tibiæ oſſium; tertiæ ginglymi ſpeciei nomen tribuit *longi*, quando diverſa genere oſſa, prout occipitis cum prima colli vertebra, inter ſe mutua ſuſceptione articulantur. Specialem ſceleti tractationem aggreſſus, de cranii figura cum *Veſalio* ſic opinatur, poſſe ex ejus rotunditate, quod *Turcæ*, latitudine, quod *Germani*, oblonga temporum configuratione, quod *Batavi vel Angli* cujusdam fuerit, facile agnoſci; quo in loco addendum videtur, obſtetricum manui, qua oſſa infantis poſt partum in debitum ſitum componi ſolent, quod figuram capitis attinet, aliquid largiendum eſſe. Quæ ex *Veſalio* adducuntur de fontanellæ infantilis olim in adulto oſſeſcentis regione peculiari ſutura cincta, veriſſima ſunt, & ſimilibus craniis duobus, quæ in eruditorum noſtrorum oſteothecis ſuperbiunt, clara; ad oſſa tamen

men *Wormiana* referendam eſſe hanc, ſi quando exiſtat, partem, dubitamus. Reliqua ad hiſtoriam oſſium capitis ſpectantia ſingulari induſtria & fide pertractata ſunt, ut nihil deſiderari poſſit ex illis omnibus, quæ ab accuratiſſimis oſſium Commentatoribus, *Winslowio* & *Albino*, adducta fuerunt. In reliquorum oſſium pertractatione curioſas hinc inde quæſtiones immiſcet. Præter enim quod vertebras diſtinguat in veras & ſpurias, in ea verſatur opinione, ac ſi ſtatura corporis humani omni mane lecto ſurgentibus procerior eſſet, quam interdiu, ſiquidem cartilagines vertebris interjacentes pondere corporis premantur & ſubſideant, quieſcente vero corpore, virtute elaſtica exſurgant, ſicque corporis volumen auctius reddant. Occaſione foraminum in proceſſibus transverſalibus vertebrarum colli, quando ſermonem inſtituit de arteria cervicali hæc foramina pertranſeunte, videntur quædam moneri debuiſſe de vena cervicali, de qua curioſum eſt, eam in duos ramos ſic dividi, ut altera ſimul cum cervicali arteria per prædicta foramina feratur, altera extra hunc canalem eat, ſiquidem etiam in diverſis locis, ſcilicet foramine magno & peculiari quodam oſſi occipitis inſculpto foramine, quod tamen in omnibus ſubjectis conſpicuum non eſt, terminentur. Vertebrarum ſpuriarum nomine comprehendit os ſacrum & coccygis, quod vertebrarum quidam ſimilitudine gaudeant, uſu autem diverſa omnino ſint oſſa. Reliqua totius oſteologiæ momenta, inſigni labore pertractata, de felici Autoris ingenio inſigne teſtimonium edunt. Digna ſane ſunt, quæ integra hoc in loco recenſeantur, diſcriminis, quod oſſibus maris & fœminæ intercedit, ſigna. Ad tria momenta hujus differentiæ neceſſitatem reducit: 1) conſtitutionis, laxioris & tenerioris partium in fœmina; 2) vitæ ſedentariæ, qua partes in incremento tantiſper impediantur; 3) ad fœtum ferendum ſingularis mechaniſmi. Addit Autor, ſuturam longitudinalem in fœminis frequentius, quam in maribus, ad naſi uſque radicem continuari, claviculam fœminarum minus incurvatam eſſe. Sterni cartilagines longiores ſunt, quo tempore geſtationis diaphragma ampliari & contenta abdominis ſurſum cedere poſſint. Cartilago Xiphoidea

ptoidea ipsis frequentius bifurcata est, cartilagines costarum superiorum plerumque ossescunt. Os sacrum magis ad exteriora inflexum est, os coccygis ipsis mobilius est, ossa ilii extrorsum magis inflectuntur, cartilago ossa pubis connectens laxior est, tubera ossium ischii latiora sunt, adeoque, cum pelvis capacitate insignior sit, necessarium est, ossa femoris fœminarum plus a se invicem distare, quam in masculo genere observari vulgo solet.

AN ANATOMICAL TREATISE OF THE NERVES &c.

i. e.

TRACTATUS ANATOMICUS DE NERVIS: Recensio motuum reciprocorum cordis, & Descriptio sacci ductusque lactei humani; Autore ALEXANDRO MONRO, in Academia Edimburgensi Anatomiæ Professore, & Regiæ Societatis Socio.

Edimburgi, typis T. & W. Ruddimans, 1732, 8. Plag. 2.

Calci præcedentis Opusculi adjectæ sunt variæ de nervis, reciproco cordis motu, receptaculo chyli, ductuque thoracico, Observationes, quas Autor partim ob materiæ affinitatem, partim ne publicam spem longa expectatione detineret, eodem cum ossium historia Volumine tradit. Nervi parvulis segregatisque fibris, vel a cerebro & cerebello, vel a medulla spinali proficiscuntur, quæ primum a pia matre, inde a dura meninge, integumentum accipiunt, quod quidem utrumque innumeris vasibus sanguifluis *Ruyschiana* arte impleri potest, fibrillæ autem oculo etiam quam maxime armato conspectæ nullius osculi vestigia exhibent. Interim, quamvis fibrillarum nervearum capacitates ad sensum nullæ pateant, argumentis tamen *Bellini, Bohnii, Pitcarnii* evictus, vasculorum fasciculos esse nervos, consentit, quibus conveniens angustiæ viarum li-

Digitized by Google

quidum vehatur. Inde, quamvis, in quo conſiſtat ganglii uſus, nondum definitum ſit, nec facile definiendum, interim tamen tot corda aut novi cujusdam motus principia in ſyſtemate nervorum, quod ganglia, niſi reſervatoria fluidi nervorum appellare malis, eſſe ſuſpicatur, ſuam hoc in negotio incertitudinem lubens profeſſus. Nervorum ex cerebro & medulla ſpinali egreſſum, recepta inter recentiores Anatomicos methodo, declarat. In vexato autem illo loco, ubi de ortu chordæ tympani agi ſolet, utrum re vera a tertio ramo guſtatorii maxillari inferiori reflectatur, nihil declarat. De nervo intercoſtali ſic ſentit, non reputandum eſſe, ac ſi portio, quæ eidem a pari vago accedit, potius ab intercoſtali adſcendat, quandoquidem *Petitus* in experimentis ſuis non declaraverit, utrum, abſciſſa hac portione, oculus paralyticus factus fuerit; capite egreſſus intercoſtalis, acceptis ab octavo, nono, decimo, itidemque primo & ſecundo cervicali, ramis, omnium plexuum maximum format, novo paulo ante ingreſſum in thoracem ganglio formato, tracheæ & cordi nervum largitur, qui cardiacus nervus auctior ramo octavi paris factus, inter duas aortas & auriculas ad cordis muſculum tendit. Inde ad ductum vertebrarum thoracis, acceptis acceſſoriis inter ſingulas vertebras, deſcendit. Eo in loco, ubi quintus dorſalis nervus accedit, ramus intercoſtalis oblique progreſſus, junctus quibusdam aliis a ſexto, ſeptimo, octavo, & nono pari, truncum efficit, qui diaphragma ſubit, hinc plexu novo circa cœliacam arteriam facto, & octavi paris ſurculo adauctus, partibus in abdomine ſitis proſpicit. Poſterior truncus ad pelvim deſcendit. Quæ omnia ex iis, quæ Cel. *Waltherus* noſter de eodem nervo in *Winslovii* deſcriptionem commentatus eſt, (vide *Acta* noſtra *A. 1733 M. Jun. p. 263 ſeq.*) judicari poterunt. Motum reciprocum cordis & vaſorum ex vibratione nervulorum, qui eidem ac intercoſtali accedunt, ad mentem *Keilii* declarat, ſacci vero ductusque thoracici hiſtoriam breviſſimam, prout in recentiorum ſcholis jam demonſtrari ſolet, dextre & ingenioſe admodum ſubnectit.

METHO-

METHODUS DIFFERENTIALIS, SIVE Tractatus de Summatione & Interpolatione serierum infinitarum, Autore JACOBO STIRLING, R. S. S.

Londini, 1730, 4 maj.
Alph. 1 pl. 15.

Tardius quidem Tractatus hic ad nos perlatus est, ut locum in *Actis* nostris vix inventurus esse videatur; nisi dignitas ejus illum jure quodam indubio exposceret. Qui methodi fluxionum inventionem nostris temporibus æterno decori esse haud temere arbitrantur, illam non perspecta serierum infinitarum natura ac indole vix intelligi posse, imo alteram alteri egregiam nunquam non opem ferre, experiuntur. Sed, cum inventa Mathematicorum de natura, summis, aliisve serierum qualitatibus, vel in Diariis eruditorum, vel in Commentariis Philosophorum Anglicanorum ac Parisiensium, maximam partem dispersa sint, non sine tædio a studiosis harum rerum conquirenda, egregio hoc Compendio Doctiss. Autor, cujus in sublimioris Matheseos partes merita jam ex aliis speciminibus satis nota sunt, non aliorum modo inventa complecti, ac ex propriis principiis deducere instituit, sed ipsum etiam arduum hoc argumentum mirum quantum promovit. Ut vero usui eruditorum Opus hoc magis accommodatum esset, non, quod ex titulo forsan nonnulli conjicerent, quænam series sint summabiles, inquisivit, sed quibus artibus assequamur earum inprimis valores, quæ summari nequeunt, eo quidem consilio, ut Problemata, quæ dependent ex quadraturis, eodem jure pro solutis haberi possint, quo ea, quæ reducuntur ad æquationes affectas. Idem consilium jam olim mente volvisse *Jac. Gregorium*, Appendix ad veram ipsius circuli & hyperbolæ quadraturam testatur, atque ipsum magnum *Newtonum* hac de re olim meditatum esse, ex literis ejus nonnullis ad *Oldenburgium*, in Commercio epistolico *Collinii* impressis,

Eruditiſſ. Autor, ſuum cuique Virorum doctorum tribuens, ſuſpicatur. Longe quidem generalius fundamentum ſubminiſtravit Ill. *Newtonus*, methodo ſua, ut vocat, differentiali, ubi curvam parabolicam per extremitates quotlibet ordinatarum, ſive terminorum, deſcribere docuit, eaque ratione valorem cujusvis intermedii per ſeriem infinitam aſſignavit. Sed expertis calculum conſtat, hac methodo ad veritatem non accedi, ſi terminus ille longius ab initio diſtet. Ut itaque terminos ſerierum remotiſſimos obtineret Doctiſſ. *Stirlingius*, figuram hyperbolicam per extremitates terminorum deſcripſit, ubi ex voto res ſucceſſit, prodeunte valore non ſolum termini quantumvis diſtantis per ſeriem convergentem, ſed, qui caſus facillimus eſt Problematis generaliter ſoluti, termini infinito intervallo a principio diſtantis, quod ſummationi ſerierum æquipollet. Sed, cum valor termini per Parabolam aut Hyperbolam inventus, non approximet, niſi differentiæ, ſecundum *Newtoni* præſcripta ſumtæ, conſtituant progreſſionem celeriter ſatis decreſcentem, alia ſunt innumera ſerierum genera, quæ hac methodo tractare non licet. Hiſce igitur probe perſpectis, Doctiſſ. Autor ſe contulit ad contemplandam relationem terminorum, proprietatem ſerierum maxime inſignem, & ſimplicem, inprimis cum Cel. *Moivræum* hanc conſiderationem miro cum ſucceſſu in Algebram introduxiſſe, eoque fundamento difficillima circa ſeries recurrentes Problemata ſolviſſe, videret. *Tribus Partibus* doctiſſimum hoc Opus abſolvitur, *Introductione*, qua ſummatorii calculi ſui generalia præcognita Autor tradit, *Parte prima*, qua de ſummatione ſerierum agit, & *Parte ſecunda*, qua methodum ſeries interpolandi, ab aliis inchoatam, excolit magis ac ulterius promovet. Auſpicatur Opus explicando affinitatem, quæ inter calculum ſerierum intercedit, atque Algebram vulgarem, ubi ex relatione inter abſciſſas & ordinatas curvæ determinantur. Ita ſeries quoque non ex datis quotlibet terminis, ſed ex relatione inter terminos ſucceſſivos, definiuntur, cum quantitates quotcunque, numero tamen finitæ, terminos in diverſis ſeriebus conſtituere poſſint, non autem ſit niſi unica ſeries, in qua

iidem

iidem ſunt termini, eademque lex formandi reliquos in infinitum. Iuventa igitur terminorum relatione, hæc algebraica æquatione eodem modo exprimitur, quo *Carteſius* curvas algebraicis æquationibus definivit. Adeoque æquatio ſeriem definiens ea eſt, quæ generaliter exprimit terminorum relationem, ex datis ipſorum diſtantiis ab initio. Concipiuntur enim termini conſiſtere ſuper rectam poſitione datam, tanquam totidem ordinatæ, quarum diſtantia communis eſt unitas.

Quemvis horum terminorum in genere Autor litera T deſignat, atque reliquos ordine ſuccedentes eadem litera, notata in apice numeris Romanis, ita, ut, ſi T fuerit decimus terminus ab initio T^{I} deſignet undecimum, T^{IV} decimum quartum, &c. Generaliter quoque diſtantiam termini cujuslibet ab initio exprimit litera z, ita, ut, ſi diſtantia hæc termini T ab initio fuerit z, diſtantiæ reſpectivæ ſuccedentium T^{I}, T^{II}, T^{III}, & ſint $z+1$, $z+2$, $z+3$, &c. Si fuerit verbi gratia ſeries 1, $\frac{1}{2}x$, $\frac{3}{8}x^2$, $\frac{5}{6}x^3$ &c. ubi relationes terminorum ſunt: $B=\frac{1}{2}Ax$, $C=\frac{3}{4}Bx$, $D=\frac{5}{6}Cx$ &c.; relatio terminorum in genere definitur æquatione $T^{I}=\frac{z+\frac{1}{2}}{z+1}Tx$. Scribendo enim 0, 1. 2. 3, 4.&c. ſucceſſive pro z prodeunt relationes terminorum in ſerie propoſita. Si verò z denotet diſtantiam ipſius T a ſecundo ſeriei termino, æquatio erit $T^{I}=\frac{z+\frac{3}{2}}{z+2}Tx$, ut conſtat ſcribendo ſucceſſive pro t numeros -1, 0, 1, 2, 3, 4, &c. Sin indeterminata z denotet locum termini T in ſerie, ejus valores ſucceſſivi erunt; $1.2.3.4$ &c. & æquatio $T^{I}=\frac{z-\frac{1}{2}}{z}Tx$. Unde ſatis apparet, innumeras eſſe æquationes differentiales, quibus eadem ſeries definitur, prout in hoc vel illo axis puncto initium abſciſſæ z ſumitur; & contra adhibendo diverſos valores ſucceſſivos pro z, eandem æquationem innumeras ſeries diverſas exprimere. Cum vero analyſtæ ſit, valores quantitatum in numeris exhibere, quas æquationes differentiales repræſentant, uberius Doctiſſ. Autor edocet, quæ forma pro-

 poſitis

positis seriebus tribuenda sit, ut radices æquationum, quæ illas exprimunt, commode erui possint. Non igitur præceptis modo, sed exemplis quoque, demonstrat, quomodo radices æquationum differentialium commodissime in alterutram formam serierum sequentium resolvantur.

$$A + Bz + Cz.\overline{z-1} + Dz.\overline{z-1}.\overline{z-2} + \text{\&c, aut}$$

$$A + \frac{B}{z} + \frac{C}{z.\overline{z+1}} + \frac{D}{z.\overline{z+1}.\overline{z+2}} + \text{\&c.}$$

Priori forma uti suadet; si z quantitas valde parva sit, posteriori, si magna valde fuerit, & quomodo aliæ series ad alterutram harum formarum commode revocentur, si variis operationibus illas forte mutari contingat, copiosius explicat. Compendia etiam egregia quædam suppeditans, ne prolixior calculus subinde non sine tædio repetendus sit. Hisce præmissis, *Parte prima* suam summandi series methodum uberius exponit, eo inprimis fine, ut calculus quadraturæ curvarum aliorumque Problematum difficiliorum contrahatur. Cum enim per meram terminorum additionem alii series ejusmodi tractare instituerint, ex voto quidem negotium hoc succedit in seriebus cito convergentibus, sed immensum laborem via hæc requirit, si lente convergant, siquidem exploratum sit, supra 1000 terminos quandoque requiri, ut summa ad duas tresve figuras justa inveniatur. Doctiss. itaque Autor, ut molestiæ calculi consuleret, singularibus quibusdam propositionibus docere suscepit, qua ratione series lentissime convergentes in alias celerrime convergentes apposite transmutari possint. Ut specimen methodi ipsius Lectori exhibeamus, ea, quæ hactenus enarravimus, una alterave ipsius propositionum illustrare par est. Prima statim propositione demonstrat, si termini alicujus seriei formentur, scribendo successive numeros 1, 2, 3, 4, &c. pro z in quantitate $A + Bz,\ + Cz.\overline{z-1} + Dz.\overline{z-1}.\overline{z-2} +$ &c. summam terminorum ab initio, quorum numerus est z, fore $Az + \overline{z+1}\,(\frac{1}{2}Bz + \frac{1}{3}Cz.\overline{z-1} + \frac{1}{4}Dz.\overline{z-1}.\overline{z-2} +$ &c.). Fingamus

gamus enim summam $S=Az+\overline{z+1}.(\frac{1}{2}Bz+\frac{1}{3}Cz.\overline{z-1}+\frac{1}{4}Dz.\overline{z-1}.\overline{z-2}$ &c.) sive $S=Az+\frac{1}{2}B.\overline{z+1}.z+\frac{1}{3}C.\overline{z+1}.z.\overline{z-1}+$ &c. scribantur valores variabilium succedentes pro præsentibus, hoc est, $S-T$, pro S, & $z-1$, pro z, atque obtinebitur: $S-T=A.\overline{z-1}+\frac{1}{2}Bz.\overline{z-1}+\frac{1}{3}Cz.\overline{z-1}.\overline{z-2}+$ &c. subducta hac æquatione de priori, remanet $T=A+Bz+Cz.\overline{z-1}+Dz.\overline{z-1}.\overline{z-2}+$ &c. Si igitur contra detur hic valor termini, ut in propositione, summa erit ea, quæ definita fuit, ipsaque hæc summa evadit nihil, quando z est nihil, unde constat propositum. Monendus enim est Lector, summationem serierum, secundum acutissimi Autoris methodum, reduci ad inventionem ordinatarum ex datis earundem differentiis, quare ultima summa nihilo æqualis esse debet, ut veræ sint summæ investigatæ, nec, ut subinde in curvarum quadratura fieri assolet, nova correctione indigeant. Ut facili exemplo illustremus allatam modo propositionem, detur series numerorum naturalium 1, 2, 3, &c qui formantur scribendo 1, 2, 3, 4, 5, &c. pro z in ipsa quantitate z, quam cum termino in theoremate comparantes, inveniemus $A=0$, $B=1$, $C=0=D=E$ &c. quibus valoribus substitutis, prodit summa $\overline{z+1}.\frac{1}{2}z=\frac{zz+z}{2}$ pro aggregato tot terminorum seriei propositæ, quot sunt unitates in z, ut, si sit $z=6$, erit $\frac{36+6}{2}=21$ pro summa primorum sex terminorum. Hujus theorematis auxilio series inprimis summantur, quarum termini sunt numeri integri; qua vero ratione summæ, quarum termini sunt numeri fracti, inveniantur, sequenti propositione Autor edocet, quam ad longe majorem generalitatem evehit tertia propositione, qua demonstrat, si termini cujusvis seriei formentur, scribendo numeros quoslibet unitate differentes pro z in quantitate

tate $x^{z+n} \times \frac{a}{z} + \frac{b}{z.\,z+1} + \frac{c}{z.\,z+1.\,z+2} + \&c.$ summam fore

$$x^{z+n} \times \frac{a}{1-x.\,z} + \frac{b-Ax}{1-x.\,z.\,z+1} + \frac{c-2Bx}{1-x.\,z.\,z+1.\,z+2} + \&c.$$ ubi

quantitates *A*, *B*, *C* &c. denotant coefficientes terminorum præcedentes eos, in quibus reperiuntur, ita, ut sit $A = \frac{a}{1-x}$, $B = \frac{b-Ax}{1-x}$ & sic porro. Rerum inter Mathematicos gestarum non ignaris satis apparet, qua ratione sagacissimus Autor hoc theoremate illa omnia quasi in nuce complectatur, quæ D. *Taylor* in sua methodo incrementorum primus de ejusmodi summis tradidit, quæque D. *Nicole* in Commentariis Academiæ Parisiensis ulterius deinde promovit, atque clarius explicavit. Usum theorematis ostendit, summando diversas series, quarum termini constant fractionibus, quæ pro numeratoribus unitatem, pro denominatoribus quadrata numerorum naturalium, cubos imparium, aliave ratione affectos numeros habent. Docet, quam expedite theorematis hujus auxilio summa seriei, quam Vice-Comes *Brounckerus* pro quadratura hyperbolæ dedit, colligatur, & quomodo circuli circumferentia minimo labore ad figuras quamplurimas produci possit per seriem utcunque lente convergentem, quod *Leibnitius* olim vehementer desiderabat. Hisce præmissis, de seriebus, quarum termini sunt assignabiles, ad illud serierum genus pergit, quod per relationem terminorum duntaxat determinatur, ubi certis regulis, quas selectis illustrat exemplis, docet, quomodo data inter summas successivas relatione, ea quæ est inter terminos inveniatur, imo qua ratione series quotvis summabiles investigentur. Oblata hac occasione, Doctiss. Autor difficultati, cujus jam supra mentionem injecimus, medelam afferre molitur, si, quod sæpe accidit, inventæ ipsius methodo serierum summæ non exactæ, sed data quantitate, vel augendæ, vel minuendæ sint. Cum enim summa-

matio ſerierum in methodo differentiali reſpondeat quadraturæ curvarum in methodo fluxionum, mirum non eſt, in utraque conſimiles difficultates occurrere, atque inventas ſummas æque ac curvarum areas aliqua quantitate vel augendas, vel minuendas eſſe. Si talis ſit æquatio ad ſummas, qualis efficit, earum ultimam eſſe quantitatem magnitudinis finitæ, vel infinite magnæ, ſemper opus eſt correctione. Quapropter ſingulari propoſitione Doctiſſ. Autor monſtrare inſtituit, qua ratione aſſumenda ſit æquatio, quæ ſemper efficiat, ultimam quantitatem eſſe nihil, ut ſumma inventa vera, nec aliqua quantitate vel augenda, vel minuenda ſit. Sed, cum prolixiores calculos exhibere inſtituti noſtri ratio haud patiatur, ingenioſam hanc Autoris methodum cum Lectore communicare nobis jam non licet. Id quoque cauſæ eſt, cur nihil reliquorum theorematum adjiciamus, cum perſuaſum nobis ſit, commodo Lectoris non adeo conſultum iri, ſi nuda propoſitionum recenſione, nulla addita earundem vel demonſtratione, vel illuſtratione per exempla, ipſum paſcere ſuſciperemus. Nova atque elegantia ſunt theoremata, quibus Autor oſtendit, quomodo, data relatione inter duas ſummas in diverſis ſeriebus, & æquatione ad terminos in alterutra, æquatio ad terminos in altera, eruatur; quomodo in compoſitis valde ſeriebus valor ſeriei vel approximando inveniri, vel ipſa ſeries in aliam formam commodiorem transmutari poſſit. Ultima denique propoſitione fluxionum methodum egregie illuſtrat ac promovet, docendo, qua ratione æquatio, ſive algebraica, ſive fluxionalis ſit, inveniri queat, cujus radix ſit ſeries quæcunque data, quæ definitur æquatione, in qua termini ſeriei ſunt unius tantum dimenſionis. Ita enim ex coefficientium relatione ſeries reducuntur, vel ad fractiones, vel ad fluxiones, absque majori in ullo caſuum difficultate. Verum ſatis ex hiſce apparet, quantum ad promovendam ſerierum methodum conducat, ut ſummationes reducantur ad fluxiones, quoniam methodus regrediendi a fluxionibus ad fluentes, licet imperfecta ſit, melius tamen nota & magis exculta eſt, quam illa regrediendi a differentiis ad ſummas. Oblata hac occaſione

respiciendi ad affinitatem, quæ inter summas & fluentes intercedit, Doctiss. Autor difficultati hactenus intactæ mederi conatur, quæ in reductione æquationum fluxionalium maxima est. Fieri enim plerumque solet, ut æquationes fluxionales non determinent omnes coefficientes terminorum in suis radicibus, quoniam quantitates constantes evanescunt, & omnino amittuntur ex æquatione in progressu a fluentibus ad fluxiones, imo variis modis evanescunt, prout fluxio sumitur. Si fuerit æquatio $y^2 = a^2 + bx + \frac{x^4}{c^2}$ tres diversæ ejus æquationes fluxionales esse possunt: 1) $2y\,dy = b + 4\frac{x^2}{c^2}$ 2) $2xy\,dy - y^2 = -a^2 + \frac{3x^4}{c^2}$ 3) $2xy\,dy - 4y^2 = -4aa - 3bx$. In invenienda itaque serie, radicem fluxionalium harum æquationum exprimente, per primam terminus primus seriei non determinatur, per secundam determinatur primus, at non secundus terminus; per tertiam denique determinantur primi quatuor termini seriei, at quintus relinquitur indeterminatus. Artificium, quo nodum hunc solvit, in natura radicum æquationis fundatur, qua fit, ut quantitas pro radice in æquatione scripta omnes terminos æquationis evanescere faciat. Sed termini duobus tantum modis evanescere possunt, vel per signorum contrarietatem in terminis homologis, vel etiam ubi reperitur quantitas constans in fluente, quæ nullum relinquit vestigium in fluxione. Si sit $y = Ax^n$, erit $dy = nAx^{n-1}$; $ddy = \overline{nn-n}\,Ax^{n-2}$. Si jam sit $n = o$, evanescet valor fluxionis primæ: sin fiat $nn - n = o$, id est, $n = o$ vel $n = 1$, evanescet valor secundæ. Ex hisce fundamentis facile jam est primum terminum seriei pro valore radicis assumendæ eruere, quod Doctiss. Autor pluribus exemplis copiosius edocet. Sed ulterius hisce immorari non licet, cum ad alteram partem, qua de interpolatione serierum agit, nobis properandum sit.

Si

Digitized by Google

Si fuerit recta poſitione data, ſuper quam erigantur ordinatæ quotcunque ſibi mutuo parallelæ, & æqualibus intervallis ab invicem diſtantes, quæ terminos ſeriei regularis continue increſcentes, vel decreſcentes, & eodem ſigno affectos, deſignent: una eademque curva tranſibit per extremitates omnium, quæ determinabitur ex data æquatione ad ſeriem, h. e. ex data æquatione generaliter exprimente relationem inter duas vel plures ordinatas quasvis ſucceſſivas. Si ex data hac æquatione differentiali erui poteſt æquatio hujus curvæ algebraica, habebitur ordinata quæcunque ex data ejus abſciſſa per reſolutionem æquationum affectarum, adeoque interpolatio ſeriei abſoluta, quæ utique conſiſtit in aſſignatione cujuslibet termini primarii, vel intermedii ex dato ejus loco in ſerie: ubi vero æquatio curvæ algebraica nequit inveniri, illud curandum eſt, ut exhibeamus valorem termini cujuslibet quæſiti per ſeriem convergentem, vel forte per quadraturam curvarum. Facile ex hiſce colligitur, terminos ſerie intermedios, eadem lege, vel increſcentes, vel decreſcentes, qua creſcunt, aut decreſcunt primarii, eodem quoque modo determinari; adeoque ſi idem ſit intervallum commune terminorum primariorum, aut intermediorum, & detur unus ex intermediis, dari omnes ex data æquatione ad primarios. Sed, cum termini conſtare debeant ex factoribus interpolabilibus, ut ſeries aliqua ſit interpolabilis, ſæpe convenit, ut ſeries intercalanda in factores interpolabiles reſolvatur. Si v.g. ſeries interpolanda ſit $1, \frac{1}{6}x, \frac{3}{40}x^2, \frac{5}{112}x^3, \frac{35}{1152}x^4$ &c. illa reſolvenda eſt in tres ſeries factorum ſimplicium ad modum ſequentem:

$$x^0,\quad x^1,\quad x^2,\quad x^3,\quad x^4 \text{ \&c.}$$

$$1,\quad \frac{1}{3},\quad \frac{1}{5},\quad \frac{1}{7},\quad \frac{1}{9} \text{ \&c.}$$

$$1,\quad \frac{1}{2},\quad \frac{3}{8},\quad \frac{5}{16},\quad \frac{35}{128} \text{ \&c.}$$

Ubi palam eſt, harum trium ſerierum duas primas eſſe interpolabiles, non item tertiam, quæ tamen, cum ſit ſimplicior, facilius interpolabitur, quam ea, quæ proponitur. Sæpe ſeries numeratorum & denominatorum ſeorſim interpolare conve-

nit, v. g. si detur series hujusmodi $1, \frac{r}{p} A, \frac{r+1}{p+1} B, \frac{r+2}{p+2} C, \frac{r+3}{p+3} D$ &c. Deinde terminus quilibet in serie numeratorum divisus per respectivum in ea denominatorum, dabit correspondentem in serie proposita. Hisce principiis positis, quæ uberrimis exemplis illustrat Autor, ad methodum differentiarum progreditur, cujus auxilio non modo diserte præclara illa summorum Mathematicorum inventa explicat, quæ feliciter attigerunt, postquam *Newtonus* nobilissimi Problematis a se soluti, de inventione curvæ parabolicæ per data quotcunque puncta transeuntis, indicium fecerat, sed omnem hanc doctrinam quoque egregie promovet. Considerat primo seriem ordinatarum æquidistantium, ex una tantum parte in infinitum pergentium, atque quærit lineam parabolicam, quæ per extremitates omnium transeat, qua inventa per modum corollarii porro deducit, quæ Cel. *Hermannus* in Appendice ad Phoronomiam, atque acutissimus *Taylorus* in Methodo sua incrementorum, de hoc argumento evulgarunt. Imo respiciens ad analogiam, quæ est inter methodum differentialem & methodum vulgarem serierum, quæ per fluxiones, sive rationes differentiarum ultimas, procedit, sicut illa generaliter differentiis cujuscunque magnitudinis utitur, elegantissimam illam seriem pro quadraturis, quam summus Vir, *Jo. Bernoullius*, olim in his *Actis A. 1694* cum Mathematicis communicavit, perquam ingeniose elicit. Generalius hoc Problema sequentibus propositionibus sibi solvendum sumit: si detur series ordinatarum æquidistantium utrinque excurrens in infinitum, & invenienda sit linea parabolica, quæ per extremitates omnium transeat; atque tandem, quomodo hæc curva parabolica eruenda sit, demonstrat, si series ordinatarum quibuscunque intervallis ab invicem distantium ex una tantum parte in infinitum pergat. Hisce Problematis enodatis, difficile non est, aliud ejusdem fere generis solvere, ubi, data serie terminorum primariorum, intermedii, qui non longe distant a principio, quæruntur; sed generalem methodum luculenter illustrat Autor, docendo, qua ratione logarith-

Digitized by

garithmi ipsarum quantitatum loco adhibendi sint, si, terminis seriei celerrime increscentibus, eorum differentiæ conficiant progressionem divergentem, id quod impedit, quo minus ordinata parabolæ ad veritatem satis accedat. Si detur series terminorum æquidistantium, atque inveniendus sit terminus quilibet, primarius vel intermedius, utcunque longe ab initio seriei distans, aliam seriem eruere docet, in qua terminus ille desideratus constituat terminum prope initium, ut eadem methodo, quam modo laudavimus, Problema commode solvi possit. Sequenti propositione hac methodo solvitur Problema, de invenienda area media in magna dignitate binomii, quod *Moivræus* quidem diu ante alia via solutum dederat, Autor vero non alia ex ratione repetiit, quam quod docti nonnulli Mathematici inter cives ejus dubitare visi sint, an methodus *Newtoni* differentialis illi sufficiat. Illam enim non modo hisce expediendis parem esse, sed ad alia quoque ejus generis Problemata, v. g. de invenienda summa Logarithmorum, quorum numeri sunt in progressione Arithmetica, facile extendi posse, ipso Opere eleganter demonstrat. Cum *Wallisius* olim, ut notum est, primus fere de quadrandis curvis per interpolationem cogitasset, Noster non modo passim usum methodi hujus in quadratura curvarum demonstrat, sed singularibus quoque propositionibus quadraturas curvarum infinitorum generum uberius explicat. Duabus inprimis propositionibus ostendit, si in ordinata curvæ $x^{r+z-1} \times \overline{1-x}^{\,p-r-1}$ scribantur successive numeri integri $0, 1, 2, 3, 4,$ &c. pro z, eandem fore relationem inter areas ordinatarum provenientium, quæ est inter terminos seriei $a, \frac{r}{p}a, \frac{r+1}{p+1}b, \frac{r+2}{p+2}c,$ &c. aut, si ordinata curvæ sit, $x^{p-z} \times \overline{1-x}^{\,r+z-1}$ eam fore relationem inter areas ordinatarum provenientium, quæ est inter terminos serie $a, \frac{r}{p.}a, \frac{r+1}{p-1}b, \frac{r+2}{p-2}c$ &c. Postremis denique propositionibus

 aream

aream curvæ cujusvis ex datis aliquot ejus ordinatis æquidistantibus invenire docet, &,ne subinde repetendus sit calculus, additis Tabulis usui Mathematicorum consulit.

A TREATISE OF GUNNERY.
h. e.
TRACTATUS DE RE TORMENTARIA, *Autore JOANNE GRAY.*

Londini, apud Wilhelmum Innys, 1731, 8 maj.
Plag. 10, Tab. æn. 1, cum multis Figuris ligno incisis.

Constat, *Galilæum* primum reperisse, quamnam lineam describant corpora gravia, sive horizontaliter, sive oblique projecta, & *Torricellium* doctrinam ejus de motu projectorum magis excoluisse. Atque hoc pacto praxis rei tormentariæ legibus Geometriæ fuit adstricta. Noster id agit, ut doctrinam utilissimam ad eorum captum magis accommodet, qui praxi rei tormentariæ operam dant, quam huc usque a Mathematicis factum. Projectilia duplici motu feruntur, æquabili, atque æquabiliter accelerato. Illum vi a projiciente impressæ, hunc vi gravitatis, acceptum ferunt. Ut igitur intelligantur, quæ de motu globorum ex tormentis & mortariis emittendorum præcipiuntur, Parte prima demonstrat, quæ ad motum æquabilem & motum gravitatis, seu æquabiliter acceleratum, spectant, ac deinde, principiis istis usus, motum projectilium in parabola explanat. Præmissa vero theoria, solvit Problemata, quorum in directione tormentariorum & mortariorum usus esse potest. Ut regulæ praxi magis respondeant & ab iis quoque commode adhiberi possint, qui demonstrationes non capiunt; logarithmorum usum in iisdem fecit. Quoniam vero veretur, ne regulæ theoriis insertæ fastidiantur ab hominibus, quibus nulla principia theoretica perspecta sunt; Parte altera duplicem condidit Tabulam, alteram pro projectionibus horizontalibus, alteram pro obliquis, ac utriusque usum in arte rei tormentariæ explicat. In istis Tabulis uno con-

conſpectu repræſentantur caſus, qui in praxi rei tormentariæ occurrere poſſunt, quoad data, quæſita, & regulas characteribus expreſſas. Referuntur autem ad tres figuras Tabulæ æneæ inciſas, ne verborum ambagibus fuerit opus, quæ Tabularum concinnitati parum conveniunt. Præmittitur Præfatio prolixa, in qua machinæ bellicæ veterum deſcribuntur, & de inventore pulveris pyrii ac rei tormentariæ diſquiritur. Notatu dignus eſt locus, quem ex *Rogerii Baconis* de ſecretis operibus artis & naturæ & de nullitate magiæ Epiſtola adducit, probaturus, ipſi pulverem pyrium jam circa annum 1270 cognitum fuiſſe. *In omnem*, inquit, *diſtantiam, quam volumus, poſſumus artificialiter componere ignem comburentem ex ſale petræ & aliis — — nam ſoni velut tonitru & coruſcationes poſſunt fieri in aere, imo majore horrore, quam illa, quæ fiunt per naturam: nam modica materia adaptata, ſcilicet ad quantitatem unius pollicis, ſonum facit horribilem, & coruſcationem oſtendit violentam. Et hoc fit multis modis, quibus civitas aut exercitus deſtruatur — —. Mira hæc ſunt, ſi quis ſciret uti ad plenum in debita quantitate & materia.* Suſpicatur Noſter, *Bartholdum Schwartzium*, qui circa annum 1320 pulverem pyrium inveniſſe dicitur, ab iis, quæ *Baco* commemorat, anſam ſumſiſſe in compoſitionem pulveris pyrii inquirendi.

EVERARDI OTTONIS DE ÆDILIBUS Coloniarum & Municipiorum Liber ſingularis, in quo pleraque ad veterem Politiam municipalem pertinentia explicantur. Editio ſecunda.

Lipſiæ, apud Jo. Mich. Teubner, 1732, 8.
Alph. 1 pl. 10½.

Ædilitii juris argumenta, maximam partem hactenus impedita & obſcura, non uno libello illuſtranda ſibi ſumſit Cl. Autor, quorum alios in publicum jam protulit, alios impatientius fere exſpectamus. Prima prodiit Diſſertatio *de Evnu-*

Eunuchis ad *l. 27 §. 28 D. ad Leg. Aquil.* in qua *Ulpianus* Edicti Ædilium deperditi memoriam servavit. Post hanc prior editio libri, quem hic referimus, vulgata Francofurti A. 1713. 8, quamque recensent *Acta* nostra *A. 1714 Menf. Sept. pag. 416.* Hunc secutus est *de Tutela viarum publicarum* Liber, quæ primaria Ædilium cura erat. Et hujus mentionem fecimus in *Actis A. 1732 Menf. Nov. p. 497.* Præterea exspectare jubemur majus Opus tripartitum, cujus Pars prima *Ædilium Curulium historiam* exponet; altera titulos Pandectarum & Codicis *de Ædilitio Edicto* Notis Philologicis illustrabit; postrema *Juris Ædilitii Systema* Theoretico Practicum dabit. Interim, dum isthæc parantur, novam nobis & auctiorem editionem libelli de Ædilibus Coloniarum invidere noluit, præsertim cum in ipso majoris Operis progressu animadverteret Vir Doctissimus, quanti intersit, Ædilitiam in urbe dignitatem ab ea, quæ in coloniis erat, probe distinguere, quæ cautio in omni Romana antiquitate non minimi momenti est.

Nolumus ea repetere, quæ olim de politissimo hoc Opusculo scripsimus. Eundem, quem ibi memoravimus, Capitum ordinem Autor retinuit, solo septimo excepto, quod in nova hac editione plane novum est. Reliqua omnia insigniter aucta sunt, & novi passim ex antiquitate flores sparsi. Septimum illud Caput, cui nobis nunc immorari placet, agit *de Judæis & Christianis Ædilitatem fugientibus*, atque est instar Commentarii ad *l. 3 §. fin. D. de Decurionibus*, qualem a *Jac. Gothofredo* in Notis ad *l. unic. Cod. Theod. de Stator.* sine eventu promissam fuisse, nunc minus dolemus. Legis verba sunt: *Eis, qui Judaicam superstitionem sequuntur, Divus* Severus *&* Antoninus *honores adipisci permiserunt, sed & necessitates eis imposuerunt, quæ superstitionem eorum non læderent.* De *Ulpiano* primum ejusque Libris de Officio Procos. ex quibus illa desumta est, quædam affert non vulgaria. Scripserat eos *Ulpianus* ipsorum Procoss. gratia, qui militiæ sæpe, quam jurium, erant peritiores, imo sequioribus præsertim temporibus neutrum quandoque callebant, cui & ipsa Assessorum in jure ignorantia non raro accedebat. Ex decem illis de Offic. Procos. Libris tertius de Statu Judæorum egit, septimus Imperatorum

Rescri-

Reſcripta adverſus Chriſtianos continuit. Utraque Proconſulem ſcire omnino intererat, quod iſti peſſimis hominibus accenſerentur, qui terræ motuum, inundationum, aliarumque calamitatum, cauſæ eſſent, & in quos propterea ſæpe eſſet animadvertendum. Quam favens autem Chriſtianis in hoc Libro fuerit *Ulpianus*, illi norunt, quibus de ejus animo in Chriſtianos aliunde conſtat. Quanquam male agunt, qui hanc iram ei in vitio ponunt, cum non ſingularis aliqua ejus durities, ſed ethnicis omnibus idem erga Chriſtianos odium eſſet. In Judæos tamen propenſiorem fuiſſe, certum eſt, tum quod ortus eſſet Tyro, urbe Syro-Phœniciæ, quæ, Judæis vicina, lingua etiam utebatur Hebræis valde affini, tum quod ex ipſis Moſaicis legibus quædam per Athenienſes in Romana jura transmigraverant, ipſe etiam Pentateuchus jam forte a *Pompeji* tempore Romæ cognitus eſſet, ita, ut ediſcerent Romani,

Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes.

Præterea ceremoniæ Judæorum videbantur cum illa gentilium *μιμήσει* magis convenire. Hinc in hac lege Judæorum ſacra tantum *ſuperſtitionis* vocabulo appellat, cum Chriſtianorum ſecta *prava*, *malefica*, *&c.* apud Romanos Scriptores audiat.

Ut Græci Patres *εὐσέβειαν* & *δεισιδαιμονίαν*, ſic Romani *religionem* & *ſuperſtitionem*, diſtinguebant, ſua tantummodo ſacra religionem, cetera omnia ſuperſtitionem, appellitantes, ipſimet licet hoc vitio, quod aliis tribuebant, maxime inquinati, quippe qui minimis etiam rebus Deos inſerebant. Præſertim autem Judæorum ſuperſtitio barbara iis & pervicax & credula videbatur, quamque non uno loco rident Poetæ. Nihilominus permiſſum erat Judæis, non in municipiis ſolum, ſed in ipſa etiam urbe, degere, in qua proſeuchas ſuas & ſepulchra habebant, & jus civitatis ſæpe conſequebantur, quod docent Commentatores ad *Act. XXII, 25*, ubi *Paulus* Apoſtolus civem ſe Romanum profitetur. Quanquam autem Imperatorum alii aliis tolerantiores eſſent, *Cæſare* nimirum, *Auguſto* & *Claudio* in Judæos propitiis, *Tiberio* contra duriore; opinabile tamen eſt, licuiſſe eis ſemper Romæ ſuis uti ritibus, dummodo cenſum fiſco ſolverent, quem *Ulpiani* etiam temporibus præſtitum putat Conſultiſſimus Autor, quicquid alii ex nummo Nervæ, cui inſcriptio eſt: *Fiſci Judaici calumnia ſublata*, in contrarium ſtatuant.

Digitized by Google

Attamen, inviſos fuiſſe in urbe & deridiculo habitos hos *verpos, circumſectos, recutitos, fœtentes, &c.* vel ipſa hæc nomina, quibus a veteribus Scriptoribus paſſim notantur, indicio ſunt: ita, ut nemo ſibi facile perſuadeat, Edictum illud *Severi* & *Antonini*, quo ad honores admittuntur, etiam de Judæis Romæ degentibus loqui. Honores hi mere ſunt municipales magiſtratus & dignitates, quas a Judæis geſtas fuiſſe, Inſcriptio quidem apud *Gruterum: Tib. Cleuphas. VI. vir. Aug. Negotiator. artis. purpurariæ* non demonſtrat, ubi contra *Velſerum* non *Cleuphas*, ſed *Cl. Euphas*, i. e. *Claud. Euphaſius*, cum *Reineſio* legendum putat: ſed vel ex ſolo *Rutilii* Itinerario manifeſtum eſt, ubi in Judæum Faleriæ portui præfectum invehitur. Hujusmodi munera an ſuſcipere vellent, in arbitrio ipſorum erat, at curialibus officiis defungendi neceſſitas eadem lege eis impoſita fuit, ita tamen, *ne ſuperſtititio eorum læderetur*, id eſt, ne ad ſacerdotia, γυμνασιαρχίας, Ædilitatesque obeundas adigerentur, quibus muneribus ſine religionis ſuæ læſione præeſſe non poterant.

Ita vulgatiſſimam hanc legem exponit Autor contra *Alciati* & doctiſſimorum ejus aſſeclarum ſententias, qui omnes, Judaica hac ſuperſtitione Chriſtianam religionem ab *Ulpiano* intelligi, exiſtimant, 1) quod Pagani Scriptores Chriſtianos & Judæos perſæpe confundant; 2) quod aliis in locis Chriſtianam religionem ſuperſtitionem dicere conſueverint. Quibus argumentis ille non ſine cauſa reponit, 1) ſub initium quidem Chriſtiani cœtus fieri potuiſſe, ut hi cum Judæis confunderentur, ex quibus orti erant, & ſub quorum nomine, metu ſupplicii, ſæpe latere volebant: at *Severi* & *Antonini* temporibus notius fuiſſe illud diſcrimen, quam ut confunderentur; 2) præſertim ab *Ulpiano*, homine Tyrio, & qui, ut ſupra obſervatum eſt, in ſuo de Officio Procoſ. Opere de utriſque ſingulari libro egerat; 3) ipſum Judæorum in Chriſtianos odium obſtitiſſe, quo minus commiſcerentur; 4) nec apud ullum Scriptorem his Imperatoribus æqualem religionem Chriſtianam ſuperſtitionis Judaicæ nomine venire; 5) duriſſimam fuiſſe ea ætate Chriſtianorum ſortem, ita, ut credibile non ſit, hoc privilegio conceſſam eis fuiſſe ab ejusmodi muneribus vacationem, quibus ex odio religionis eorum in pœnam addictos fuiſſe, ex Patrum ſcriptis

patet.

patet. Præiverunt Autori noſtro in hac ſententia *Cujacius*, *Grotius*, *Spanhemius*, *Bynckershœkius*, *Schultingius*, & alii multi docti viri.

Chriſtianos Ædilitatem ſubterfugiſſe, *Tertullianus* autor eſt in *Apolog. Cap. 46*, ubi *Ædilitatem*, non *Civitatem*, ut vult *Pamelius*, obſervat Noſter. Cum enim ad Ædiles pertineret templorum cura, ludi, quorum omnis apparatus ex idololatria conſtabat, gladiatorum ſpectacula, ubi ſæpe Chriſtiani beſtiis dilacerandi objiciebantur, & ſimilia, non poterat iſtud munus illis non eſſe acerbiſſimum.

Denique per librariorum errorem cum *Schultingio* obſervat accidiſſe, ut illud *D. Severus & Antoninus* exprimeretur *Divi*, cum legendum eſſet *Divus Severus & Antoninus*, ideo, quod nomen Divi vivo *Antonino* non fuerit tributum, quo tamen vivo librum hunc ſuum ſcribebat *Ulpianus*. Nec *Alciato* concedit, pro *Severus* ſubſtituendum eſſe *Verus*, intelligendosque eſſe *Divos Fratres*, qua conjectura ſententiæ ſuæ ſupra allatæ inſervit. Vel hæc ſola enim ratio obſtat, quod *Veri* generi nomen *Antonino* ſocero nunquam præponitur. *Balduinum* etiam erroris arguit, qui putat, *Ulpianum* hæc Cæſarum adverſus Chriſtianos Reſcripta collegiſſe, quod videret, *Alexandrum Severum* impelli non poſſe, ut ipſe aliquid contra eos ediceret. Scripſit enim *Ulpianus* hos libros ſuperſtite *Antonino Caracalla*, antequam *Severus* ad imperium perveniret. Imo, cum *Ulpianus Severi* tutor, parens & Præfectus Prætorio eſſet, hunc in Chriſtianos ita pronum futurum fuiſſe, vix veroſimile, ſi *Ulpianus* ſuum in illos odium ei inſtillaſſet.

Ceterum, etſi urbem Lipſiam mentiatur rubrum Libri, ſatis tamen ex forma literarum, quæ nitida eſt & elegans, apparet, in Belgio, forſan & in ipſa urbe Ultrajectina, cujus ornamentum eſt Cl. *Otto*, typis excuſum.

VIE DE MONSIEUR DE PARIS, &c.
h. e.
VITA FRANCISCI PARISII, DIACONI Diœceſeos Pariſinæ.

Ultrajecti, apud C. G. le Febvre, 1732, 12 maj. Plag. 16.

Digitized by Google

Etſi literarum forma Lutetiam prodit, per nos tamen cuivis licebit credere, & ſcriptum & excuſum eſſe librum hunc Ultrajecti, cujus Autor in Præfatione docet, duas ſe ob oculos habuiſſe vitæ *Pariſii* Deſcriptiones, alteram in publicum editam, alteram MStam: addens, ſe & niti monumentis fide dignis cujusdam, cujus nominis litera prima T, & cui *Pariſius*
Cap. I. ille fuerit cognitiſſimus. Narrat igitur, *Franciſcum Pariſium* patre Conſiliario Parlamenti natum eſſe A.1690 d.30 Junii; inde a decimo ætatis anno amantem fuiſſe ſolitudinis ac ſimul pietatis; poſtea traditum præceptoribus, quos inter primum locum teneat *Ruſſelotus*, Profeſſor nunc Mazariniani Collegii, acriter incubuiſſe in literarum ſtudium, ita tamen, ut ei jungeret preces adeo frequentes, ut media nocte ſurgeret ad eas fundendas; præbuiſſe etiam ſe erga pauperes miſericordem, libenterque iis largitum eſſe; ductore *Huberto*, qui adhuc vivat, ſcholamque quandam Lutetiæ regat, Philoſophiam tractaſſe, ſimulque in pietatis ſtudio ardentiorem in dies factum eſſe, ut teſtis hodieque ſit *Hubertus* ille, ſe nunquam ullo *Pariſii* peccato tum offenſum eſſe; Philoſophia vero tota eum eſſe uſum ad magis colendum Deum tot tantisque attributis conſpicuum, & ad mores emendandos; fugiſſe hinc vanas condiſcipulorum oblectationes, iisque, politicos mores contemnentem, præ-
2. luxiſſe omnis generis virtutibus; A. 1708, invito genio, juſſu patris, ſe ſtudio Juris Civilis dediſſe; A. 1712 aures præbuiſſe *Gaffarello*, (qui inter Patres fuit Oratorii, & A.1729 exulare juſſus ob repudiatam Bullam *Unigenitus*,) & A. 1713 ſe contuliſſe in Seminarium S. *Maglorii* cum eruditionis, tum pietatis ſuæ adaugendæ cauſa; ibique A.1714 induiſſe veſtem ſacerdotalem, ſimulque tonderi ſe paſſum eſſe; acriter etiam ibi & optimo ſucceſſu Græcas pariter & Hebraicas coluiſſe literas ad intelligendum ſacrum Codicem; factum & ibidem eſſe diſcipulum Abbatis *Asfeldii*, Interpretis S. Scripturæ clariſſimi; paulo poſt juſſum eſſe Catechiſmi præcepta tradere pueris, eoque munere perbene
3. functum eſſe; A.1714 ipſius patrem vita exceſſiſſe, hac relicta voluntate, ut is quartæ tantum bonorum hæres eſſet, cetera omnia pervenirent ad fratrem ipſius natu minorem; eum id æquo animo tuliſſe, ſtatimque aliquam ſuæ hæreditatis partem egenis dediſſe; A. 1717 ſe paternam in domum recepiſſe, fratrique, facto

ĉto Conſiliario Parlamenti, exemplum præiviſſe pietatis; cum quo poſtquam vixiſſet biennium, novo ſolitudinis deſiderio percitum, & æmulatione priſcorum Eremitarum accenſum, in ignobile quoddam oppidum ſe contuliſſe, ibique non ſolum Græcas & Hebraicas literas tractaſſe ardentiſſime, ſed & ſacri Codicis lectioni ſe dediſſe, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Theologiæ tum poſitivæ, tum morali, lectioni item Patrum, *Auguſtini* maxime, *Chryſoſtomi*, & *S. Thomæ*; plurimum tamen temporis tribuiſſe piæ meditationi precibusque, nonnihil item laboribus corporis, qui vulgo habentur illiberales; eodem in oppidulo, rogante Paſtore, ſuſcepiſſe inſtitutionem puerorum in pietate, incolarumque iniiſſe gratiam ſuo pietatis ſtudio ſuaque liberalitate, qua permotus, ſingulis fere patribusfamilias donarit *Novum Teſtamentum* & libellum *de vera pœnitentia*; A.1718 factum eſſe Subdiaconum, & paucis menſibus poſt in eo fuiſſe, ut crearetur Canonicus Rhemenſis; at juſto lentius feſtinanti alium præripuiſſe hanc dignitatem; A.1719 ingreſſum eſſe Collegium *de Bayeux* dictum, ibique tam aſperam exercuiſſe pietatem ac pœnitentiam, ut fere ſemper eſſet in cubiculo ſuo, tota hyeme fortiſſime algeret, & multis ſuum corpus afficeret doloribus; opes præterea ſuas perrexiſſe diſtribuere pauperibus, ac iis potiſſimum, qui ob ſpretam Bullam *Unigenitus* exulabant; eodem anno conſtitutum eſſe præfectum candidatorum ſacerdotii, eosque inſtituiſſe optime, docuiſſeque, pietatem eſſe oportere dotem ipſorum maximam; A.1720 factum eſſe Diaconum, eodemque anno Card. *Noallium* eum dare conſtituiſſe Paſtorem Eccleſiæ cuidam Pariſinæ; id vero non ſucceſſiſſe; A.1722 & ſequenti varias eum contuliſſe ſe in ſolitudines, & maxime Meluni admiratum eſſe auſteram vitam *Claudii Leautæi*, antagoniſtæ Conſtitutionis *Unigenitus*, & ejusdem veſtigiis inſiſtere decreviſſe; hinc adeundæ ſolitudinis conſilia cepiſſe inter varias divinitus immiſſas tentationes, & jejunia ſubiiſſe tanta, vix ut eſſet ferendo; A.1724 domum quandam conduxiſſe Lutetiæ, in qua ſoli ſibi ac Deo viveret; hic ne famulum quidem habuiſſe, ipſumque ſuum fuiſſe famulum, ſuum coquum; nihil vero comediſſe præter herbas & legumina; ſubiiſſe item paupertatem voluntariam, Bibliothecam quoque, quam decies mille im-

Cap. 4. (beside line "Teſtamentum … A.1718 factum"); 5. (beside "tem ipſorum maximam; A.1720"); 6. (beside "creviſſe; hinc adeundæ"); 7. (beside "ſet ferendo; A.1724")

perialibus ſibi coemerat,venditurum,niſi amicorum fuiſſet revocatus conſiliis. Hactenus ſeptem priora Capita. In *octavo* deſcribitur auſterum vitæ ipſius ea tempeſtate genus, cujus ſocietatem plures inierant. Hi toti erant dediti precibus dies noctesque, cibis contenti erant viliſſimis minimeque delicatis, quippe nec carne veſcentes, nec piſce, nec lacte, nec ovis. Reliquis ejus pietatis vel verius ſuperſtitionis exercitiis in *Capite IX* & *X* deſcriptis, *undecimo* tribusque ſequentibus demonſtratur, *Pariſium* fuiſſe γνησίως *Janſenianum*, & acerrimum antagoniſtam cum Jeſuitarum, tum Conſtitutionis Jeſuiticæ, quæ *Unigenitus* vocatur. *Capite* denique *XV* morbus ejus ultimus deſcribitur, in quo nihil remiſit a ſua victus auſteritate, mortique ſe præparavit piiſſime, edita paulo ante mortem rurſus condemnatione illius *Conſtitutionis*, quam diximus. Calendis Martii A.1727 exſtinctus eſt & honorificentiſſime ſepultus. Ac ſtatim factus eſt magnus ad ipſius tumulum concurſus, multaque ibi edita miracula: quorum tamen hic nominatur nullum.

Pag.184 ſeq. Nunc ſequitur Diſſertatio de miraculis *Pariſii*, quæ idonea cenſet Autor ad probandum, Conſtitutionem *Unigenitus*, ſemper quippe damnatam a *Pariſio*, eſſe rejiciendam. Sed nec hic ullum ejus miraculum nominatim memoratur. *Pag. 209 ſeq.* exhibentur literæ a Paſtoribus Pariſienſibus ſcriptæ ad Archi-Epiſcopum de *Pariſii* miraculis. Cum igitur per certos homines, a Card. *Noallio* delectos, compertum ſit, multos ad *Pariſii* tumulum ſanatos eſſe, rogant Archi-Epiſcopum, ut pronuntiet, vera hæc eſſe miracula. Similis libellus ſupplex cujusdam Paſtoris ad eundem Archi-Epiſcopum exſtat *p.219 ſeq.* Cui ſuccedit *p. 222 ſeq.* altera ſuperiorum Paſtorum ad eundem Epiſtola, in qua multa & generatim & ſpeciatim commemorantur miracula *Pariſiana*, addito, teſtes adeſſe miraculorum iſtorum fide dignos. Hinc a *p.234* uſque ad *p. 275* enarrantur patrata a *Pariſii* manibus miracula, interjectisque *p 276 ſeq. Pariſii* epitaphiis, uno Latino, altero Gallico, ſubjungitur *p. 280 ſeq.* precatio horum miraculorum occaſione recitanda, & *p. 293 ſeq.* demonſtratio, quod *Janſenianis* graviſſimo ſint patrocinio miracula *Pariſii*. Appendix eſt longa narratio de *Gantieria* quadam, A. 1730 d. 21 Aug. ad tumulum *Pariſii* affecta ſubita paralyſi. Nos quidem ex his

mira-

Digitized by Google

miraculis agnoſcimus,& plenam *Janſenianorum* eſſe Lutetiam, & ad minuendas perſecutiones Jeſuiticas opus iis fuiſſe his miraculis. Quam vera autem ſint iſta miracula, non eſt noſtrum diſceptare, & jam nuper quidam ſingulari libello Gallico docuit, Pariſiana illa miracula permultum differre a Chriſti legatorumque ipſius miraculis, adeoque haudquaquam eſſe πάσης ἀποδοχῆς ἄξια.

OBSERVATIO ANONYMI DE P. FRANCISCI WAGNERI S. J. narratione, qua LUDOVICI XIV, Gallorum Regis, Statuam, Lutetiæ Pariſiorum in foro Victoriarum (Place de Victoires) poſitam, obiter deſcribit in Hiſtoria Leopoldi Magni Tom. II p. 63.

Scriptores domeſticos, dum ſua referunt, utcunque providos, ne quid falſi memoriæ prodant, in rebus externis ad lapſum propendere, atque a veritate aliena tradere nonnunquam, ſuo exemplo comprobat *R.P. Wagnerus*, de Statua *Ludovici XIV*, Gallorum Regis, anno ſuperioris Seculi ſexto & octogeſimo in principe Regni florentiſſimi urbe poſita, non una Lectoribus propinando, quæ ſecus habere res ipſa palam loquitur. Primo enim equeſtrem appellat: *Ad has*, inquit, *acerbitates offenſio alia, Europæ fere toti communis, acceſſit, ex equeſtri Regis ſtatua.* Ac, ne errore typothetæ equeſtrem pro pedeſtri excuſam putes, *ad equi pedem*, addit, *mancipia viſebantur quatuor*; quin etiam, *ſubtus ungulam Cerberum triplicem, triplicis fœderis exarmati indicem*, ſpectandum ſe præbuiſſe, obſervat. At poſita quidem eſt eadem in urbe *Ludovico XIV* ſtatua equeſtris, ſed haud paulo ſerius poſt, nempe A. 1699, prætereaque alio prorſus loco, nempe in foro Vindocinenſi (*Place de Vendome*), atque alio prorſus ornatu, alia facie, ea nempe, qua expreſſa illa eſt in nummo egregio Operis præclari, quo numiſmata, rebus geſtis *Ludovici XIV* ad poſteritatem transmittendis provide deſtinata, Inſcriptionum & bonarum literarum Academia Pariſienſis exhibuit. *Feuilladæ* autem Ducis curis ac ſtudio non illa, ſed pedeſtris, debetur, qua

Rex,

Rex, pede dextro Cerbero tricipiti inſiſtens, a Victoria retro ſtante coronatur. Porro, quod affirmat *Wagnerus*, *Bernini architecti ingenio* acceptum referri hoc monumentum, id unde hauſerit, jure poſſis mirari. Nam & *Berninus* ſexennio ante Romæ ſenex octoginta duorum annorum e vivis exceſſerat, & artificem ſtatua hæc autorem alium non agnoſcit, niſi *Martinum des Jardins*, Bretæ natum, qui & ichnographiam ejus dedit unus, & fundendæ illi præfuit, quod negotium illi ita ex voto ceſſit, ut omnes in admirationem ſui raperet. Neque enim Gallia opus ex ære fuſum tantæ magnitudinis momentique tanti adhuc viderat, quod conſtet. *Solennitate inaudita*, quod ſubjicit *Wagnerus*, in dedicanda hac ſtatua Gallos uſos, facile nemo non ei largietur, dum concedat viciſſim, in conſecratione alterius illius, de qua diximus, ſtatuæ equeſtris, non minori omnia Gallos pompa peregiſſe. Sed, quod *Charentonio in ponte* poſitam perhibet, profecto vehementer fallitur. Neque enim in ponte ullo, nedum *Charentonio*, viſendam illa ſe præbet, ſed in foro victoriarum, quod Galli appellant, quo loco ædes *Forte-Senecterrenſes* & *Emerianæ* quondam conſpiciebantur, ædificiis pulcherrimis, quorum ſymmetria admirabilis omnium in ſe oculos convertit, exornato, & ſex plateis, ibidem deſinentibus, conſpicuo. Neque vero quatuor illa mancipia, quibus *Puſendorfius* Libro XIX rerum Brandenburgicarum, ubi pluribus ea de re agit, Cæſarem, Hiſpanum, Electorem Brandenburgicum, & Rempublicam Batavorum, deſignari creditos ait, una cum Cæſare Hiſpanos, Batavos & Anglos, ſignificari contendit *Wagnerus*, ad equi vel potius ſtatuæ pedeſtris pedem proxime viſuntur, id quod perſuadere rudioribus ille poſſit, ſed ſub baſeos illius marmoreæ, cui impoſita eſt, podio exſerto, ut patet ex nummo, inter eos, qui *Ludovici XIV* laudes poſteritati commendant, haud poſtremo, cujus, utpote præſtantiſſimis quibusque in hoc genere monumentis artificii elegantia nihil cedentis, & teſtimonium huic ſtatuæ ære, ex quo fuſa eſt, perennius apud ſeros poſteros perhibituri, delineationem hoc loco ſubjungere non abs re foret, niſi ille in celebrioribus patriæ noſtræ muſeis ſpectantium oculos jam pridem ad ſe raperet paſſim ac teneret.

Certiores facimus Lectores noſtros, *Decennii quinti Actorum* noſtrorum haud ita pridem *Indicem generalem* prodiiſſe.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris Anno MDCCXXXIV.

HISTOIRE METALLIQUE DES XVII PROVINCES DES PAYS-BAS &c.

i. e.

HISTORIA NUMISMATICA XVII Provinciarum Belgii a Caroli V abdicatione usque ad Pacificationem Badensem A. 1716; versa ex Belgico sermone. Autore GERHARDO VAN LOON.

Tomi III.

Hagæ-Comitum, apud P. Gosse, J. Neaulme, & P. de Hondt, 1732, fol.

Tom. I Alph. 6 pl. 12, Tom. II Alph. 5 pl. 21, Tom. III Alph. 4 pl. 22.

Quod unum deesse adhuc recentiorum numismatum, quæ superior ac nostra ætas, veterum Græcorum Romanorumque æmula, magno numero, tametsi non eodem ubique artificio atque elegantia, procudit, studio videbatur, ut ingenia excitatiora & eruditionis reconditæ apparatu pleniori instructa iis colligendis explicandisque vacarent, eorumque præstantiam & multiplicem in Historia cumprimis novissima usum Voluminibus justis & ad laudem præclarorum Operum, quibus summi Viri veteres nummos explanarunt, assurgentibus asserent, id non æque ut desiderari in futurum posse videatur,

poſt alia nonnulla, ſed ea non ita multa, ſcripta, quæ proſtant hodie, Reſpublica literaria debet ingenio diligentiæque eximiæ Cl. *Gerhardi van Loon*, cujus Hiſtoria numiſmatica ſeptendecim Belgii Provinciarum, patria dialecto primum, nunc Gallica lingua, edita, inter omnes, qui adhuc ad recentiorum temporum nummos illuſtrandos prodierunt, libros jure ſuo principem haud dubie locum ſibi vindicat. In Præfatione, lectu inprimis digna, ut librorum, ad rem nummariam antiquam pertinentium, qui Bibliothecas ornant, multitudinem agnoſcit Autor Celeberrimus, ita, cum nihilominus conſtet, multa adhuc in hoc ſtudiorum genere diligentiam fugere antiquariorum, optandumque adeo ſit, ut ſuos ipſi nummos Græci Romanique dedita opera explanatos dediſſent, ſupinam noſtrorum temporum negligentiam redarguit, qua Viri docti, in uno antiquorum numiſmatum apparatu defixi, recentiora poſtponant prorſus, & vix obiter attingant, in quibus, cum jam hodie multa ignorentur ab iis, qui & rebus geſtis, & monumentis his ære perennioribus, interſuere, non cæcutire olim & labi multiplici ratione non poſſint boni poſteri, quibus unice tamen deſtinantur. Cujus rei culpam ne quis in nummos recentiores ipſos rejiciat, tanquam ſtudio noſtro non ſatis dignos, cum antiquis eos contendit Cl. *van Loonius*, faſſusque, primum utique locum antiquis deberi, recentiores vel eam ob cauſam negligendos non eſſe evincit, quod res propius ad nos ſpectantes complectantur. In illis, verbi cauſa, Principum ſanguine Chriſtianorum effuſo inclytorum, in his Heroum, qui vitæ ſuæ impendio fundamenta libertatis patriæ jecerunt, vultus adhuc ſpirantes exhiberi; in illis coronas triumphales, civicas, murales, obſidionales, in his inſignia variorum ordinum equeſtrium ſeſe offerre ſpectanda, tempusque & cauſam hujusmodi ſymbolorum clariſſime deſignari in iisdem, non item in antiquis, utcunque in tanta aliorum monumentorum penuria atque imperfectione uſum ceteroqui multiplicem præbentibus, qui ex recentioribus nummis, ut ille arbitratur, longe uberior redundaturus eſſet, ſi ſcriptores noſtrorum temporum iisdem nævis laborarent; fidem autem recentiores nummos mereri nihilo mino-

Digitized by Google

minorem, quam antiquos, utpote autoritate publica perinde cusos, &, si qui uni artificum ingenio suam debeant originem, saltem non minoris faciendos esse, quam Historicos suorum temporum, ex quibus utique paucissimi autoritate publica muniti ad scribendum fere accedunt. His motus Eruditiss. *van Loonius* nummos, qui ad res Belgii illustrandas faciunt, sibi describendos, Historiamque adeo numismaticam septendecim Belgii Provinciarum condendam, duxit, qua, quæ potiora illa offert, patria lingua, (nec ubertate, nec vi, aut puritate, ulli hodiernarum inferiori,) non tantum traderet, ita, ut lucem inde nummi iidem potissimum fœnerarentur, sed etiam dignis fide testibus, in quibus sæpe Decreta ordinum Belgii occurrunt, ad marginem magno selectu citatis, sedulo stabiliret. Nummi ipsi, qui explicantur, in *tres Classes* abeunt. Vel enim sunt proprie ita dicti, quæ numismata vulgo appellant, vel calculis subducendis inservientes, vel necessitatis causa cusi. *Primæ classi* haud dubie potior debetur locus, sive magnitudinem, sive symbolorum varietatem, sive typi elegantiam, consideres. Numismata, huc spectantia, proxime accedunt ad vetera Romana illa, quæ inter missilia numerabantur, nisi quod illa publica autoritate cudi moris erat, hæc plerumque sculptorum arbitrio prodeunt, non ideo minoris facienda tamen, propterea, quod eadem nativitas, mors, connubia Principum, prælia, pacificationes, fundationes ædificiorum, Academiarum, atque alia plura notatu digna, partim symbolis congruis, partim inscriptionibus venustis, adumbrata sistuntur, quodque adeo non minori digna sunt fide, quam Historici eorum temporum, tametsi quædam ex iis longe post cusa circumferuntur. Ea ut parvi merito pendunt peritiores, ita, ne quid Operi huic deesse videretur, attulit ea quidem Cl. *van Loonius*, sed tamen asterismo notanda duxit, alia autem, quæ ex *Bizoti* perverso consilio, calculos, (qui *jettons* Gallis,) majori forma, quam qua prodierunt primum, sculptos in Opere suo exhibentis, & nato inde errore librarii Amstelodamensis, qui *Bizoti* librum auctiorem edidit, calculosque eosdem bis, nempe primum vera sua magnitudine, deinde & majores, ut *Bizotus* eos exhibue-

rat, lectoribus obtruſit, originem trahunt, utcunque fuſa eorum exempla in muſeis oberrant, non immerito prætermiſit. *Altera claſſis* nummos, calculis ſubducendis inſervientes, qui & ipſi calculorum nomine veniunt, complectitur. Ii ab initio nummos non imitabantur, niſi forma externa, ſuperficiem politam quidem, ſed ſymbolis omnibus vacuam, exhibentes. Poſt flores, foliorum condecorationes variaque alia ornamenta iis ſculpi cœpere. Cum pleraſque Belgii Provincias *Philippus Bonus* ſub obſequium redegiſſet, initium factum eſt calculos nummorum inſtar cudendi, quibus non tantum Principis illius nomen & inſignia, ſed & inſcriptiones, quæ ſtudium in ſubducendis rationibus curatius commendabant, additæ conſpiciebantur. *Philippo* inde *Pulchro*, potiſſimum autem *Carolo V*, ad gubernacula ſedente, prodiere calculi, quibus, quæ digniora notatu ſtatus publicus Provinciarum ſuggerebat, memoriæ prodita cernuntur, non ſculptorum arbitrio, ſed publica autoritate. Variæ enim quotannis eorum, antequam ſculperentur cuderenturque, delineationes ordinibus ſummis Belgii totius, itemque Provinciarum, Conſilioque ſanctiori, offerendæ erant, ex quibus ſtatui publico convenientiſſimæ ſeligebantur, ut publico inde ſumtu conflari calculi, ſtrenarumque loco diſtribui poſſent, quod qua ratione factum ſit olim, hodieque, in Belgii tamen Auſtriaci potius, quam Fœderati, Provinciis, obtineat, Doctiſſ. Autor pluribus oſtendit. Inter cetera, quæ ad hoc argumentum pertinent, non prætereunda laudatiſſima conſuetudo Provinciæ Namurcenſis, quæ præter calculos iſtos, qui ſtrenarum locum tuentur, ſub adventum novorum Præſidum calculos, quibus auſpicia novi eorum muneris conſecrantur, cudendos curat, hinc eorum nomina & inſignia, illinc Provincias, exhibentes, ex quibus ſeriem non interruptam Præſidum eorum, tituloſque, & annum primum ſuſcepti magiſtratus, colligi poſſe, Cl. *van Loonius* obſervat. His accedit *tertia claſſis* nummorum obſidionalium, militarium, & neceſſitate urgente, unde & *Nothmüntzen* appellari ſolent, potiſſimum in urbibus obſeſſis, aut alia ratione afflictis, cuſorum, quos ipſa externæ formæ, a conſueta recedentis, ratio, interni pretii abſentia & materia,

qua

qua conſtant, ſuæ originis arguit. Repeiiuntur enim rotundi, quadrati, octogoni, & ſic porro, ac, ſi materiam ſpectes, aurei, argentei, ſtannei, plumbei, chartacei, cerei, ſimilaginei. Sæpe occaſionem, qua conflari cœpere, ipſa manifeſtant inſcriptione, cujusmodi in Iprenſi nummo, dum A. 1583 urbs obſidione cingeretur, cuſo: QUID NON COGIT NECESSITAS? & in Daventrienſi: URGENTE NECESSITATE DAVENTRIÆ, itemque in Bredano: NECESSITATIS ERGO. Primus & ſolus A. 1709 Gubernator Turnacenſis, *Survilleus*, ſculptum in hujus generis nummis, ex ſupellectile argentea conflatis, caput ſuum exhibuit, malam in partem id accipiente Gallia, tametſi conſulta ea de cauſa Academia Inſcriptionum Pariſienſis, id facinus crimine vacare omni, pluribus demonſtravit. In his nummis, præter inſignia urbis, ejusque præfecti, ab initio impreſſa, ſæpe minora quædam ſigna poſtea adjecta reperiuntur, quæ docent, iis, qui majori eos pretio, quam quod internus valor patiebatur, accepere ab initio, poſtliminio ſatisfeciſſe illos, qui ſigna illa addiderunt. Similia invenias in nummis quibusdam vulgaribus, quibus valorem interno majorem ſingularis quædam ratio, ut obſidio Harlemenſium Stenvicenſiumque, attribuit. Atque ex his tribus generibus nummorum conſtat, quicquid eorum in hoc Opere deſcribitur. Non cuſi illi omnes in Belgio ſunt, ad hiſtoriam tamen Belgii utcunque ſpectant, & veræ ſuæ magnitudini tanto hic certius reſpondent, quod Cl. Autor nullos, niſi a ſe viſos, producit, &, ſi quos illis alios admiſcet, teſtimoniis Autorum, unde eos mutuandos duxit, ita confirmat, ut de veritate eorum dubitari nullo modo poſſit. Neque hic monumenta tantum, quibus ſecundæ res Provinciarum Fœderati Belgii occaſionem præbuere, qualia in Vita *Ludovici Magni* numiſmatica utramque faciunt paginam, ſed etiam, quod vel ex nummis obſidionalibus, de quibus dictum eſt, ſatis intelligitur, quæ calamitates publicæ autoribus ſuis expreſſerunt, quemadmodum & minus affabre excuſa perinde, ac quibus ab artificio ſingulari commendatio accedit, producuntur. Ordinem Cl. *van Loonius* eum ſequitur, quem temporis ratio requirit, tametſi eundem in nummis nonnullis, quibus nulla facta ſingularia, ſed

Digitized by Google

laudes certorum hominum generatim, designantur, non sine ratione migrandum duxit. Si qua alicubi menda reperiuntur, non sunt ea chalcographi, sed ipsorum numismatum, quæ emendatiora, quam cusa sunt, dare non licuit. Inscriptiones tamen non, ut in nummis, nudis vocum compendiis repetuntur, sed, ut facilius intelligantur, integræ compareant, minori nempe forma adjectis literis, quibus adscribendis singulis angustiæ spatii in nummis ipsis obstitere. Reperiuntur ceteroqui in Opere hoc ter mille circiter nummi delineati descriptique, in quibus colligendis *Andrea Schæmakero*, *Balthasari Scotto*, & *Christophoro Beudekero*, patriarum antiquitatum indagatoribus sedulis, permultum debere se, Cl. *van Loonius* grati animi testificandi causa fatetur.

HISTOIRE DE DANNEMARC AVANT ET DEPUIS l'etablissement de la Monarchie, &c.

h. e.

HISTORIA DANIÆ ANTE ET POST INTRODUCTUM statum Monarchicum, Autore J. B. DES ROCHES, *Equite, Consiliario, & causarum patrono generali Regis Christianissimi in Collegio, cui redituum Regiorum cura demandata est, & Camera patrimonii Regii districtus Rupellensis. Nova editio, recognita & emendata, post editionem Batavam; cui addita Continuatio ejus Historiæ usque ad annum 1732.*

Tomi IX.

Lutetiæ Parisiorum, apud Rollinum, filium, 1732, 12.

Tom. I pl. 19, Tom. II pl. 22, Tom. III pl. 19, Tom. IV pl. 18, Tom. V pl. 18, Tom. VI pl. 19, Tom. VII pl. 19, Tom. VIII pl. 15, Tom. IX pl. 19½.

Quæ apud *Waesbergios* in Belgio A. 1730 sex Voluminibus prodiit Historia Daniæ Cl. *des Roches*, in principe Gallolorum

lorum urbe Lutetiæ Parisiorum correctior & auctior altero post anno novem Voluminibus lucem adspexit solertia Bibliopolarum Parisiensium, qui, cum intelligerent, fuisse adhuc neminem, qui res Danorum a primis initiis ad hæc usque tempora Gallico sermone exposuerit, librum hunc quantocyus prelo repetendum, Regioque muniendum privilegio, curarunt. Cum prima illa, quæ apud Batavos exiit, editio, ephemeridibus literariis laudata, nostro se conspectui adhuc subduxerit, atque adeo altera hæc Parisiensis cum illa contendi a nobis nequeat in præsenti, quid hæc præcipui habeat, accuratius definire non licet, maxime cum Præfatio generalis nulla vel Autoris, vel ejus, qui editionem hanc absente, ut videtur, Autore curavit, Operi huic præmittatur. Id certum cum ex titulo ejus, tum peculiari indicio, a Bibliopolis *Tomo IX* præmisso, editioni huic narrationem compendiariam rerum ab A. 1699 usque ad trigesimum secundum, incertum, quo compilatore, adjectam. Cl. enim *des Roches* eam non deberi, vel, quæ proxime, nullo Autoris sui indicio facto, subjuncta est, vulgata pridem versio Gallica libri Anglici, quo *Molesworthus* statum quondam præsentem Daniæ delineavit, satis loquitur, quam ille, utpote contraria omnia iis, quæ de ratione hodierni Danorum regiminis, *Friderico III* regnante introducti, tradit, docentem, prætereaque correctione & augmentis novis hodie plurimis indigentem, hac facie suæ neutiquam tractationi attexuisset. Utrique editioni communis haud dubie duplex Dedicatio, altera *Friderico IV*, cujus imago cerea tabula expressa est, altera, exstincto illo ante, quam vel prelo exire liber, vel offerri posset, *Christiano VI*, hodie Danis felici auspicio imperanti, sacra, in qua, quibus parentem *Fridericum* ornarat laudibus, eas ad filium *Christianum*, virtutum patriarum hæredem, suo quodam jure transfert. Operi universo præmissa est historica Præfatio, lecturis id cum fructu viam sternens. Ut potiora inde paucis delibemus, Scriptorum plerique, ut docet Cl. *des Roches*, Regum Daniæ ante Christum natum longam contexuere seriem, sed fabulis tot mixtam, ut omnia in universum repudianda censuerint nonnulli, quæ memoriæ ea

de

de re prodita circumferuntur. Ipſe iis haud paulo religioſior ſuo quidem omnia loco reliquit, ſed res geſtas, quæ Regibus illis tribuuntur, ſtrictim commemoravit ea lege, ut fidem dictorum penes Autores relinquendam duxerit. Antiquiſſimus Danorum Rex vulgo *Dan*; reperiuntur tamen & ante Reges, quos judicum vel Ducum nomine terras has rexiſſe fama eſt, quin, altius ſi progredi libeat, præſto ſunt nomina poſterorum *Noe*, qui primi has incoluiſſe terras feruntur Tres hinc periodi, triplex regendi populi ratio, prima herilis, atque ei, quæ apud Patriarchas obtinuit, ſimillima, uſque ad annum orbis conditi 1960, altera Ducum uſque ad annum 2910, tertia Regum, eorumque tum gentilium, tum Chriſtianorum, ad noſtra uſque tempora. Ac tertia quidem periodus octo familias, ſibi invicem ſuccedentes, complectitur, nempe 1) Danicam, 2) Dano-Suecicam, vel Hottfridorum, 3) Gothicam, 4) Scanicam, 5) Norwegienſem primam, 6) Norwegienſem alteram, 7) Anglicam, vel Suenoniam, 8) Oldenburgicam. Sed in hac ſerie Regum ordinis perturbationem, & quod venditentur pro Regibus ad dignitatem nunquam evecti Regiam, ſed nullo niſi Comitum vel Dominorum titulo illuſtres, jure reprehendit Eruditiſſ. *Thormondus Torfæus*, cujus Chronologia Regum Danorum huic Præfationi ſubjuncta eſt, quemadmodum & obſervationes ejusdem ad calcem cujuscunque antiquiorum Regum additæ comparent. Utcunque autem ante *Odini*, magi, a quo *Torfæus* orditur, in his partibus adventum nihil certi explorative hiſtoria Danica complectitur, tamen ante ea tempora nec incolis Daniam, nec Rectoribus, tametſi Regio nomine, quod quo tempore uſurpari primum cœperit, vix definiri poteſt, ab initio non utentibus, caruiſſe, Cl. *des Roches* arbitratur. Quin & hæreditario eos jure ſibi invicem ſucceſſiſſe, ex conſtanti omnium temporum uſu obſervat, tametſi non ignarus, fuiſſe Scriptores, qui contrariam ſententiam tuendam ſuſceperunt. Non negat ſane, *Waldemari I* temporibus jus eligendi Regem quodammodo receptum videri, ab ipſis Regibus, dum hæredes proximi ſucceſſores deſignarentur, agnitum, idque a *Saxone Grammatico* propugnari: ſed hunc

Google

hunc partium ſtudio, quod Eccleſiaſtico ordini adſcriptus ambitioni Epiſcoporum litandum duceret, abreptum contendit, &, rejecto *Haraldi* & *Nicolai* exemplo, ab *Abele* demum eligendi illam Procerum Daniæ poteſtatem derivat, quæ ſub *Friderico III* ſuperiori Seculo exſpiravit, revocato a Danis veteri illo ſucceſſionis jure, ita illis probato quondam, ut ad filias quoque, cujus rei varia exempla Autor profert, id extendere nulli dubitarent. His præmiſſis, Cl. *des Roches* Geographicam Daniæ deſcriptionem ſubnectit, &, brevi regiminis antiqui & hodierni inſtituta comparatione, indolem Danorum, veterum inprimis, deſcribit, fortitudinemque eorum & res terra marique geſtas, ſtudium gloriæ, curam prohibendi, ne heroum præclara facta oblivione delerentur, monumentis poſt fata eorum poſitis, carminibus, aliisque modis, declaratam, religionem, & poſt miſſam de metempſychoſi perſuaſionem ſaniores de animæ immortalitate vitaque futura ſententias, Deos, pugnam cum ſpectris, cultum ignis, &, quod mirum, ligni, quo corpora, quemadmodum animos igne, conſtare opinabantur, ex quorum poſteriori manare potuit ritus corpora defunctorum in navibus repoſita vel tumulandi, vel una cum iisdem concremandi, porro venerationem *Odini* ſingularem, ut & *Freyæ*, locum, quem bello cæſis poſt hanc vitam aſſignabant, *Vallhall*, quaſi cæſorum aulam dictam, ſententiam de fato, rationem divinandi, &, Chriſtiana religione recepta, conſtantem tribuendi ſuum cuique voluntatem, æquiſſimis legibus earumque obſervantia ſedula comprobatam, legislatores præcipuos, *Waldemaros* inprimis duos, *Fridericum III*, & *Chriſtianum V*, denique ordines, quibus Daniæ quondam regnum conſtabat, inſignia Danica, & rationem adminiſtrandi juſtitiam, ſatis luculenter ob oculos ponit. Hanc Præfationem ſequitur, ut diximus, Chronologia *Torfæana* de vetuſtis Daniæ Regibus, cui Autor Diſſertationem de quibusdam Jutiæ rectoribus, quos nonnulli pro Regibus univerſæ Daniæ venditant, itemque de iis, qui medio inter *Sivardum* & *Gormonem I* tempore præfuiſſe Daniæ feruntur, ex *Torfæi* ſerie Regum Daniæ potiſſimum decerptam, ſubtexuit. De ipſa jam Hiſtoria Cl. *des Roches*

ches pluribus dicendum eſſet; ſed Lectores, certiores facti, nihil hic prætermitti facile, quod quidem ſcitu dignum ſit, Autores, quos ſequendos ille duxit, ad marginem appellari frequenter, narrationis filum ſtilo culto facilique deduci ab initio ad finem uſque, tractationi ſubinde, ne quid legentium morari ſtudium poſſit, notulas ſubjungi, nec Indices, ſimili libro perneceſſarios, deſiderari, ſatis habebunt, ſi, quid ſinguli Tomi complectantur, & quouſque pertingant, indicaverimus.

Tomo I igitur ab anno orbis conditi 1800 orſus Autor, poſt narrationem brevem de judicibus Cimbrorum Reges inde a *Dane* uſque ad *Suenonem*, quem tertium & quinquageſimum numerat, perſequitur, facta ſub finem mentione lacunæ, quæ in Hiſtoria Daniæ per trecentorum & quod excurrit annorum intervallum deprehenditur. *Tomo II* a *Biornone*, Rege LIV, uſque ad *Suenonem* III, ordine LXXXIX. *Tomo III* uſque ad *Chriſtophorum I*, Regem XCV. *Tomo IV* uſque ad *Margaretham*. *Tomo V* uſque ad *Joannem*. *Tomo VI* uſque ad *Fridericum II*. *Tomo VII* uſque ad annum XI regiminis *Friderici III*. *Tomo VIII* uſque ad *Chriſtianum V* progreditur, in cujus fatis ſupremis cum deſierit, *Tomo IX* denique compendiaria illa narratio, de qua diximus, rerum Daniæ ab A. 1699 uſque ad præſentis Seculi annum trigeſimum alterum geſtarum, una cum *Moleſworthi* Deſcriptione ſtatus Daniæ præſentis, ſed qui hodie quidem per omnia præſens appellari nullo modo poteſt, coronidem Libro imponit.

HISTOIRE DE CHARLES XII, ROI DE SUEDE.

h. e.

HISTORIA CAROLI XII, REGIS SUECIÆ, Autore DE VOLTAIRE.

Tomi II.

Amſtelodami, ſumtibus Societatis, 1732, 8.

Tom. I pl. 14, Tom. II pl. 14.

Hiſto-

Hiſtoria *Caroli XII*, Regis Suecorum, quo ætas noſtra nihil illuſtrius vidit, atque illa non ab obſcuri nominis Scriptore e turbidis lacunis ephemeridum hauſta, ſed ex limpidioribus fontibus a Viro, cujus dexteritas non unis adhuc ingenii monumentis erudito orbi probata, nihil mediocre pollicetur, petita, vel primo adſpectu Lectorum animos ad ſe convertat, neceſſe eſt. Non mirum igitur, avidiſſime exceptum fuiſſe hunc fœtum ingenioſiſſimi Viri, Cl. *Voltairii*, qui, poſt contextam plaudentibus Muſis *Henrici IV*, Regis Gallorum, carmine epico Hiſtoriam, ſolutæ ſe orationis non minorem in rebus geſtis *Caroli XII* exponendis artificem præſtitit. Operi politiſſimo non minus comta præmittitur Præfatio, qua obſervat Autor, perparvos reperiri Principes ſatis dignos, quorum vita & res geſtæ memoriæ prodantur; ſpectare huc eos, quorum inſignia in genus humanum vel beneficia extent, vel maleficia. Inter hos medium tenere locum fundatores magnorum imperiorum, ſed ad tyrannorum propius, quam bonorum Principum, claſſem accedere, nominisque ante alios celebritate florere. Ceteros nec ſago, nec toga, illuſtres, &, ut vitiis, ita virtutibus parum excellentes, rectius negligi, tametſi & his præcones ſui non deſint, ſed non obſtituri aliquando, ne poſteritas, non niſi in ſummis Viris contemplandis defixa, non oblivioni tradat heroas, quos præpoſtero ſtudio laudandos ſuſceperunt. *Carolum XII*, Regem Suecorum, ejusque æmulum, *Petrum*, *Alexii* filium, Imperatorem Ruſſorum, eodem illo longe ſuperiorem, haud dubie ad cenſum Principum generis prioris pertinere; atque inde illius hiſtoriam ſcribendam duxiſſe Autorem, uſui futuram Principibus, ne aliorum bellica laude florentium veſtigia cœco impetu ſequantur. Niti illam narrationibus hominum fide dignorum, qui plures annos in comitatu *Caroli*, *Petri*que, Ruſſorum Imperatoris, vixerint; nihil hic a ſe tradi, de quo non teſtes avtoptas, eosque nemini improbandos, conſtituerit; multa minoris momenti prælia a præfectis militum Suecicis Ruſſicisque commiſſa hic præteriri, quod non illorum, ſed Regis, hiſtoriam condendam ſumſerit, in qua & ipſa non reperiantur,

 niſi

niſi notatu omnium digniſſima; ea vero omnia revocanda eſſe ad annum 1728; nam ab eo tempore & florere in Suecia commercia, & in Polonia peditatum arctiori diſciplina adſtringi, veſtimentisque militaribus uti, cœpiſſe, contra quam ante ſe res habuerit; ceterum veritatem fortaſſe alicubi odium eſſe parituram, ſed hominum ipſorum culpa, non Scriptoris.

Hiſtoria ipſa diviſa eſt in *duas Partes*, quarum utraque totidem Libris, nempe quatuor, conſtat, ita, ut tota illa *octo Libris* abſolvatur. *Primus*, generali Sueciæ & Principum illuſtriorum, quibus illa ſe, inprimis a *Guſtavi Vaſæ* inde temporibus, jactat, cujusmodi *Guſtavus* ipſe, *Guſtavus Adolphus*, *Chriſtina*, & qui ſequuntur, deſcriptione præmiſſa, ſiſtit *Caroli XII* nativitatem, pueritiam, ſtudia, mortem utriusque parentis, tutelam aviæ *Hedwigis Eleonoræ*, ſed illam minus diuturnam, quippe quam eodem illo anno, quo *Carolus XI* e vivis exceſſerat, *Caroli* inauguratio ſuſtulit, initia regni minus auſpicata, tres, quos uno tempore nactus eſt, hoſtes, *Fridericum IV*, Daniæ Regem, *Auguſtum II*, Regem Poloniæ, & *Petrum*, Ruſſorum Imperatorem, trajectum ejus in Seelandiam, pacificationem Trauendahlienſem, novi cum Ruſſis belli auſpicia, Narvamque exigua Suecorum manu ab innumerabili Ruſſorum oppugnantium multitudine liberatam.

In *ſecundo* Lectoribus ſeſe offert *Auguſti II* Birzenæ cum *Petro*, Ruſſorum Imperatore, conventus, clades Saxonum ad Dunam, *Caroli*, ſubacta Curlandia, in Lithuaniam tranſitus, captumque recens Birzenæ de abroganda per ipſos Polonos *Auguſto* dignitate regia conſilium. Sequuntur comitia regni Varſovienſia, cœpta menſe Decembri A. 1701, & finita anno inſequenti menſe Februario, Kœnigsmarckiæ Comitis ad Regem *Carolum* iter, Legatio Polonorum ad eundem, *Caroli* adventus Varſoviæ, prælium Cliſſovienſe, comitia Lublinenſia, conventus Varſovienſis, pugna Putteskenſis, Thorunium & Elbinga ad obſequium redactæ, conſilium procerum conventus Varſovienſis repudiato *Auguſto Jacobum*, *Joannis III* filium, Regem creandi, ejusdem *Jacobi* una cum fratre *Conſtantino* captivitas, & *Alexandri III* fratris in abnuenda regia dignitate, quam *Jacobo* potius deberi ſibi perſuaſerat, conſtantia.

Ter-

Digitized by Google

Tertium Librum inchoat *Stanislaus Leſcinskius*, Rex Polonis vel invitis obtruſus a *Carolo*, & capta ab eodem Leopolis. Succedit inde fuga *Stanislai*, Varſoviam appropinquante *Auguſto*, Punitzenſe prælium, receptus *Schulenburgii*, reditus *Stanislai* Varſoviam, ejusdemque inauguratio peracta prid. non. Octobr. A. 1705, progreſſus Imperatoris Ruſſorum, inprimis condita urbe Petropolitana, ejusque novum cum *Auguſto* colloquium, crebræ Ruſſorum in Polonia clades, pugna Frauenſtadienſis, Suecorum irruptio in Saxoniam, prælium ad Kaliſcham, pacificatio Ranſtadii, ſupplicium *Patkulii Paikelii*que, *Petri*, Ruſſorum Imperatoris, & pacificatione illa & ſupplicio *Patkulii* ſummopere offenſi, ſtudium vindictæ & molitiones in Polonia, *Stanislai* cum firmo Suecorum præſidio in patriam e Saxonia reditus, Legatorum, quos plerique orbis Chriſtiani Principes ad *Carolum* miſere, inprimis *Marleburgii* Ducis adventus, ejusdemque Regis *Caroli*, *Auguſto* ante Dreſdæ ſalutato, e Saxonum terris poſt annuam commorationem diſceſſus.

E *quarto* jam *Libro* diſcas, quo pacto, Legato in Poloniam miſſo, *Carolum* ſibi colendum duxerint Turcæ, velut jam tum diuturni apud ſe hoſpitii ſpem ei facturi, qua celeritate is *Petrum* Ruſſosque Grodnovii oppreſſerit, eosque ad fines uſque Ruſſici Imperii inſecutus, ad Boriſthenem ſuderit, neque ea re contentus, transmiſſo eo fluvio, in terras Smolenskenſes perrexerit, victisque non ſine præſenti vitæ diſcrimine ad Smolenskiam quantumvis Ruſſis, ad urbem tamen Imperii ejus principem Moſcoviam iter, quod moliebatur, intermittendum duxerit, Ukranenſes quippe terras impulſu *Mazeppæ* ingreſſus, qua deinceps ratione, poſt cladem *Lœwenhauptii*, & commeatum & ſubſidia nova militum adducentis, frigore primo, deinde & fame, victus, Pultavam oppugnare inſtituerit, ſed, prælio mox ad eandem urbem, appropinquantibus cum *Petro* Ruſſis, commiſſo, diſceſſerit inferior, totque victoriarum, quas novem annorum ſpatium reportarat, fructus corruperit, extrema omnia perpeſſurus, niſi apud Turcas perfugium captivitatem ægre effugienti patuiſſet.

Digitized by Google

Quintus Liber Carolum deſcribit in Turcarum finibus Ozakoviæ primum, deinde Benderæ, commorantem, Turcasque ad bellum Ruſſis inferendum ſummo incitantem ſtudio, ſed per *Tolſtois*, Ruſſici Oratoris, ſummum Viſirium ejusque aſſeclas auro corrumpentis, artes parum proficientem, bonæ nihilo minus ſpei plenum, equitando, ludendo, ut & legendo, Gallicos inprimis Poetas, otium fallentem, rerum in Polonia potiente rurſus Rege *Auguſto*, Imperatore autem Ruſſorum victoriarum curſum in Livonia proſequente, deque victo *Carolo* Moſcoviæ ſolenni ritu triumphante. Quæ & alia ut *Carolo* minus grata; ita haud parum ejus animum erexit Danorum, qui in Scaniam irruperant, clades, & multo magis bellum Ruſſicum Turcarum, Ruſſis, ad Pruthum fluvium, qui Hieraſus antiquis, tantum non ad incitas redactis, funeſtum, ſed pace, ad quam procurandam *Cathariua*, *Petri* conjux, operam contulit, peropportuna redemtum.

Succedunt inde *Libro ſexto* Turcarum conſilia de *Carolo* e terris ſuis amandando, *Caroli*que in eludendis iis artes, novi belli Ruſſis inferendi ſpes, exſtinctaque ea iterata de diſceſſu *Caroli* mandata Turcarum, *Caroli* cunctatio, alias ex aliis cauſas moræ ulterioris obtendentis, Turcarum vis poſtremo adhibita, ut vel invitum terris ſuis *Carolum* abſtraherent, *Caroli* in propulſanda illa vi pertinacia, & ſecuta inde captivitas.

Liber denique *ſeptimus* & *octavus*, ut brevitatis cauſa junctim de iis dicamus, *Carolum* in Caſtello Demirtash, mox Demoticæ, agentem, lectoque, vel quod ſimularet morbum, vel quod reapſe ægrotare cœpiſſet, plurium intervallo menſium affixum, ac tandem aliquando redeuntem in terras ſuas, mirum in modum afflictas interea attenuatasque, & iter Cal. Octobr. A 1714 cœptum Cal. Decembr. abſolventem, poſt reditum inde fœderatorum in Pomerania armis fruſtra obſiſtentem, Stralſundiæ obſeſſum, eaque tantum non capta, jam in Sueciam ſe recipientem, ſignis infeſtis Norwegiæ fines ingredientem, ſed, commeatu deficiente, mox reducem, deque *Goritii*, qui tum unus omnia apud eum poterat, conſiliis aureos ſibi montes pollicentem, poſt, renovato in

Nor-

Digitized by Google

Norwegia bello, *Friderici* aulam oppugnantem, atque ibi glande tormentaria trajectum, ob oculos ponit.

Atque hæc omnia non tantum uberius enarrat Cl. *Voltairius*, ſed & ſubinde variis apophthegmatibus diſtinguit, ſed quorum omnium veritatem ut præſtare Vir diligentiſſimus poſſit, admodum veremur. Tantoque altius legentibus haud dubie inſidebit hæc ſuſpicio, quod & alibi in Hiſtoria hac familiare illud Poetis mira potius, quam vera, propinandi ſtudium manifeſtius pellucet, quam ut negari poſſit. Tacemus, quod, more Gallis conſueto, nomina Germanica hic illic corrumpit, dicendo *Finſten* pro *Pſingſten*, *Einſilden* pro *Einſidel*, *Konigſling* pro *Kœnigſtein*, quo & pertinet, quod affirmat, matrem *Catharinæ*, Imperatricis Ruſſorum, fuiſſe agreſtem nomine *Erb-Magden*. T. II p. 49. Sed plura, eaque haud paulo gravioris momenti, Lectores veritatis ſtudioſi jure deſiderabunt, prout vel ex Cl. *Motraji* Obſervationibus patet, de quibus jam dicendum.

REMARQUES HISTORIQUES ET CRITIQUES ſur l'Hiſtoire de CHARLES XII, &c.

h. e.

OBSERVATIONES HISTORICÆ ET CRITICæ in Hiſtoriam CAROLI XII, Regis Suecorum, a Domino DE VOLTAIRE editam, Supplementi inſtar ad Opus illud concinnatæ a Domino DE LA MOTRAJE.

Londini, apud Petrum Dunoyer, 1732, 8.

Plag. 4.

Qui Hiſtoriam *Caroli XII*, a Cl. *Voltairio* editam, de qua diximus, ſibi comparaverit, libello hoc tanto minus carere poteſt, quod ille minus curate vereque a *Voltairio* enarrata modeſte corrigit non tantum, ſed & prætermiſſa non una dedita opera ſupplet. Autor ejus, Cl. *Motrajus*, cui literarum cum Cl. *Voltairio* commercium, dum in ſcribenda is Hiſto-

Hiſtoria totus eſſet, interceſſit, tametſi ejus vix ſemel ibi mentio occurrit, ſponte equidem largitur, politi facundique Scriptoris numeros expleſſe *Voltairium*, ſed obſervat, non æque eum, veritatis leges quo minus migraret, ſibi caviſſe, *Carolo* quippe ſuo ſubinde dicta & facta adſcribentem, quæ nemo ab eo vel dicta audiverit, vel facta viderit, prætereaque tempora, loca, homines, nomina, dignitates, & munia ab iis geſta, confundentem ſæpe ac mutantem. Atque ad aberrationis quidem in tempore aſſignando exempla pertinet, quod nec cladem Turcarum ad Aſſophum, ejusque urbis expugnationem, neque magnam illam Imperatoris Ruſſorum, *Petri*, cui ipſe interfuit, legationem, ſuis annis tribuit Cl. *Voltairius*, tametſi hos lapſus ad incuriam typographorum *Motrajus* noſter referre mavult. Sed miratur, non correxiſſe *Voltairium* ſaltem in altera editione Pariſienſi, quam ipſius ſtudio emendatam titulus profitetur, quod *le Fortum*, celeberrimum Gallum, cui uni tantum non omnia debuit *Petrus*, Ruſſorum Imperator, filium exulis, religionis cauſa e patria profugi, appellat, contenditque, Geneva eum recta ad Ruſſos veniſſe, ut ſtipendia apud eos mereret, deque eo haud paulo veriora & plura non unis paginis tradit. Tuetur porro, hominum fide dignorum teſtimonio nixus, *Carolum*, qui, captis ſemel armis, vino per omnem vitam abſtinuit, antequam belli curis diſtineretur, vini potu nimio inebriatum, multa non modo Principis, ſed & cujuslibet privati hominis, perſona indigna admiſiſſe, id quod aliter ſe habere tamen, Cl. *Voltairius* temere affirmat, cujus & de clade illa Ruſſorum celebri ad Narvam narrationi, mira multa, ſed minus vero conſona, complectenti, longe diverſa, quæ ex ipſorum, qui interfuere, præfectorum militarium ore hauſta eſt, hoc loco ſubjuncta cernitur. Dixerat item *Voltairius*, *Reinſchildium*, ſummum militum ductorem, prælio ad *Frauenſtadium* commiſſo victorem, ſex horarum ſpatio poſt victoriam præterlapſo, Ruſſos cædi ad unum omnes juſſiſſe, tametſi vitam ſuppliciter petentes. Id non crudelitati *Reinſchildii*, ſed mandatis *Caroli*, tribuendum eſſe, *Motra-*

T.II p.110.

Motrajus ostendit: nihil enim non egisse *Reinschildium*, ut vitam iis exoraret apud *Carolum*, sed frustra; *Carolum* vero, crudelitatis, quod ad hoc factum attinet, utique reum, excusari quodammodo posse, si *Patkulii* supplicium spectes, qua in re una humanitatis leges migrasse *Carolum*, *Voltairius* contendit; *Patkulium* enim videri Russos, Danos, & *Augustum*, Polonorum Regem, ut Suecos bello aggrederentur, concitasse.

Tradit porro *Voltairius*, postridie, quam *Carolus* Dresda, qua in urbe *Augusto* e Saxonia abiturus vale dicendum putarat, ad suos rediit, cum percrebuisset rumor, extra ordinem cum Proceribus aulæ suæ consultasse *Augustum*, *Reinschildium* dixisse, deliberare eos, quid facto opus fuerit pridie ejus diei, cum *Carolus* in eorum potestate esset. Id vero *Stralenheimio Motrajus* vindicat, iisque in dubium vocatis, quæ de *Marleburgio* Duce, *Caroli* consilia de prosequendo adversus Russos bello expiscante, a *Voltairio* afferuntur, ostendit, id unum dubitari non posse, Heroa tantum ex merito exceptum a Suecis non esse, idque exemplo *Piperi*, Comitis, venienti ad se post semihoram demum sui copiam facientis, illustrat. Odium erga Gallos velut natura insitum in *Carolo* observasse *Marleburgium* eundem, *Voltairius* affirmat. Sed negat *Motrajus*, ejusmodi quid unquam se in Rege eodem animadvertisse, Imperatoremque *Josephum* absolvit culpa violatæ pactionis Altranstadiensis, qua sacrorum restitutionem Silesiis impetravit *Carolus*, a *Voltairio* ei temere objecta, quem & Legatum ad Rempublicam Polonorum missum perperam pro Oratore ad *Carolum* dedita opera amandato venditasse observat. Sed longum sit, cetera, quæ numero non pauca sunt, omnia persequi. Satis fuerit, docuisse, bonæ frugis plenissimum esse libellum hunc, & tanto digniorem fide, quod testem oculatum, aut a testibus oculatis veriora edoctum, Autorem agnoscit, neque adeo dimittendum e manu ei, qui a *Voltairio*, speciosa potius, quam vera & solida, nonnunquam consectante, in transversum rapi noluerit.

A NATURAL HISTORY OF BIRDS, &c.

Digitized by Google

h. e.

NATURALIS HISTORIA AVIUM, ILLUstrata centum unaque Tabulis æneis, ad vivum curiosissime exsculptis. Edita Autore ELEAZARE ALBINO, *magnoque studio ipsius filiarumque picta ad fidem originalium, ex vivis avibus desumtorum.*

Tomus I.

Londini, sumtibus Autoris, 1731, 4.

Plag. $12\frac{1}{2}$, cum Fig. 101.

Historiam avium post *Jonstonum, Aldrovandum*, *Raium*, & *Willugbejum*, nemo curatius Cl. *Albino* recensuerit, si eadem, de quo dubitare fas non est, felicitate ceteri post hunc primum Tomi in lucem prodituri sunt. Nec studium defuit Autori & in perlegendis antiquiorum Operibus industria, nec artificiosæ manus dexteritas, cujus gloriam cum filiabus sponte lubensque partitur. Descriptionis forma eadem est, quæ *Catesby*, siquidem modo a pondere avis, modo ab ejusdem latitudine, aut longitudine, cujus mensura eidem in ave volante est, itidemque ab Iridis in oculo colore, pedumque reliquarumque corporis partium conformatione desumit, quo ipso, maxime si *Raji* opera uti voluisset, luculentam avium methodum, ne sine ordine progressus esse videretur, instruere potuisset. Imo vero haud difficulter deprehendas, naturali quadam serie aves sibi invicem succedere, ut ratio dari possit, cur sic & non aliter disposuerit. Initium dicendorum faciunt aves terrestres, agmen claudunt aquaticæ. Terrestrium prolixa familia suis consanguinitatibus affinitatibusque gaudere deprehenditur. Agmen ducunt aves rostris aduncis, quas rapaces carnivorasque appellare solemus. Potuerant characteres quidam externi assumi, quibus hæ aves in classes dispescerentur; sic buteones ab accipitrum ordine diversi sunt, quandoquidem horum maculæ pectorales transversim excurrant, illorum vero semi-

Digitized by Google

ſemilunares ſint. Imo etiam in cauda avium, ejusdemque quoad pennas forma, haud levior eſt characterum apparatus; ſiquidem in quibusdam avibus adunco roſtro armatis expanſa eſt & integra, in quibusdam biſurcata, quo ſigno aliquis *Milvos* a reliquis avibus facile dignoverit, ſiquidem & rara alarum vibratione volet, quo ipſo clarum eſt, a volatu, ſi cui placuerit, avium plurimarum deſcriptiones & genericas differentias deſumi poſſe. Inſiſtit Autor *Rajanæ* methodo, proximo poſt rapacium ordinem loco avium familiam collocans, quæ roſtris ſunt rectis, magnis, & prævalidis, & ad quarum colorem maxime reſpiciendum eſt, ſi diſtinguere ſingulas, & peculiari loco collocare quis velit. Nempe unicolores ſunt, nigro aut alte cœruleo, aut ex nigro ſplendente *Monedula*, *Corvus*, *Cornix*. Capite cruribusque nigreſcit *Pica*, inde variis coloribus ludit, pennas veſtitrices puniceas, remiges alæ caudæque varias habens *Pica glandaria*, capite purpureo, cetera viridis eſt *Picus viridis*. Nempe in quamplurimis avibus conſtans eſt color, adeoque nihil impedit, quo minus definitionum fundamenta exinde peti poſſint. Sequuntur aves, quæ ſuperiorem roſtri valvam tantum inflexam habent, granivoræ, ſeu gallinarum genus, ex quibus cauda biſurca eſt collo caudaque aut capite, cœruleus, orbita oculorum rubens, cetera fuſcus *Urogallus* minor, integra gaudent hac breviore pedibus undique pluma veſtitis *Lagopus*, longiori & ſpecioſa *Phaſianus*, breviſſima *Perdrix*, *Coturnix*. Sic apte ſuccederet negotium, ſi a mobilitate pinnarum caudæ, prout in Pavone & Gallo pavone, aut ab eo, quod quædam digito pedis poſteriore careant, prout in *Otide* & *Oedicnemo* Tab. LXIX accuratiſſime obſervatum eſt, quis diviſionis rationem deſumere velit. Peculiaris claſſis eſt avium melodicorum, quæ cantum exercent, cum plures aliæ ſint amelodi, ſonosque edant incompoſitos gravesque audientibus. In harum avium ſpeculatione ſi quis cum voluptatate verſari voluerit, non tantum cantus diverſitate, ſi ubi inveniantur termini, ſed & colorum varietate, aut, quod in his incurvum ſit roſtrum, in aliis minus, definitiones excogitare poterit haud dubias & quam maxime decla-

claratas. Quamvis enim & definita cuique avium generi ſit ſtatura, poſſintque & ab eadem aves definiri, æquivoca tamen eſt & parum conſtans, quæ ſic conficitur, deſcriptio. Si quis porro cogitaverit, vitæ genus plerisque congeneribus ceteroquin avibus diverſum eſſe, ita, ut detur Merula ſylvarum, Merula murorum, alia ſit pratorum, alia arborum Alauda, ſint domeſticæ Hirundines, ſint, quæ murorum aut pontium appellari ſolent, illi dubium non erit, de conſuetudine moribusque avium Autoribus ornithologiæ, ſi eadem cum Cl. *Albino* felicitate uti velint, inter ſe conveniendum eſſe. Denno autem ad roſtri indolem & menſuram deveniendum eſt. In illo avium genere, quæ circa aquas & ſtagna, aut marium littora, degunt, roſtrum productius & acuminatum, pedum etiam menſura præalta, obſervatur, prout in vanello, ave pugnace, ciconia, grue, rallo aquatico, ſecus ac in ruricolis longiroſtris, ſcolopace, aliisque, quibus pedes breviores ſunt. Quotusquisque enim eſt, qui, cui fini hæc omnia ſic ſapienter a Creatore ordinata ſint, non videat? Quod ſi quis ejusmodi aves, eo quod circa aquas degant, aut ex iisdem nutrimentum petant, ad aquaticarum claſſes ſimul referre velit, illi totum hoc genus dividendum eſſet in fiſſipedum & palmipedum ordinem. Illis ſcilicet roſtra aut longiſſima ſunt, aut longiora, reliquarum tamen avium menſuram multam ſuperantia, his vero, quæ natatum exercent cum digitis pedum membrana conjunctis, roſtra ſunt lata. Imo deprehendas, quarum pedes, eo quod terra aquisque victitent, ſemimembranoſi ſint, prout in fulica. Ex præſentis Operis ſplendore, &, quo ab omnibus excipitur, applauſu, & nobis & Autori de ſubſequentibus Tomis maxima poteſt eſſe & fiducia & expectatio.

AN ENQUIRY INTO THE EVIDENCE OF THE Chriſtian Religion, by a Lady.

h. e.

INQUISITIO IN ARGUMENTA, QUIBUS

Chri-

Digitized by Google

Christianæ Religionis veritas probari potest, a Fœmina Anonyma instituta. Secunda, eaque auctior, Editio.

Londini, typis Guilielmi Innys, 1732, 8.
Plag. 20.

Licet numerus vix iniriri queat fœminarum, quæ scriptis editis nominis voluere consequi celebritatem; pleræque tamen earum Poesin tantum ingenio suo convenire judicarunt. Philosophiæ scientia paucissimæ animum suum imbuerunt. Neque tamen omnino defuerunt studii Philosophici & utilitate insigni & voluptate eximia ductæ. Quarum quidem aliquot ex instituto recensuit S. Rev. *D. Joannes Esbergius* in Dissertatione de *Mulieribus philosophantibus*, Upsaliæ A. 1699 habita. Doctissima Fœmina, quæ, quod præ manibus habemus, scriptum elaboravit, quam verbi divini ministri Londinensis *Newcomii* conjugem esse, nobis relatum est, utique non ultimum inter mulieres philosophantes locum meretur, cum de argumento utilissimo, quod gravissimorum Virorum exercuit ingenia, non solidis solum, sed & perspicue prolatis, argumentis laudabili consilio & felici disputarit solertia. Quæ hujus scripti sit ratio, ex editione ejus secunda, quæ priori auctior & in Indice & in Præfatione dicitur, exponemus. Priorem enim editionem oculis nostris non usurpavimus.

Et sub initium quidem illud sine laude referre non possumus, quod Eruditiss. Fœmina definitiones & theoremata aliquot ipsi veritatis religionis Christianæ demonstrationi præmiserit. Neque enim solum exponit, quid per veritatem, evidentiam, Pag. 1, 2. demonstrationem, certitudinem, probabilitatem, fidem, opinionem, &c. intelligi in suo libro velit; verum etiam, quid per felicitatem, miseriam, summam voluptatem, & religionem, denotet, declarat. Harum vocum enim in ipsa de veritate religionis Christianæ Disputatione non poterat non frequens fieri mentio. Theoremata quædam eo consilio præmisit, ut ad ipsam, quam meditatur, veritatis religionis Christianæ demonstrationem viam sibi muniat. Summa eorum est, omnes homines teneri de mediis solicitos esse, quibus felicitatem suam pro-

promoveant. Quam quidem veritatem cum nemo unus vel queat, vel velit, in dubium vocare; concludit, ipsius rationis judicio illum impudentissime agere, qui non vult in veritatem religionis Christianæ data opera inquirere, cum omnibus, qui secundum ejus præscripta incedunt, summam promittat beatitatem. De veritate religionis Christianæ nemo potest convinci, nisi prius concedat, Deum existere. Igitur Doctiss. Fœmina *Sect. VI* in argumenta inquirit, quibus fides nostra de existentia Dei nititur. Argumentis nullis a priori existentiam Dei probari posse, existimat, cum nullæ de Deo dentur ideæ innatæ. Quam quidem controversiam ut hoc loco sub examen vocemus nostrum non patitur institutum. A posteriori autem optime existentiam Dei defendi posse, tuetur. Cum nemo in dubium vocet, mundum existere; necessarium esse, concludit, hunc ipsum vel sine causa existere, vel a certa causa esse productum. Si sine causa existit; consequens esse, eum ab æterno existere. Si autem non ab æterno existat; & causam existentiæ suæ habere. Mundum non ab æterno exstitisse, hac ratione probat. Quod systema nullum habet initium, nullum etiam habet finem. Impossibile enim est, adesse causam destructionis illius rei, cujus existentiæ nulla est causa. Jam vero, cum ex natura & constitutione corporum naturalium nemo non intelligat, ea successu temporis destrui, & ad interitum suum vergere, manifestum esse, ab æterno mundum non existere; causam esse mundi ab ipso mundo diversam. Quæ quidem causa Deus appellatur. Probata supremi Numinis existentia, attributa ejus e consideratione mundi ab eodem creati eruit, & de supremi Numinis intellectu, potentia, sapientia, immutabilitate, independentia, beatitate, bonitate, justitia, libertate, &c. verba facit, quæ malumus a Lectore in ipso Libro legi, quam hic copiose enumerare.

Sect. VII pergit inquirere, quænam actiones ab hominibus debeant suscipi, ut homines supremo Numini arrideant? E re esse judicat, prius ad hanc quæstionem respondere, quam de revelatione quadam judicium ferre; cum manifestum sit criterium, illam revelationem esse falsam, quæ præscribit officia

illis

Digitized by Google

illis contraria, quæ recta dictitat ratio. Exempli loco commemorabimus, ex quo principio officia hominis erga se ipsum derivet? Deprehendimus, ita rationes subduci, hominibus a supremo Numine facultates quasdam esse concessas, quibus & suam & aliorum felicitatem possint promovere; consequens igitur esse, omnem homines debere navare operam, ut ne imminuant facultates a supremo Numine sibi concessas, quo omni tempore ad id sint idonei, ad quod a Creatore sunt destinati. Qui imminuit atque deteriores reddit facultates a creatore sibi concessas, variis se privat is felicitatibus, quibus potuisset frui, siquidem facultates a supremo Numine sibi concessas servasset integras. Omne igitur, quicquid debilitat facultatem intelligendi, judicandi, ratiocinandi, libere agendi, quicquid corpus imbecillum reddit, miserum efficit hominem, eumque supremi Numinis gratia privat.

Sect. VIII ex instituto inquirit, utrum rationi conveniat, a supremo Numine præter lumen naturæ aliam exspectare voluntatis ejus revelationem? Tuetur Doctiss. Fœmina, sive quis ad supremi Numinis attributa, sive ad naturam hominum respiciat, nusquam argumenta sese offerre, quæ persuadeant, nullam revelationem posse sperari specialem. Cum summum Numen creaverit homines, indignum etiam illo non esse, curam gerere eorum, actionesque dirigere. Ad homines quod attinet, multos in iis ad inveniendam veritatem, vel ob imbecillitatem ingenii, vel ob præjudicia, quibus sunt occupati, non esse idoneos. Multos, cum aliis negotiis sint distracti, tempus destituere quod inquisitioni veritatis debeat impendi. Certum igitur esse, multos homines variorum officiorum, quæ ad beatitatem ducunt, constanter ignaros futuros, si quidem Deus singulari revelatione illos officia scitu necessaria docere nolit. Jam vero, cum ignoratio officiorum ab homine præstandorum eos privet felicitate, cujus alias natura fuissent capaces, & eosdem miseros non possit non reddere, consequens esse propugnat, non sine ratione sperari a supremo Numine revelationem specialem, qua hæc ignoratio tollatur, præsertim cum neque de potentia ejus, neque de benevola in homines voluntate, ullum Pag. 54.

sit

ſit dubium. Quæ quidem ubi copioſius eruditiſſima diſputavit Fœmina; ſub examen vocat objectiones, quæ ex ſcripto, cujus index: *Chriſtianity as old as the Creation*, quod in *Actis A. 1731 M. Jun. p. 252 ſeq.* recenſuimus, contra has poſitiones formari poſſent. Autor ejus ſcripti, quem *Tindalium* eſſe conſtat, tuetur, Deum legem dediſſe, quam qui obſervet, non poſſit non feliciſſimus evadere. Eundem omni tempore omnibus hominibus ſufficientia conceſſiſſe media ad hanc legem cognoſcendam. Hanc legem magis extendi non poſſe, quam quidem ab omnibus queat cognoſci. Unicum autem medium cognoſcendi hanc legem omnibus hominibus conceſſum eſſe uſum facultatum, quibus homo diſtinguitur a brutis. Quibus quidem qui velint uti, non poſſint non beatitatem conſequi. Legem igitur illam eſſe perfectam, neque illi quidquam poſſe addi. Ex hiſce theſibus utique confici poſſe videtur, nullam ſpecialem revelationem eſſe ſperandam. Si enim lex naturæ eſt perfectiſſima, ſi omnes ea duce ad illum beatitatis gradum pervenire poſſunt, cujus natura homines ſunt capaces, quare præter neceſſitatem Deus novam cum hominibus communicaret revelationem? Ipſe quidem *Tindalius* hanc concluſionem e ſuis poſitionibus non eruit, ſed potius præter legem naturæ revelationem ſpecialem legi naturæ exacte conſentientem admittit. At enimvero Doctiſſ. Fœmina ex rei veritate judicat, non poſſe non eam, quam protulit, concluſionem ex *Tindalii* theſibus ſequi. Operæ igitur fecit pretium, quod ad hanc objectionem data opera reſponderit. Videlicet negat & pernegat, *legem*, ſive *religionem*, quam intelligimus beneficio facultatum, quibus a brutis diſtinguimur, eſſe perfectam. Cum Deus juſtiſſimus ſit atque benigniſſimus, conſequens eſſe exiſtimat, omnibus hominibus eadem & erga Deum & erga alios & erga ſe ipſos eſſe præſcripta officia; a quorum impletione omnis pendeat ſalus. Quo plura igitur officia aliquis cognita habeat atque exerceat, eo majorem eum conſequi beatitatem. Omni vero carere dubitatione, homines mediocri ingenio præditos brevi temporis ſpatio non poſſe eam ſibi officiorum comparare cognitionem, quam præſtantiſſima ingenia ſibi comparant. Multos igitur officia

Digitized by Google

ficia quædam negligere, quod ſibi non ſint cognita, atque hac ratione felicitate quadam, cujus natura fuiſſent alias capaces, ſe privare, & ſe miſeros reddere. Conſequens ideo eſſe, legem naturæ eſſe utique imperfectam, quippe quæ latius extendi nequeat, quam media ſufficiunt ad illam detegendam. Quemadmodum hactenus diſputata tantum faciunt ad probationem poſitionis: non inconveniens eſſe, Deum ſingulari rationi revelaſſe, quæ etiam e rationis lumine a præſtantiſſimis ingeniis multa adhibita opera erui poſſunt; ſic etiam Doctiſſ. Fœmina in ſequentibus ſolicita eſt, utrum, ſalvis Dei attributis, ſperari poſſit, Deum hominibus revelaſſe veritates, quæ nullo modo humani ingenii opera poſſunt detegi? Propugnat, utique ejusmodi revelationem poſſe ſperari. Certum quidem eſſe, obſervatione legis naturæ ad magnum felicitatis gradum perveniri; illud autem neminem poſſe demonſtrare, legem naturæ eſſe perfectiſſimam, ſive, quod idem eſt, omnia, ne unico excepto, media præſcribere, quæ ad beatitatem, cujus homines natura ſunt capaces, ducunt. Noſtrum potius eſſe, tuetur, errorum noſtrorum, quos ſæpenumero committimus, & bonitatis Dei meminiſſe, atque ſperare, ſummum Numen media nobis velle revelare, quæ ad felicitatem ducunt, humani ingenii opera autem detegi nequeunt.

Sect. IX Doctiſſ. Fœmina in argumenta inquirit, quibus probari poteſt, Chriſtianam religionem pro divina revelatione merito atque optimo jure haberi. Principe loco præcipua capita & Judaicæ & Chriſtianæ religionis eo conſilio enumerat, ut oſtendat, nihil quidquam in iis deprehendi, quod cum attributis ſupremi Numinis pugnet. Sigillatim annotat, quod egregia ſuppeditet media ad ſalutem ducentia, quæ rationis beneficio nullo modo detegi potuere. Ita v. g. Deum nobis remittere velle peccata propter perfectiſſimam Jeſu Chriſti juſtitiam, modo in Jeſum credamus, eſſe medium ad beatitatem perveniendi natura nobis incognitum, ſanctitati autem Numinis conveniendiſſimum. Contendit, homines revelatione ſpeciali deſtitutos optima quæque a Deo quidem ſperare, ſed eos nullam rationem reddere poſſe, cui ſpes ſua innitatur. Cum autem non

ſufficiat, aliquam revelationem attributis Dei non refragari, ut eadem pro divina debeat haberi, argumenta alia addit, quibus Chriſtianæ religionis veritatem extra omnem controverſiam collocat. Etenim hac ipſa *Sectione* e miraculis a Chriſto perpetratis eandem adſtruit.

Sect. X ad vaticinia provocat dudum ante Chriſtum prolata, & in Chriſto perfectiſſime impleta.

Sect. denique *XI* multis argumentis erudite tuetur, Judæos Veteris Teſtamenti divinitatem rationibus ſolidis defendere non poſſe, ſiquidem Chriſtum pro Meſſia agnoſcere nolint. Nimis multa verba facere nos oporteret, ſi omnia argumenta, quibus Doctiſſ. Fœmina utitur, hoc loco enumerare vellemus. Idcirco exempli loco tantum commemorabimus, quo modo velit probari, miracula a Chriſto perpetrata veri nominis miracula fuiſſe. Pag. 12. In ore miſerrimorum hominum, qui in reprehendendis religionis Chriſtianæ myſteriis ingenii laudem infelici ſucceſſu & magno cum ſuo damno quærunt, nihil hac objectione frequentius eſt: nobis cognitæ non ſunt omnes leges naturæ, qui igitur certi eſſe poſſumus, leges naturæ unquam eſſe mutatas, &, quod idem eſt, miraculum eveniſſe? Rectiſſime ad hanc objectionem Doctiſſ. Fœmina reſpondet, non eſſe neceſſarium, ut aliquis omnes norit leges naturæ, qui certo ſe ſcire tuetur; leges naturæ eſſe in hoc vel illo caſu mutatas. Sufficere, exploratum eſſe, omnia corpora ejusdem naturæ ſecundum easdem moveri leges, & easdem cauſas ordinatim eosdem producere effectus. Quodſi igitur corpus moveatur alia lege, quam reliqua omnia ejusdem naturæ, quodſi eadem cauſa in iisdem circumſtantiis alium, quam ordinatim ſolet, producat effectum; nullum eſſe dubium, quin evenerit miraculum. Hæc ipſa autem miraculorum criteria ſufficere, ut probetur, miracula Chriſti veri nominis miracula fuiſſe, non ſolum affirmat, ſed & ipſo facto demonſtrat, dum ex iis facta Chriſti, quæ miracula dicuntur, felici judicat ſucceſſu.

MEMOIRES CONCERNANT LA THEOLOGIE & la Morale.

h. e.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARII, QUIBUS VARIA, QUÆ AD *Theologiam & Doctrinam Moralem ſpectant, continentur.*

Amſtelodami, 1732, 12.
Plag. 17.

Qui horum Commentariorum edendorum autor Bibliopolæ fuit, Vir eruditus, complecti illis laudabili conſilio inſtituit libellos ad Theologiam Dogmaticam & Moralem ſpectantes, quibus paulo majoris momenti res explicantur, quique in paucorum manus veniunt. Novem hujus generis libellos primum hoc Volumen complectitur. Et tertius quidem, & qui hunc ſequuntur, quartus, quintus, ſextus, & ſeptimus, ſeparato Volumine editi ſunt, eorumque argumentum nuper in *Supplem. Nov. Act. Erud. Tom. I Sect. IV pag. 182 ſeq.* exhibuimus. Reliquorum igitur argumentum nunc breviter enarrare conſtituimus. Primus omnium libellus ad religionem naturalem ſpectat, cujus brevem, eamque egregiam, adumbrationem ſiſtit. Probata ex conſideratione mundi, motu, ordine, ſtructuraque univerſi, natura denique mentis humanæ, quæ nec ſui ipſa cauſa eſſe, nec ex compoſito & materia oriri poſſit, exiſtentia Dei, illi refelluntur, qui mundum aut caſu ortum eſſe, aut æternum dicunt, quorum ſententiæ in eo tantum differre Autori recte videntur, quod illi in tempore, hi autem ab æ- Pag. 12.
terno, mundum caſu natum affirmant. Utramque enim ſententiam ejusmodi eſſe, ut ex ea, cur mundus exiſtat, intelligi nequeat; id vero omne caſui tribui, cujus cauſæ nullæ ſint, aut ſaltem ignorentur. Perfectiones divinæ ex potentia & ſapientia
demonſtrantur, quam quidem utramque Deo ineſſe, ex ipſa 18.
mundi conſideratione patet. Neque placet ea ratio demonſtrandi eas Autori, quæ illas ex ſummæ perfectionis ratione derivat, quam quippe Deo ineſſe, demonſtratis demum omnibus
perfectionibus, intelligatur. Non poſſe dubitari, porro oſtendit, 35.
legem naturæ eſſe. Vulgo ad notiones communes referri ejus præcepta, quibus nemo aſſenſum negare poſſit, quales ſint: totum eſt majus parte ſua, pars minor toto; ſed, quamvis ſit compendiaria iſta leges naturæ docendi ratio, non tamen

men ſatis eſſe ad convincendos hominum animos aptam. Non
eſſe tantam præceptorum moralium evidentiam, quanta axio-
matum illorum eſt; id quod vel ex eo intelligatur, quod eo-
rum ratio requiri reddique poſſit, quod exceptiones patiantur,
quod denique non univerſali omnium hominum conſenſu re-
Pag. 41. cepta probataque omnia ſint. Igitur ita in exponendis legi-
bus naturalibus verſatur Autor, ut rationis ope cognoſci poſſe
doceat, quid felices nos reddere poſſit, Deumque magnopere
velle, ut felices ſimus, quod ex vehementi felicitatis deſiderio,
quod omnibus ipſe indidit, pateat, idque adeo omne lege na-
55. turali præcipi, quod ad felicitatem noſtram pertineat. Provi-
dentia divina mundum & conſervari & regi, his traditis, affir-
mat. Concurſum autem, quem immediatum dicunt, quod ad entia
ratione prædita pertinet, negat, eadem vero carentia ſine eo per-
durare, aut agere non poſſe, ſtatuit. Immortalitatem animæ, ſe-
cuturamque fata noſtra vitam ex juſtitia divina demonſtrat.
66. *Secundus*, qui ex Anglico ſermone in Gallicum translatus eſt,
Libellus de felicitate & virtute tractat. Virtutis fundamentum
eſſe ex ipſa rerum natura, non vero voluntate divina, repeten-
dum ſtatuit. Neminem non miſeriam & felicitatem, dolorem
& voluptatem, a ſe invicem diſcernere, & hanc illi præferre.
Eſſe igitur actiones ad felicitatem conſequendam comparatas
omnino præferendas illis, quibus miſeriam ſibi homines attra-
hant. Atque idem eſſe de illis ſtatuendum, quæ ad aliorum ho-
minum felicitatem aut miſeriam facere poſſint. Ad refutan-
dos autem eos, qui moralitatis, quam actionum dicunt, funda-
mentum in voluntate Dei conſtituunt, iisdem Autor argumen-
tis utitur, quæ nuper ex *Chubbio* retulimus. Duo actionum
principia in homine agnoſcit, amorem ſui, & amorem alio-
rum, quem benevolentiam appellat. De illo neminem dubitare;
de hoc autem ex eo conſtare, quod ſæpe vel inviti commo-
veamur injuriis aliis illatis, aut eorum miſeria. Neque vero
horum principiorum alterum ex altero pendere, cum experien-
tia doceat, felicitati ſuæ homines ſæpe ſtudere, nulla aliorum
habita ratione; ſæpe vero etiam publicæ, ſua neglecta. Actio-
nes, quæ ad propriam cujuslibet felicitatem ſpectant, juſtas eſſe
fatetur, ſolas autem eas virtutis nomen mereri, quæ ad felicita-
tem

Digitized by Google

tem aliorum hominum,aut publicam salutem, pertineant, arbitratur. Atque hanc ipsam virtutem honore, amore,præmioque dignam esse,cum,qui suam felicitatem quærat, nullam propterea neque laudem,neque præmium mereatur. Quæ huic sententiæ objici poterant,Autor pro viribus refellit. Ultimo denique loco ostendit, unicam veræ felicitatis consequendæ rationem hanc esse,ut omnia,quæ agenda sunt, ad hæc duo principia exigamus,nihilque faciamus,quod iis adversetur. Hanc igitur semper sequendam esse regulam, ut non solum nostræ, sed etiam aliorum, felicitati,quantum & ubicunque fieri potest,studeamus. Qui hunc excipiunt Libelli *Chubbii* a *pag. 104 – 298*,iidem sunt, quos nuper recensuimus,etiamsi aliam Autorem ipsa Interpretatio habeat.Locum octavum Epistola de incrementis Deismi in Anglia occupat, qua origo, occasio ejus,&,quæ plurimos ad eundem amplectendum commoveant, rationes,prolixe enarrantur. Originem ejus inde a *Caroli I* tempore Autor repetit,quo multi nobilium, peregrinationibus in Italiam,Galliam,Germaniamque susceptis,in patriam redeuntes eandem tyrannidem, superbiam, avaritiam, rixandi libidinem in Sacri Ordinis Anglicani hominibus,commixtionem humanorum dogmatum cum Christianis deprehendisse sibi visi sint, quam in Pontificio cœtu deprehenderant; quod quidem eos commoverit, ut, omnem religionem Christianam falsam esse, existimarint. Atque hanc ipsam rem esse,cui & nunc Deismus omne fere robur omnemque vim debeat. Neque tamen negat,multos etiam propterea ad eundem delabi,quod multa S. Codici inesse putent, quæ rationi adversentur,ideoque credi nequeant. Memorat, quendam lectione Libri *Lockiani* de religione Christiana rationi consentanea, & alius cujusdam de Inspiratione, de veritate religionis Christianæ convictum esse, etiam si nulli certæ Sectæ nomen dare voluerit. Ultimo loco exhibetur Epistola, æque ac proxime antecedens ex Anglicano sermone translata, qua nescio quis Ministrum Ecclesiæ recens creatum a studio S. Codicis accurato criticoque deterrere studet, quod id non solum difficillimum & inutile, sed etiam noxium, sit. Facile apparet, totam hanc Epistolam esse ad perstringendos Theologos, qui orthodoxi dici haberique cupiunt & solent, comparatam. Quid Pag. 33

 enim

enim aliud nisi hoc sibi volunt v. c. hæc: orthodoxia absorbet omnia vitia, hæresis omnes virtutes. Item: Esto, quisquis es, orthodoxus, orthodoxia tegit multitudinem peccatorum, sed orbis virtutibus plenus ne minimum quidem orthodoxiæ defectum.

Wilhelm Friedrich Pistorius AMOENITATES Historico-Juridicæ, &c.
h. e.
VARIÆ DISSERTATIONES, OBSERVATIONES, Consilia, Opuscula, cetera, quæ Historiam Imperii Germanici, & Jus Civile, Publicum & Feudale Germanicum, Antiquitates item ac Consuetudines, illustrant, tum ab aliis elaborata, sed huc usque nondum typis impressa, tum primum composita a GUILIELMO FRIDERICO PISTORIO, *Illustrissimo Comiti Erbacensi a Consiliis Aulæ.*

Pars II.

Francofurti & Lipsiæ, sumtibus Adami Jonathanis Felsseckeri, 1732. 4.
Alph. 2 pl. 19, cum Tab. 1.

Continuaturus suavissimas Amœnitates suas, nunc sistit Consultiss. Autor quindecim Argumenta, partim Juridica, partim Historica. Primo loco apparet *Anatome joco-seria conscientiæ antiquæ antiquatæ, & novæ, nudius tertius natæ.* Inprimis ad decrementum probitatis Germanicæ exponendum hæc pertinet, per ordines literatorum & illiteratorum spectabile. Stilus hic interstrepit Teutonico-Latinus, prouti sales in buccam calamumque venerunt. Notantur modi iniqui, quibus vulgo Theologi ad munera Ecclesiastica provolant, dando, amando, uxorem deligendo, competitoribus infamiam adspergendo. Requiritur hic elenchus,
Pag. 10. quali *Joannes* in *Herodem* est usus. Reprehenditur avaritia & luxus, ac affectatus splendor plerorumque Ecclesiastarum,
14 seq. πολυπραγμοσύνη, fastus, & vitia alia. Reliquis, Christi regulam

lam ſequentibus, honos debitus reſervatur. Politicorum male- Pag. 19.
feriatorum ac infrunitorum nævi candide deteguntur. Improbat Autor tolerantiam Judæorum, eosque juris peritos, qui ſtatuunt, Judæis juramentum ſuppletorium poſſe deferri, ipſosque ad idonea adverſus Chriſtianos teſtimonia perhibenda eſſe habiles. Notatur ſpiritus præpotentium familiaris, qui neminem evehunt, niſi nomen det familiæ ipſorum. Δωροφαγία, in- 26.
juſtitia, adulatio, Procerum Imperii minorum enervatio, tarditas patronorum cauſæ & judicum, vel illud: *trahe cum obtorto collo*, falſe ediſſeruntur. Omittimus reliqua. Et Pro- 47.
feſſoribus Academiarum nonnulla vertuntur vitio. Nec Medici 53 ſeq.
abeunt indicti. Sed utinam recenſionibus vitiorum ipſa exſtirpata forent vitia! Secundo loco in ſcenam prodit libellus ejusdem ſtili, inſcriptus: *Origo juris advocatitii, der Kaſtenvogtey*. Origo repetitur ex eorum, qui vitæ cœnobiali & vitæ divinæ ſpeciatim ſeſe mancipaverant, debita a rebus hujus ſeculi abſtinentia. Quo factum, ut politicis hominibus cura 58.
& adminiſtratio bonorum cœnobialium, nec non defenſio ipſa, in foro inſtituenda, demandaretur. Laudantur *Conc. Carthag. Can. 6* & *Conc. Milevit. Can. 16.* Horum conſenſu & directione reditus cœnobiales diſpenſati ac adminiſtrati. Seculo XII & XIII ob varios Advocatorum in Germania inſolentias Imperatores cœnobiis bene multis permiſerunt, ut ſeſe ab advocatiis liberarent & redimerent. Autoritas Advocatorum eluxit in firmandis Monachorum contractibus, permutatione bonorum, manumiſſione, peragendo mallo ſeu judicio publico, in transactionibus, in donationibus, in ſtatus mutatione, in jure ſignandi, jure adminiſtrando, in parte mulctæ percipienda. Jus advocatiæ plerumque ſecum trahit jurisdictionem 68 ſeq.
ſuperiorem. Tertio loco ex MSto *Joannis Henrici Bœcleri* eduntur antehac *inedita Pratenſiones Principum Europæ*, nominatim Pontificis in Arragoniam, Angliam, Hiberniam, Hungariam, Sardiniamque: Hiſpanorum in Britanniam & in Ducatum Burgundiæ: Ducis Sabaudiæ in Cyprum, in Ducatum Montisferrati, & in Genevam: Regis Poloniæ in Sueciam & Livoniam: Regis Sueciæ quondam in civitatem Bremam:

Du-

Ducum Brunſuicenſium in urbem Brunſuicum: controverſia Calenbergo-Cellenſis: Altenburgo-Vinarienſis & Saynenſis: controverſia inter civitatem Fridbergam & caſtri Burggravium: prætenſio Epiſcopi Monaſterienſis in Dominium Borkelo: controverſia Juliaco-Clivenſis: prætenſio Regis Franciæ in Sardiniam: prætenſio in regnum Hieroſolymitanum: prætenſio Regis Franciæ in Comitatum Ruſcinonenſem & oppidum Perpinianum, in Baleares & alia: prætenſio Domus Eſtenſis adverſus Pontificem ratione Ducatus Ferrarienſis, & oppidorum Comacli, Cotignolæ, Argentæ, Lugi, S. Potitiſtani, Centi, & Plevis. Pleriſque pacta & conventiones recentioris
Pag. 231 ſeq. ætatis vel poſſeſſio armata poſuere modum. Sequitur *Anonymi* enarratio de origine Comitum Caſtellenſium in Franconia, cum Annotationibus *Veroni Franckii de Steigerwald.* Exordium deducitur a *Megingaudo, Rudolphi* filio, *Cuneberti*, Comitum Rotenburgenſium ad Tuberum progenitoris, nepote, cujus filius *Arnoldus* perhibetur Rotenburgenſem proſapiam continuaſſe, alter vero *Marquardus* Caſtellenſem cœpiſſe. Mallemus, hæc e monumentis coævis fideque dignis fuiſſe comprobata. *Joannes Georgius ab Eccard Tom. I* rerum Franciæ Orient. *Lib. XXIV p. 524, Megingaudum*, Epiſcopum Wirciburgenſem, ex Comitibus Rotenburgenſibus fuiſſe oriundum, negat. *Megingoz*, ſeu *Megingaudus*, Comes, ad A. 788 in Traditionibus Fuldenſibus eſt obvius. Conjectat *Eccardus Lib. XXV p. 729, Megingozi* patrem *Mantonem*, aut ejus filios, *Mantonem* & *Megingozum*, hunc Parthenonem pro filia aut ſorore *Juliana* Schwarzacenſe fundaſſe. *Megingozus* certe A. 816 Monaſterium *Megingaudeshuſanum* in Diœceſi Wirceburgenſi cum conjuge *Immina* ex patrimonio ſuo inſtituit, ex quo collapſo Monachi non ita multo poſt in Schwarzacenſe ſunt translati. At *Anonymus* noſter hic in omnia abit alia. Unde facile pateſcit, quid de ejus fide ſit ſtatuendum in rebus Seculi VIII, IX, X, XI, XII. Ejuſdem commatis ſunt, quæ de
475 ſeq. haſtiludiis ſeu torneamentis ex Seculo decimo afferuntur. Additur Deductio geminæ Comitum Leiningenſium proſapiæ, & narratio de judicio camerali, per biennium A. 1540 & 1541 Wimpfi-

Digitized by Google

Wimpfinæ ad Nicrum agitato. Succedit *Michaelis Hoſpin Commendatio Chorographiæ*, A. 1610 ſcripta. Excipit hanc *Gloria Bruckbergæ*, ſeceſſus Onolspacenſis amœniſſimi, per modum Orationis ſcholaſticæ conſcripta. Vocat nos porro *Deciſio* Epiſcopi Wirciburgenſis, *Ottonis*, inter Hohenlohe & Veſtenberg, ratione terminorum venatus, una cum confirmatione Imperatoris *Ludovici* A. 1344. Sequitur Receſſus Comitum Franconicorum Diætæ *Weickershemii* A. 1608 d. 22 Jun. celebratæ. Claudunt Collectionem duo Conſilia juridica, argumenti admodum ſingularis. Quam vellemus, plures ejusmodi dapes nobis apponeret Autor Conſultiſſimus.

Pag. 482. 490. 504. 509.

INDEX AUTORUM,

quorum Libri aut Inventa in hoc Volumine recenſentur.

I. Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.

Anonymæ *Inquiſitio in argumenta, quibus Chriſtianæ religionis veritas probari poteſt.* 556

Anonymi *Hiſtoria Pontificum Romanorum. Tomus I & II.* 7

Obſervatio de Oratione Dominica Chalmyccice verſa. 214

Traditiones Judæorum, comprehenſæ in Talmude aliisque ſcriptis Rabbinicis. 358

Magna Bibliotheca Eccleſiaſtica, ſive Notitia Scriptorum Eccleſiaſticorum veterum ac recentiorum. Tomus I. 385

Commentarii, quibus varia, quæ ad Theologiam & doctrinam moralem ſpectant, continentur. 563

D. Auguſtini, *Epiſcopi Hipponenſis, de natura & origine animæ Epiſtola ſecunda.* 156

de Pœnis parvulorum, qui ſine Baptiſmo decedunt, Epiſtola. ibid.

Coleti (*Nic.*) *Sacrosancta Concilia, ad Regiam editionem exacta. Tomus XIV – XXI.* 298
Cudworthi (*Radulphi*) *Systema intellectuale hujus universi; ex vers. & recens.* Jo. Laur. Moshemii. *Tomi II.* 120
Ewaldi (*Wilh. Ern.*) *Emblemata sacra miscellanea. Pars I.* 181
Gretseri (*Jac.*) *Opera omnia. Tomus I & II.* 454
Hilarii *Arelatensis Opera; ex edit.* Jo. Salinas. 502
Launoji (*Jo.*) *Opera omnia. Tomi II Pars I & II.* 112
Tomi III Pars I & II. 153
Tomi IV Pars I & II. 199
Tomi V Pars I & II. 244
Longueval (*Jac.*) *Historia Ecclesiæ Gallicæ. Tomi IV.* 495
Moretti (*Petri*) *Disceptatio Epistolaris de ritu variandi chorale indumentum, in solennitate Paschali apud Clerum Basilicæ usitato.* 359
Supplementum Dissertationis de ritu ostensionis sacrarum Reliquiarum. ibid.
Moshemii (*Jo. Laur.*) *Dissertationum sacrarum Syntagma.* 284
S. Possidii *Vita S. Aurelii Augustini; ex edit.* Jo. Salinas. 18
Saxii (*Joseph. Anton.*) *Epistola ad Amicum, pro vindicanda Formula in Ambrosiano Canone ad Missæ sacrum proscripta: Corpus tuum frangitur, Christe.* 229
Serry (*Jac. Hyacinth.*) *de Romano Pontifice in ferendo de fide moribusque judicio falli & fallere nescio.* 360
Sollerii (*Jo. Bapt.*) *& aliorum Acta Sanctorum Mensis Augusti.* 55
Sousæ (*Eman. Cajetani*) *Expeditio Hispanica Apostoli S. Jacobi Majoris asserta, & ex S. Paulo Apostolo confirmata. Tomus I.* 145
Tomus II. 195
Vincentii *Lirinensis & Hilarii Arelatensis Opera; ex edit.* Jo. Salinas. 502
Wilkins (*Dav.*) *Quinque Libri Mosis Prophetæ in lingua Ægyptia, descripti, ac Latine versi.* 63

II. Libri Juridici.

De Januario (*Josephi Aurelii*) *Respublica Jurisconsultorum.* 21

Jeni-

Jenichen (*Gottlob Aug.*) *de Prisco Javoleno, JCto incomparabili.* 142
M** *Causæ forenses celebriores & utiles dijudicatæ. Tomi* II. 93
De Meiern (*Jo. Godofr.*) *Acta Pacis Westphalicæ publica. Tomus* I. 489
Ottonis (*Everhardi*) *Thesaurus Juris Romani. Editio secunda. Tomi IV.* 289
de Ædilibus Coloniarum & Municipiorum Liber singularis. Editio secunda. 527
Pistorii (*Wilh. Frid.*) *Amœnitates Historico-Juridicæ. Pars I.* 482
Pars II. 566
Senckenberg (*Henr. Christiani*) *Selecta Juris & Historiarum. Tomus* I. 410
Wæchtleri (*Christfriedi*) *Opuscula Juridico-Philologica rariora; ex edit.* Christiani Henr. Trotzii. 158

III. Libri Medici & Physici.

Albini (*Eleazari*) *Historia naturalis avium.* 554
Anonymi *Musæ, quæ Javanensibus Pysang, Descriptio, & Icon, ex horto* Caspar-Bosiano, *Lipsiensi, communicata.* 171
Commercium literarium, ad rei medicæ & scientiæ naturalis incrementum institutum. Annus 1731. 272
Experimenta & Observationes Medicæ Societatis Edimburgensis. Volumen I. 414
Arbuthnot (*Jo.*) *Tentamen circa indolem alimentorum, eorumque selectum, secundum diversas corporum humanorum constitutiones.* 167
Tentamen circa effectus aeris in corpore humano. 204
Büchneri (*Andr. Eliæ*) *Miscellaneorum Physico-Medico-Mathematicorum Annus* 1729. 281
Catesby (*Marci*) *Historia naturalis Carolinæ, Floridæ, & Insularum Bahama.* 193
Commentarii *Academiæ Scientiarum Imperialis Petropolitanæ. Tomus III.* 259. 352

Gulich (*Justi Arnoldi*) *Meditationes de Furore hæmorrhoidum internarum.* 266

Hahnii (*Jo. Godofr.*) *Variolarum antiquitates, nunc primum e Græcis erutæ.* 206

Harenbergi (*Jo. Christoph.*) *Disquisitio conjecturalis de Colore Argevan, Argeman, Argevana.* 222

Monro (*Alexandri*) *Anatomia ossium humanorum. Pars I & II.* 510
Tractatus Anatomicus de Nervis. 513

Sebæ (*Alberti*) *Locupletissimi rerum naturalium Thesauri accurata Descriptio. Tomus I.* 337

Sellii (*Godofr.*) *Historia naturalis Teredinis, seu Xylophagi marini, Tubulo Conchoidis.* 80

Vallisneri (*Anton.*) *Opera Physico-Medica. Tomus I.* 35
Tomus II. 166
Tomus III. 202

Vitalis (*Buonafedis*) *Thermæ Masinenses in Valtellina examinatæ.* 464

Waltheri (*Augustin. Frid.*) *Paris vagi & intercostalis humani corporis nervorum investigatio singularis.* 65

Werlhoff (*Paul. Gottlieb*) *Observationes de Febribus, præcipue intermittentibus.* 315

IV. Libri Mathematici.

Anonymæ *Neapolitanæ Problemata Mathematica.* 28

Bettazzi (*Jac.*) *Epitome Operis Paschalis.* 419

Büchneri (*Andr. Eliæ*) *Miscellaneorum Physico-Medico-Mathematicorum Annus 1729.* 281

Celsii (*Andr.*) *Observatio Eclipseos telluris, Romæ habita d. 3 Maji A. 1734.* 356

Commentarii *Academiæ Scientiarum Imperialis Petropolitanæ. Tomus III.* 259. 352

Ex Godini, *Socii Academiæ Scient. Reg. Parif. literis, d. 23 Maji A. 1734 datis, excerpta.* 357

Gray (*Jo.*) *Tractatus de re tormentaria.* 526

Halfpenny (*Guil.*) *Perspectiva facilitata, seu Methodus nova Perspectivæ practicæ.* 467

Qua-

Quadri (*Jo.Ludov.*) *Tabulæ Gnomonicæ, delineationi horologiorum sciatericorum inservientes.* 211
De Revillas (*Didaci*) *Observatio Eclipseos telluris, Romæ habita d. 3 Maji A. 1734.* 356
Smith (*Jac.*) *Fabrorum lignariorum comes; seu Tract. de Arte tignaria.* 28
Stirling (*Jac.*) *Methodus differentialis, sive Tractatus de Summatione & Interpolatione Serierum infinitarum.* 515
Stübneri (*Frid.Wilh.*) *Demonstratio veræ mensuræ virium moventium.* 134
Nova Methodus explorandi virium moventium quantitatem in motu retardato. 469
Trevigar (*L.*) *Sectionum Conicarum Elementa.* 133

V. Libri Historici, Geographici, &c.

Anonymi *Elogium S. Rev. Patris* le Quien. 43
Mich. Henr. Gribneri, *JCtorum Lipsiensium principis.* 372
Biographiæ Virorum illustrium ac eruditorum. Tomi IV. 135
Observationes in Prosperi Aquitani Chronicon integrum, &c. 164
Historia Corsicæ. 247
Vindiciæ Arboris Genealogicæ augustæ gentis Carolino-Boicæ ab ipso Autore vindicatæ contra Satyram Palignesii. 311
Vita Franc. Parisii, Diaconi Diæceseos Parisinæ. 531
Observatio de P. Franc. Wagneri narratione, qua Ludovici XIV, Gallorum Regis, Statuam, Lutetiæ Parisiorum in foro Victoriarum positam, obiter describit in Vita Leopoldi. 535
Bettazzi (*Jac.*) *Epitome Operis Paschalis.* 419
Commentarii *Academiæ Scientiarum Imperialis Petropolitanæ. Tomus III.* 259. 352
Dœderlini (*Jo.Alexand.*) *Antiquitates Gentilismi Nordgaviensis.* 461

Duellii (*Raymundi*) *Fridericus Pulcher Austriacus inter Imperatores Romano-Germanicos adhuc stat.* 371
de Falckenstein (*Jo. Henr.*) *Antiquitates Nordgavienses,*
Tomus I. 252
Tomus II. 308
Antiquitates & Memorabilia Nordgaviæ veteris. Tomus I. 458
Godefridi, *Abbatis Gotwicensis, Chronici Gotwicensis Tomus prodromus.* 97
Grienwaldt (*Franc. Jos.*) *Album Bavariæ Jatricæ, seu Catalogus celebriorum Medicorum Bavariæ, ab A. 1450 ad hodiernam usque lucem continuatus.* 332
Jenichen (*Gottlob Aug.*) *de Prisco Javoleno, JCto incomparabili.* 142
Lackmanni (*Adami Henr.*) *Introductio in Historiam Slesuico-Holsaticam. Pars II.* 38
van Loon (*Gerhardi*) *Historia Numismatica XVII Provinciarum Belgii. Tomi III.* 557
De Meiern (*Jo. Godofr.*) *Acta Pacis Westphalicæ publica. Tomus I.* 489
De la Motraje *Observationes historicæ & criticæ in Voltairii Historiam Caroli XII, Regis Suecorum.* 551
Muratorii (*Lud. Ant.*) *Rerum Italicarum Scriptores, ab Anno Æræ Christ. D ad MD. Tomus XXII.* 342
P. Niceronii *Commentarii, Historiæ celeberrimorum in Rep. literaria Virorum inservientes. Tomus XVII & XVIII.* 214
Tomus XIX. 330
Tomus XX. 370
Peckensteinii (*Jo. Simonis*) *Brevis Introductio ad Heraldicam scientiam.* 285
Pistorii (*Wilh. Frid.*) *Amœnitates Historico-Juridicæ. Pars I.* 482
Pars II. 566
des Roches (*J. B.*) *Historia Daniæ ante & post introductum statum Monarchicum. Tomi IX.* 542
Senckenberg (*Henr. Christian,*) *Selecta Juris & Historiarum, Tomus I.* 410

Victoris

Victoris (*Sexti Aurelii*) *Historia Romana; ex ed.* Jo. Arntzenii. 1
de Voltaire *Historia Caroli XII, Regis Sueciæ.* 546
Vulpii (*Josephi Rocci*) *Vetus Latium profanum. Tomus V.* 507

VI. Libri Miscellanei.

van Alkemade (*K.*) *Consuetudines convivales Belgii. Pars I & II.* 405
Anonymi *Observatio de Oratione Dominica Chalmyccice versa.* 214
Commentarii, quibus varia, quæ ad Theologiam & doctrinam moralem spectant, continentur. 563
*d'*Arnaud (*Georg.*) *de Diis* Παρέδροις, *sive Assessoribus & conjunctis, Commentarius.* 425
D. Augustini, *Episcopi Hipponensis, de Natura & origine animæ Epistola secunda.* 156
Beyeri (*Aug.*) *Memoriæ historico-criticæ librorum rariorum.* 479
P. Brumoy *Theatrum Græcorum. Tomus I, II & III.* 390
Campani (*Jo. Ant.*) *Opera selectiora; ex recens.* Frid. Ott. Menckenii. 477
Commentarii *Academiæ Scientiarum Imperialis Petropolitanæ. Tomus III.* 259. 352
Cosmopolitani (*Evangeli*) *Notæ ad Jo. Burch. Menckenii de Charlataneria eruditorum Declamationes.* 479
Cudworthi (*Radulphi*) *Systema intellectuale hujus universi; ex vers. & recens.* Jo. Laur. Moshemii. *Tomi II.* 120
Demosthenis *Selectæ Orationes; ex ed.* Rich. Mounteney. 130
de Ficoroni (*Franc.*) *Bulla aurea infantum nobilium, & alia libertinorum, apud Romanos.* 348
Gerdesii (*Dan.*) *Miscellanea Duisburgensia. Tomi I Fascic. I & II.* 94
Gorii (*Ant. Franc.*) *Museum Florentinum, exhibens insigniora vetustatis monumenta, quæ Florentiæ sunt. Tomus I & II.* 241
Gretseri (*Jac.*) *Opera omnia. Tomus I & II.* 454
Gruberi (*Jo. Dan.*) *Potentissimi Magnæ Britanniæ Regis, Georgii II, Institutum condendi novam in terris Brunsuicensibus Academiam literato orbi expositum.* 484

Hahnii

Digitized by Google

Hahnii (*Jo. Godofr.*) *Variolarum antiquitates, nunc primum e Gracis eruta.* 206
Harenbergii (*Jo. Christoph.*) *Disquisitio conjecturalis de Colore Argevan, Argeman, Argevana.* 222
Launoji (*Jo.*) *Opera omnia. Tomi II Pars I & II.* 112
Tomi III Pars I & II. 153
Tomi IV Pars I & II. 199
Tomi V Pars I & II. 244
Lochmanni (*Jo.*) *Alphabeti ex Diplomatibus & Codicibus Thuricensibus Specimen.* 428
Longini (*Dionys.*) *de Sublimitate Commentarius; ex edit.* Zach. Pearce. 61
ex edit. Ant. Franc. Gorii. 387
Majansii (*Gregor.*) *Epistolarum Libri sex.* 396
Maittaire (*Mich.*) *Marmora Arundelliana, Seldeniana, aliaque, Academia Oxoniensi donata.* 49
Menckenii (*Jo. Burch.*) *Dissertationes literaria; ex edit.* Frid. Ott. Menckenii. 473
Orationes Academica, maximam partem literaria; ex edit. Frid. Ott. Menckenii. 476
(*Frid. Ott.*) *de Romanorum veterum Stipendiis militaribus Diss.* 473
Ottonis (*Everhardi*) *de Ædilibus Coloniarum & Municipiorum Liber singularis. Editio secunda.* 527
Salmonii (*Franc.*) *& aliorum e Societate Sorbonica Doctorum ad Marchionem Scip. Maffejum Epistola, de ratione Indicis Sorbonici, seu Bibliotheca Alphabetica, quam adornant.* 486
van der Schelling (*P.*) *Consuetudines convivales Belgii. Pars I & II.* 405
Scheuchzeri (*Jo. Jac.*) *Alphabeti ex Diplomatibus & Codicibus Thuricensibus Specimen.* 428
Sigonii (*Caroli*) *Opera omnia; ex edit.* Phil. Argelati. *Tomus I, II & III.* 441
Vidæ (*Marci Hieron.*) *Poemata, qua exstant, omnia. Tomi IV.* 471
Vriemoet (*Emonis Lucii*) *Arabismus, exhibens Grammaticam Arabicam novam.* 41

Digitized by Google

Vulpii (*Josephi Rocci*) *Vetus Latium profanum. Tomus V.* 507
Wæchtleri (*Christfriedi*) *Opuscula Juridico-Philologica rariora; ex edit.* Christiani Henr. Trotzii. 158
de Wilhelm (*Ignat. Franc. Xaver.*) *Annus politicus, per duodecim Discursus evolutus.* 365

INDEX RERUM
notatu digniorum.

A.

Abælardi (*Petri*) *vita.* 137
De Ablactatus *voce Diss.* 95
De Absinthium *voce Diss.* ibid.
Acacia *Abruæ folio.* 195
Academiarum *per Europam historia.* 138
Actis *Eruditorum cur locus negetur in Hispania?* 404
Ex Actis *Eruditorum Excerpta quædam edita.* 162
Adami (*Adami*) *vita.* 491
Advocatitii *Juris origo.* 567
Ædiles *Coloniarum & Municipiorum qui fuerint?* 528
Æditii *Juris Systema promissum.* ibid.
De Ægyptiorum *religione Diss.* 126
Æquationes *differentiales secundi gradus ad æquationes primi gradus reducendi nova methodus.* 262
— *pro seriebus definiendis.* 516
Æquationum *differentialium radices in formam serierum resolvendæ.* 518
Aer *omnis generis effluviis abundat.* 204
— *etiam per poros cutis patentes ingreditur.* 206
— *an sanguini in pulmonibus misceatur?* 264
Aeris *atmosphærici meteora justam temperiem reddunt.* 205
— *elasticitas nimia corpori noxia.* ibid.
Ærodii (*Petri*) *vita.* 216
S. Agabi *vita.* 56
Agricolæ (*Rud.*) *vita.* 138
— (*Jo.*) *scripta.* 333
Agrippæ (*Henr. Corn.*) *vita.* 215
Aichstattiensis *Templi Cathedralis historia.* 308 seq.
De Albulo *Paschali singularia.* 360
Aleramus *an cum aliqua Ottonum filia conjugium inierit?* 454

Ab Alexandro (*Alex.*) *plagii accusatus.* 25
Alexander I *perperam martyribus adscriptus.* 10
Algæ *marinæ semen.* 37
Alimenta *sæpius fiunt medicamenta.* 170
Alpha *quomodo dici Christus possit?* 96
Altmanni, *conditoris Monasterii Gotwicensis, vita promissa.* 111
De Amadisii *autore singularia.* 405
S. Amandi *vita.* 502
De Americanis *fructibus varia.* 405
Ammodites *serpens idololatrarum.* 340
Ampulla *Rhemensis an fabulis annumeranda?* 500
Ancyranum *monumentum recens editum.* 2
De Angliæ *mutationibus variis Diss. edita.* 474 seq.
De Animæ *origine Epistola edita.* 156
Animalia *fame enecta delirantia moriuntur.* 169
Anna, *R. Angl. Oratione laudata.* 477
Anni *solaris æquatio Gregoriana an mutanda?* 423
Anthracum *nomine Græci variolas designant.* 207
Antimonii *sulphuris aurati descriptio.* 417
Antimonii *regulus medicinalis quomodo per compendium paretur?* 278
Antoninus *Imp. cur dictus Pius?* 11
Apro-cervus *Indiæ Orient.* 340
Aquarum *Moffatensium examen & usus.* 417
calor unde? 465 seq.
De Aquis *medicatis Bavariæ Liber promissus.* 333
Arabes *num primi descripserint variolas?* 207
variolarum descriptionem unde desumserint? 209
in variolis ante eruptionem venam secant. ibid.
Arabica *Grammatica nova edita.* 42
S. Arcadii *vita.* 57
In Architectura *civili qualis usus artis tignariæ?* 28
De Archivis *veterum varia.* 104
Archon *Judæorum quis fuerit?* 96
De Archonte *Judæorum Diss. edita.* 95
Ardeatum *veterum historia illustrata.* 509 seq.
Area *media quomodo in magna dignitate binomii invenienda?* 525
Argelati (*Phil.*) *in Sigonii Opera merita.* 230 seq.
Argumenti *negantis quæ sit autoritas?* 113
Arianismum *professi Constantini M. tempore a pœnis immunes fuere.* 14
S. Aristarchi *vita.* 56
De Aristophanis *vita & scriptis Diss.* 391
Aristotelis *in Academia Parisiensi fortuna.* 200

Arithmetica *figurata nova.* 260
Armentorum *asilum quid?* 37
Arnonis *Ep. Congestum descriptum.* 102
Arntzenius *(Jo.) notatur.* 6
laudatus. ibid.
ejus in Victoris Historiam Rom. merita. 1 seq.
Arnulphus Malus, *Arnulphi Imp. filius, an unquam exstiterit?* 314
Germ. R. an Italiæ Regibus annumerandus? 452
Arundelliana *Marmora denuo edita.* 49
Asilum *armentorum quid?* 37
Asmodillus *scutifer & squammatus.* 340 seq.
S. Aspreni *vita.* 56
Assessores *Dii qui sint?* 425 seq.
Averranius *laudatus.* 403
Aves *terrestres in medio oceano.* 194
melodicæ & amelodi. 554
Contra Augusti II, *Reg. Pol. Electionem Regiam quæ tentata?* 548
Augustinus *an Pelagii sententias recte intellexerit?* 8
sæpe sibi contradicit. 17
Græce doctissimus. 20
ab ebriositate vindicatur. 21
ejus vita edita. 18 seq. 56
vindicata. 19 seq.
Epistolæ duæ editæ. 156
Augustini *ad Optatum Epistolæ Fragmentum editum.* 488
Avium *Carolinæ & Floridæ descriptio.* 195
Historia naturalis. 554 seq.
methodus. 554
varia genera & classes. ib.
Aureatensis *Episcopatus historia descripta.* 308 seq.
Aureatensium *Episcoporum vitæ.* 253
De Aurora *boreali Observationes.* 282
Auspices *apud veteres Germanos qui fuerint?* 460. 462
S. Auspicii *vita.* 57
Austrasiæ *Ducatus repræsentatus.* 110
Austriæ *antiquæ & mediæ Descriptio promissa.* 111
De Austriacæ & *Saxonicæ stirpis diuturna concordia Diss. edita.* 475
Avtodidacti *exemplum.* 345

B.

S. Baddarii *vita.* 57
Bailletus (*Adr.*) *quo nomine a Gallis compelletur?* 13
Baldus *plagii accusatus.* 25
Balneorum *calidorum & frigidorum usus.* 167
Baptismi *quales olim fuerint solenniores dies?* 126
De Baptismo *Flaminis Diss. edita.* 95
Baptismus *ab hæreticis susceptus invalidus pronuntiatus.* 11

Baptismus *an & in parvulis ad salutem necessarius?* 156
De Barba *Diss. edita.* 484
Barclaji *(Guil.) vita.* 216
Bardi *veterum Germanorum Sacerdotes.* 460. 462
Baronius *refutatus.* 21
Bartolus *plagii accusatus.* 25
Basilicæ *ad S. Mariam trans Tiberim Historia promissa.* 360
Battaglini *(Marci) vita.* 330
Bavariæ *Principum ab Arnulpho Malo origo derivata.* 311 seq.
virtutes recensitæ. 366 seq.
Bavarorum *Medicorum historia.* 332
Bauhinii *(Jo.) vita.* 215
(Casp.) vita. ibid.
S. Baumadi *vita.* 59
Becheri *(Jo. Joach.) scripta.* 333
Belgarum *consuetudines convivales quæ?* 406 seq.
In Belgas *aliquos satyra.* 240
Belgii *Historia Numismatica edita.* 537
Bellicæ *machinæ veterum quales?* 527
De Bellorum *inter eruditos origine & caussis Orat. edita.* 477
Bellum *virginale in Gallia quale?* 500 seq.
Berengarii, *qui Sec. XI vixit, vita.* 137
S. Bertharii *vita.* 57
Bergomensis *(Jac. Phil.) vita.* 215
Bessarionis *Card. vita.* 138
De Bestio *(Guil.) judicium.* 403
Bibendi *consuetudines apud veteres Belgas.* 409
in honorem Dei & hominum mos unde? ibid.
Bibliothecæ *leges lepidæ adscriptæ.* 400
Bibliothecam *Scriptorum Alphabeticam condendi institutum publicatum.* 486 seq.
Bilis *in animalibus voracibus abundat.* 168
Bodini *(Jo.) vita.* 215
Bœcleri *(Jo. Heur.) Prætensiones Principum Europæ edita.* 567 sq.
Boissardi *(Jo. Jac.) vita.* 217
De S. Bonifacio *varia.* 502
Borelli *(Jo. Alph.) vita.* 207
Borrichii *(Olai) vita.* 330
Boscii *(Jo. Lonai) scripta.* 333
Bracharense *Concilium an unquam exstiterit?* 149
Brachii *(Andr.) vita descripta.* 478
De Brahe *(Tych.) vita.* 41
Brahmanicæ *literaturæ elementa.* 355 seq.
L. B. de Bransdorf *refutatus.* 315
Brencmannus *(Henr.) laudatus.* 403
De Bres *(Arn.) vita.* 137
Breviarii *Rom. quæ autoritas?* 198
S. Bricæi *miraculum.* 499
Brouckhusii *(Jani) vita.* 216
Bruckberga *descripta.* 568
Brugmanni *(Jo.) vita.* 138
De Bruis *(Petr.) vita.* 137
Brumoy *autor carminis de Perturbationibus animi.* 369

Digitized by Google

Brûni (*Jordani*) *vita.* 215
Bruyerii (*Jo.*) *vita.* 330
Buddei (*Jo. Franc.*) *vita.* 139
Bufo *cornutus Virginianus.* 341
Bufonum *historia.* ibid.
Bulla *infantum olim ornamentum.* 348
Bullatæ *statua quæ?* 350
De Burchardo, *Ep. Aureat. singularia.* 256
Burtoni (*Guil.*) *vita.* 217
Buschii (*Herm.*) *Lipsiæ edita.* 475
De Bynckershœckio *judicium.* 403

C.

Cajus, *Jureconsultus, an fuerit Christianus?* 402
Calculus *quale nummorum genus?* 540
Calendarii Gregoriani *correctio necessaria.* 420
Calixtus (*Georg.*) *temere impugnatus.* 504
contra eum Diss. promissa. ibid.
Caloris *in aquis causa.* 465 seq.
Camaldulensis (*Ambros.*) *vita.* 330
Camerale *Judicium Wimpfinæ ad Nicrum agitatum.* 568
Camerarii (*Joach.*) *vita.* 330
De Cameris *sepulchralibus veterum singularia.* 352
Campani (*Jo. Ant.*) *convicia in Germanos refutata.* 477
Opera selectiora edita. 477 seq.
Campani (*Jo. Ant.*) *Orationes promissæ.* 478
Camusatus *novam editionem Diodori Siculi meditatus.* 402
Canes *volantes.* 340
Canonici *quomodo olim appellati?* 208
Caraccioli (*Tristani*) *Opuscula historica edita.* 343
scripta recensita. 343 seq.
ingenium. 344
vita. 344 seq.
Carbunculi *an ab Hippocrate pro pestis signo habiti?* 208
De Cardinalium *Collegio Liber promissus.* 360
Carnium *usus an intra tempus jejunii permissus?* 120
De Caro *febribus intermittentibus accedente Observatio.* 318
Caroli VI, *Imp. splendidum elogium.* 99
XII, *R. Su. historia descripta.* 546 seq.
clades. 549
ad Turcas fuga. 549 seq.
mors. 550 seq.
De Caroli V, *Imp. navis politicis Orat. edita.* 477
Carolinæ *historia naturalis.* 193 seq.
Carolus M. *an autor Academiarum?* 200

Caroli M. *Capitulare: in partibus Saxoniæ, Commentario illustratum.* 461
res gestæ descriptæ. 502
Casanovæ (*Petri*) *vita.* 216
Casauboni (*Merici*) *vita.* ibid.
Castellensium *Comitum in Franconia origo.* 568
de Catharinoto (*Nic.*) *singularia.* 480
Caviceus (*Jac.*) *autor Annalium Foroliviensium.* 346
Cenchrea *quid fuerit?* 95
De Cenchreensi *Ecclesia Schediasma editum.* 94
Cerebra, *quæ pro petrefactis venduntur, num talia sint?* 36
Chamæleon *quo pacto colorem mutet?* 38
ejus anatomia & descriptio. ibid.
Chapeavilli (*Jo.*) *vita.* 215
Charisius (*Arcadius*), *Jureconsultus, an fuerit Christianus?* 402
S. Charitatis *memorabilia.* 60
De Charlataneria *Eruditorum Orationes recusæ.* 477
ad eas Notæ editæ. 479 seq.
Charletoni (*Galtierii*) *vita.* 216
Chinæ Chinæ *laudes & defensio.* 320
usus qualis? 321
modus operandi. 325
Chirimoyæ *nucleus qualis?* 405
Chorale *indumentum variandi ritus.* 359 seq.
Chordarum *vibratio.* 260
Chorographia *commendata.* 568
Christi *cum Alpha similitudo.* 96
corporis in S. Cœna præsentia realis demonstrata. 370
Christiana *religio pro revelatione divina merito habenda.* 561 seq.
Christiani *an capaces fuerint honorum in veteri Republ. Rom.?* 530 seq.
IV, *R. Dan. ingenium quale?* 39
res gestæ descriptæ. 39 seq.
De Christo, *Theologo unice imitando, Orat. edita.* 284
Chronologia *Scythica vetus edita.* 352
Chronologiæ *sacræ novum Systema promissum.* 188
Chyli *separata via præter vasa lactea demonstrata.* 169
S. Cicci *vita.* 59
Circuli *rectificatio nova.* 261
Clemens, *primus martyr.* 10
an autor fuerit Epistolæ ad Hebræos Paulinæ? ibid.
Clerici (*Dan.*) *vita.* 139
Clericis *jus testamentum condendi concessum.* 257
Clericus (*Jo.*) *refutatus.* 20. 506
Clypeorum *apud veteres usus qualis?* 182
Cobræ *de Capello.* 341
Cœlibatus *Sacerdotum jam Sec. III magni æstimatus.* 13

S. Cœ-

S. Cœna *a quibus primum sub una specie administrata?* 12
Color *obscurus quid notet?* 360
De Colore *Sandaracino varia.* 223
Colores *in vestimentis quales olim usitati?* 224 seq.
De Coloris *cærulei usu apud veteres Diss. edita.* 475
Colubri *vittati.* 341
S. Columbani *historia descripta.* 502
Columnæ *aureæ cyclus* 38 *annorum.* 422
Comœdiæ *Græcæ historia.* 391
Comitia *Regum Francicorum quæ fuerint?* 483
De Comitibus *Palatinis Diss. edita.* 484
Concilia *Ecclesiastica recensita.* 298 seq.
Concilii *Tridentini utilitas prædicata.* 245
Conciliorum *nova collectio promissa.* 334 seq.
Gallicorum Canones recensiti. 498
Concilium *Plenarium quale fuerit?* 118
Bracharense an unquam exstiterit? 149
Confessionis *auricularis origo.* 12
Coni & *cylindri superficies comparata.* 28
Conicarum *sectionum elementa.* 133
curvatura circularis. 134
Conringii (*Herm.*) *vita.* 331
Conscientiæ *antiqua & nova anatome.* 566
Constantinianæ *donationis probabilis origo.* 13
veritas asserta. 314
De Constantinopolitanis *Patriarchis Tract. editus.* 60
Constantinus M. *Episcopis in caussis politicis jurisdictionem tribuit.* 13
an ex rationibus politicis Christianus? 14
In Controversiis *sacris an argumentum a tuto valeat?* 284
Convivales *Belgarum consuetudines quæ?* 406 seq.
Cordyli *caudatæ & caudiverberæ.* 342
Cornaræ (*Helenæ Lucretiæ*) *vita.* 330
Corporis *statura de lecto surgentium procerior.* 512
humani vermes unde nascantur? 37
Corpusculari *Philosophiæ quinam veterum addicti fuerint?* 127
Corradi (*Qu. Marii*) *vita.* 331
(*Sebast.*) *vita.* ibid.
Corsi *omnium rerum imperiti.* 248
superstitiosi. ibid.
Corsica *a quo tempore Genuensibus parere cœperit?* 250 seq.
sub Pisanorum imperio fuerit? 251

Corsica *Comitum imperio subjecta.* ibid.
Corsicæ *Insulæ historia edita.* 247 sq.
linguæ ratio. 248
primi incolæ quales? 249
Corsorum *ignorantia excusata.* ib.
fortitudo. ibid.
veterum religio qualis? 250
Cortesii (*Jani*) *vita.* 330
De Costa (*Hilarion.*) *vita.* 216
Costeri (*Laur.*) *vita.* 138
Cousini (*Lud.*) *vita.* 217
Crellius (*Sam.*) *refutatus.* 284
Crenii (*Th.*) *vita.* 139 seq.
Critici *magni autor quis?* 405
Crocodilorum *genesis.* 342
De S. Cruce *Libri editi.* 455
Cucurbitini *sive lumbrici lati sæpe in catenæ modum cohærent.* 37
Cudworthus (*Radulph.*) *Hobbesii doctrinas impugnavit.* 121 seq.
laudatus. 122 seq.
defensus. 124
emendatur. 126
ejus Systema Intellectuale hujus universi Latine redditum. 120 seq.
vita. 126
Cujacius (*Jac.*) *plagii accusatus.* 25
Cuperus (*Guil.*) *laudatus.* 196
ejus Tr. de CPtanis Patriarchis editus. 60
De Curiis *Regum Francicorum Diss. edita.* 483
Curva *elastica.* 261
Curvatura *fili a potentiis quibusque extensi.* ibid.
Cycli *in determinando Paschate an calculo Astronomico præferendi?* 424
Cyclus *Paschalis* 84 *annorum.* 164
Dionysii lunaris. ibid.
Cylindri & *coni superficies comparata.* 28
S. Cyræ *vita.* 59

D.

Dacerii (*Andr.*) *furta notata.* 2
S. Dalmati, *ejusque filii, Fausti, vita.* 57
Sub Damasceni (*Jani*) *nomine scripta Mesuæ Syri circumferuntur.* 208
Damasus *adulterii accusatus.* 16
ejus miracula. ibid.
Danesii (*Petr.*) *vita.* 330 seq.
Dani *veteres descripti.* 545
Daniæ *Historia edita.* 542 seq.
Danicæ *Historiæ tres periodi.* 544
Danorum *Regem eligendi jus quando primum ad Proceres Imperii delatum?* 544 seq.
Danzii (*Jo. Andr.*) *vita.* 139
Dei *existentia demonstrata.* 558
Deismi *in Anglia incrementa.* 565
Delphinorum *piscatus.* 194
Demosthenis *Orationes editæ.* 130 seq.

Dem-

d by Google

Dentium *stridor symbolum pœnarum infernalium.* 183
Deorum *imagines in gemmis & statuis antiquis expressæ.* 241 seq.
De Dextra *Diss. edita.* 484
Diabolus *Javanicus descriptus.* 340
Tojavonicus descriptus. 341
Diæta *cujusvis corporis constitutioni accommodanda.* 170
Dii *Assessores qui fuerint?* 425 seq.
Diodori *Siculi novam editionem quis meditatus?* 402
Dionysii *Areopagitæ vita.* 115 seq.
cyclus lunaris. 164
Dionysius, *Ep. Alex. negatæ Christi cum Patre consubstantialitatis falso insimulatus.* 11
Athen. ac Paris. qui fuerint? 114
Diplomata *antiqua descripta.* 104 seq.
Ex Diplomatibus *civitatis Tigurinæ Specimina edita.* 428
Diplomaticæ *Germanorum artis Systema novum.* 98
Dominica *Oratio Chalmyccice versa.* 214
S. Dominici *vita.* 58
Donatistæ *in suis erroribus olim pertinacissimi.* 13
Dousæ (*Jani*), *patris, vita.* 217
filii, vita. ibid.
(*Georg.*) *vita.* ibid.
(*Franc.*) *vita.* ibid.
Dousæ (*Theodori*) *vita.* ibid.
Druidæ *apud veteres Germanos qui fuerint?* 459. 462
Dryina *serpens Americæ.* 341
Duarenus (*Franc.*) *plagii accusatus.* 25
Dudithii (*Andr.*) *vita.* 216
Dufresnii (*Car. Rivierii*) *vita.* 215
Duisburgensis *Academia descripta.* 94

E.

Eberhardi II, *Archiep. Salisburg. in Papam Invectiva.* 96
Ecclesia *prima in Hispania quæ fuerit?* 197
Ecclesiæ *veræ & falsæ character.* 504
Ecclesiasticorum *Scriptorum vitæ.* 386 seq.
Ecclipses *omnes Asiæ minoris investigatæ.* 354
Ecclipsis *maxima in Asia circa Halyn fluvium.* ibid.
De Eib (*Alberti*) *scripta.* 309
Eitzelii (*Pauli*) *vita.* 41
Elasticitas *aeris nimia corpori noxia.* 205
S. Eleazari *vita.* 56
Elemi *arbor.* 195
S. Eleutherii *vita.* 59
S. Eligii *vita & scripta.* 502
Emblemata *in Scriptura S. demonstrata.* 181 seq.
De Encæniis *Belgarum varia.* 408
Epactæ *quomodo corrigendæ?* 420

Epactarum *cyclus Gregorianus examinatus.* 424
Cassinianus examinatus. ibid.
æquatio Liliana examinata. ibid.
cycli varii examinati. ibid.
Episcopis *in causis politicis jurisdictionem tribuit Constantinus M.* 13
Epularum *apud Belgas varia genera.* 406 seq.
De Epulis *jocosis Belgarum varia.* 407
Eruditorum *nunc viventium Vita promissa.* 384
Hispanorum mores & vitia vituperata. 481
De Eruditorum *Charlataneria Orationes recusa.* 477
Gravitate Or. edita. ibid.
Bellis Or. edita. ibid.
Esbergii *(Jo.) Diss. de Mulieribus philosophantibus laudata.* 557
S. Etheldritæ *vita.* 58
S. Ethelwoldi *vita.* ibid.
S. Eudociæ *vita.* 59
Eventuum *in Medicina sinistrorum notitia qualis?* 416
De Evictionibus *Tr. editus.* 159
SS. Euphroniorum *vita.* 57
S. Exuperii *vita.* 58

F.

Fabri *(Ant.) vita.* 331
Fabricii *(Jo.) vita.* 139
Fabrorum *lignariorum institutio.* 28
Fallacia *Regum Germanicorum descripta.* 110
Farnabius *(Th.) laudatus.* 5
De Falcinandi *vi laudibus tributa Diss. edita.* 475
In Febri *maligna quæ remedia adhibeantur ab Hispanis?* 402
In Febribus *inflammatoriis cur sanguis vena emissus albicantem pelliculam exhibeat?* 269
typorum ætiologia. 326
Febrium *laudes suspecta.* 319
intermittentium recidiva. 322
S. Felicis *Veronensis vita.* 59
Gerundensis vita. ibid.
Felix *inter sanctos martyres relatus.* 15
Felleri *(Joach. Frid.) vita.* 331
Festalium *literarum in Belgio ratio.* 408
De Festis *solennibus Regum Francicorum Diss. edita.* 483
de Ficoroni *(Franc.) laudatus.* 348 seq.
S. Fidei *memorabilia.* 60
Floridæ *Historia naturalis.* 193 seq.
Fluidorum *actio in solida.* 264
Fœminæ *facunda exemplum.* 93
Fœtus *per os nutritio.* 418
Fontanellæ *locus peculiaris futura in adultis cinctus.* 511

de la

d by Google

de la Fontaine (*Jo. Franc.*) *vita.* 217 seq.
Fontium *origo.* 203. 465
Formulæ: *Salutem & Apostolicam Benedictionem !. origo.* 10
Corpus tuum frangitur, Christe, in Ecclesia usus. 230
Forolivienses *Annales editi.* 345 seq.
Fracastorii (*Hier.*) *vita.* 216
Fraguierii (*Claudii Franc.*) *vita.* 217
Francicæ *scripturæ in MStis origo.* 101
Francofurtensis *Juris Statutarii historia.* 413
Francofurtensium *rerum Scriptores editi.* 411
Statutorum Codex editus. ibid.
De Francorum *ante conditum Regnum religione & moribus Diss. edita.* 497
Fresnæi *ad Joinvillii Historiam Ludovici IX Diss. edita.* 483
De Fresnoji (*Langleti*) *Methodo studendi Historiis singularia.* 481
Frickius (*Jo.*) *refutatus.* 365
De Friderico II, *Ep. Aureat. singularia.* 256 seq.
Fridericus Pulcher *Austr. an Imperatoribus Rom. Germ. annumerandus?* 311 seq.
Frischlini (*Nicod.*) *vita.* 330
Fruitier (*Jac.*) *vita.* 139
Fuchsii (*Leonardi*) *vita.* 217
Fueslinus (*Jo. Conr.*) *Collectionem Scriptorum rerum Helveticarum parat.* 378 seq.

G.

Galli (*Corn.*) *patria quæ?* 346
Galliæ *quando primum lux Evangelii affulserit?* 114
antiqua notitia Geographica. 396
Gallicanæ *Ecclesiæ historia.* 495 seq.
De Gallorum *veterum religione & moribus Diss. edita.* 496
Gangliorum *in nervis usus.* 514
Gastmahl *vox unde derivanda?* 407
S. Gaufridi *vita.* 57
Gazæ (*Theodori*) *vita.* 138
De Gebhardo I, *Ep. Aureat. singularia.* 256
Geieri (*Mart.*) *vita.* 475
Geigeri (*Malach.*) *scripta.* 333
Gellii (*Jo. Bapt.*) *vita.* 216
Gemmæ *antiquæ virorum illustrium collectæ.* 241 seq.
Gemmarum *symbolicarum collectio.* 243
De Gemmingen (*Georg.*) *scripta.* 309
(*Jul. Henr.*) *scripta.* ibid.
Generatio *æquivoca ex putredine nulla.* 36
De Genesiis *quinque varia.* 507
S. Genovefæ *miracula.* 500
Gentilis (*Alber.*) *notitia.* 370
De S. Georgii *Ordine varia.* 369
à Georgiis (*Laur.*) *laudatus.* 453
Gerdesii (*Dan.*) *Observatio exegetica ad Phil. II, 17, edita.* 94
Excerpta ex Alb. Schultens Origin. Hebr. edita. ib.

Gerdesii (*Dan.*) *Descriptio status præsentis Academiæ Duisburgensis edita.* 94
Memoria Jo. Jac. Hulderici edita. ibid.
Observ. ad 1 Petr. IV, 6. edita. 95
Origines Evangelicæ inter Salzburgenses ante Lutherum editæ. ibid.
Germani, *Patriarchæ CPtani, Or. de Restit. Imag. edita.* 458
S. Germani *miracula.* 500
Germanorum *veterum idololatria.* 459. 461 seq.
Germonius *notatus.* 100
Gesneri (*Conr.*) *vita.* 216
Gesnerus (*Jo. Jac.*) *Numismatum Gr. & Lat. Thesaurum parat.* 429 seq.
Ginglymii *triplicis descriptio.* 511
Glires *volantes.* 340
Glirium *muriumque sylvestrium descriptio.* 339
σοεγῆ. ibid.
Goari (*Jac.*) *vita.* 331
Godefridus, *Abb. Gotwic. laudatus.* 98. 156
Godelli (*Ant.*) *vita.* 216
Gœttenius (*Gabr. Wilb.*) *Eruditorum nunc viventium Vitas parat.* 384
Goldasti (*Melch.*) *ad Hortlederum Epistola edita.* 413
Goldasti (*Melch.*) *ad Hortlederi Vitam Accessiones editæ.* 412
Gorius (*Ant. Franc.*) *autor Italicæ Longini versionis.* 389
Gothicarum *literarum in MStis origo.* 101
Gothofredi (*Dionys.*) *vita.* 25
(*Theodori*) *vita.* ibid.
(*Dionys. jun.*) *vita.* ibid.
Gothofredus (*Jac.*) *refutatus.* 295 seq.
ejus vita. 215
Gottingensem *Academiam condendi institutum publicatum.* 484 seq.
Gotwicense *Nummophylacium promissum.* 111
Gotwicensis *Chronici Prodromus editus.* 97 seq.
Gotwicensium *Abbatum Historia promissa.* 111
Græci *in variolis ante eruptionem venam secant.* 209
Gratianus (*Balth.*) *Critici magni autor.* 405
Gravina (*Jan. Vinc.*) *plagii accusatur.* 25
ejus Origines Juris laudatæ. 397
de eo judicium. 403
De Gravitate *Eruditorum Or. edita.* 477
S. Gregorii *vita.* 57
Gregorius *Turonensis fuse laudatus.* 500
Gretseri (*Jac.*) *Opera junctim edita.* 454 seq.

Gret-

Gretseri (*Jac.*) *vita.* 455
Griebneri (*Mich. Henr.*) *vita & scripta.* 372 seq.
Grienwaldi (*Franc. Josephi*) *de Aquis medicatis Bavariæ Liber promissus.* 333
Gronovius (*Laur. Theodor.*) *refutatus.* 161
Grosthead (*Rob.*) *vita.* 138
Grotii (*Hug.*) *vita.* 331
Gruterus (*Jan.*) *notatus.* 2
Grylli (*Laur.*) *scripta.* 333
S. Gualteri *vita.* 59
Guicciardini (*Lud.*) *vita.* 215
De Guixoti *Autore singularia.* 405
De Gundackaro, *Ep. Aureat. singularia.* 256
S. Gundekari *vita.* 57
Gundlingii (*Nic. Hier.*) *vita.* 139
De Gustavi *Adolphi interfectore dubio Diss. edita.* 475
Gymnasii *Regii Navarræ Parisiensis historia.* 200 seq.

H.

Hæmorrhoidum *internarum furentium descriptio.* 267
ætiologia. 268
cura. 271
Hæredipetarum *exemplum detestandum.* 257
Hæreseos *accusatio olim ad judicem politicum delata.* 20
Hæretici *an puniendi?* 284
an rebaptizandi? 365
In Hæreticos *quis primus Paparum supplicia exercenda duxerit?* 17
Hahnii (*Sim. Frid.*) *vita.* 139
ab Hamm (*Jo.*) *Observatt. ad Genesin & Leviticum editæ.* 95
Harduinus (*Jo.*) *refutatus.* 100
ejus vita. 139
Hariri *eloquentiæ specimen editum.* 45
Hasæus (*Theodor.*) *Peyrerii Historiam meditatus.* 370
ejus vita. 139
Heideggeri (*Jo. Henr.*) *vita.* 215
Helcheri (*Jo. Henr.*) *vita.* 139
Helveticarum *rerum Scriptores promissi.* 378 seq.
Henrici, *Monachi Tolosani, vita.* 137
Heraldicæ *scientiæ præcepta generalia.* 285
De Heriberto, *Ep. Aureat. singularia.* 256
S. Hermilli *vita.* 59
Herveti (*Gentiani*) *vita.* 215
Hetruscarum *Antiquitatum opus promissum.* 46
De Hierarchia *Cleri Rom. Liber promissus.* 360
Hieronymus *an linguæ Hebraicæ imperitus fuerit?* 506
Hilarii *Pictaviensis vita & laudes.* 498
Arelatensis notitia. 499
Opera edita. 502 seq.
Hildegarda, *Ludovici Germ. filia, an re vera exstiterit?* 429
In Hispania *misera literaturæ facies.* 398 seq. 402

Hispanorum *Eruditorum mores & vitia notata.* 481
Historiæ *naturalis tres status sive ætates.* 203
De Historicis *mercede conductis Diss. edita.* 475
De Histrionia *Politica Orationes editæ.* 477
Hœveri (*Wolfg.*) *scripta.* 333
Hollyngi (*Edmundi*) *scripta.* ibid.
Homericæ *gemmæ quæ dicantur?* 243
P. Hommey *refutatus.* 21
S. Honorati *vita.* 507
Hornii (*Jo.*) *Præfatio ad Cantica Bohemorum Fratrum edita.* 95
Hornius (*Georg.*) *quomodo appellatus?* 197
Hospini (*Mich.*) *Commendatio Chorographiæ edita.* 568
Hottingeri (*Jo. Henr.*) *Notæ in Exod. VI recusæ.* 94
Hübneri (*Jo.*) *vita.* 139
Huetius (*Petr. Dan.*) *refutatus.* 475
Hugenii (*Chr.*) *vita.* 331
Hulderici (*Jo. Jac.*) *vita.* 94
Hussi (*Jo.*) *vita.* 138
de Hutten (*Christoph. Franc.*) *in libros antiquiores merita.* 309
Hydra *Hamburgensium lernæa.* 342
Hylareti (*Maur.*) *vita.* 217

I.

S. Jacobi *Majoris expeditio Hispanica asserta.* 145 seq. 195 seq.
sepulchrum ubi?
S. Iæ *vita.* 150
Jamesii (*Th.*) *vita.* 330
Janissonii (*Franc. Mich.*) *vita.* 216
Januarii (*Aurel.*) *Respublica Jureconsultorum laudata.* 22 seq.
Javolenus (*Priscus*) *contra Plinium defensus.* 144
ejus vita & in Jurisprudentiam merita. 142 seq.
Javorskius (*Steph.*) *refutatus.* 284
Ichneomones. 340
Imaginum *usus in Ecclesia jam Sec. III invaluit.* 12
De Imitatione *Christi liber a quonam scriptus?* 201
De Imprecationibus, *quas variis monumentis addidere veteres, Diss. edita.* 475
Inflammationis *definitio.* 269
In Inflammatoriis *febribus sanguis vena emissus cur albicantem pelliculam exhibeat?* ibid.
De Ingolstadiensis *Facultatis Medicæ Ortu & Progressu Liber promissus.* 333
De Ingratitudine *fugienda Liber editus.* 478
Inscriptio *quædam Saguntina.* 401
Insecta *nulla sponte vel ex putredine nascuntur.* 36
unde nascantur? ibid.
intra durissima marmora & cretam reperta. ibid.
Insectorum *divisio generalis.* 37
De Insignibus *Imp. Liber editus.* 456
Insulæ *a nervo intercostali intra sella equinæ sinus formatæ.* 67

Invo-

Invocationis *formula in priscis Diplomatibus.* 107
De Joanna *Papissa quid sentiendum?* 18
Joannæ I *Apologia.* 344
De Joanne III, *Ep. Aureat. singularia.* 257 seq.
Ad Joinvillii *Historiam Ludovici IX Dissertatt. edita.* 482
S. Jonati *vita.* 58
Judæi *an bonorum capaces fuerint in Republ. Rom.?* 529 seq.
De Judæis *Francofurtanis & Friedbergensibus varia.* 413
Judæorum *Traditiones explicatæ.* 358 seq.
De Judæorum *religione quid senserint Romani veteres?* 529
De Judiciis *Dei Diss. edita.* 497
Junii (*Patricii*) *in Marmor II Arundellianum Observatt. edita.* 54
De Jure *vetere enucleando Liber editus.* 161 seq.
Jureconsultorum *Respublica descripta.* 21 seq.
in rebus Historicis & Philologicis oscitantia notata. 23
veterum qualis philosophia fuerit? 24
Juris *Scriptorum vitia recensita.* 23
Jus *dicendi modus apud veteres Reges Francicos qualis?* 482 seq.
S. Justæ *vita.* 60
S. Justini *vita.* 59
Justitia *& injustitia actionum demonstrata.* 164 seq.
De Justitiæ *Rectoribus quibusdam Diss.* 545
Juvenis *delicatuli descriptio poetica.* 27

K.

Kæmpferi (*Engelberti*) *Itinera in Moscoviam, Persiam & Indiam Orientalem, promissa.* 186
vita. 331
Kahleri (*Jo.*) *vita.* 139
Kanoldi (*Jo.*) *vita.* ibid.
a Kempis (*Th.*) *an autor libri de Imitatione Christi?* 201
vita. 138
S. Kinedi *vita.* 59
De Knœringio (*Jo. Egolfo*) *singularia.* 310

L.

Labadii (*Jo.*) *vita.* 217. 371
Lacertarum *series.* 341
Lactis *urinosus sapor in nutricibus unde?* 170
Læti (*Jul. Pomp.*) *vita.* 138
Lampii (*Frid. Adolph.*) *Analysis Parabolæ Paulinæ &c. recusa.* 94
vita. 139
Lanceæ *& clavorum Festum a quo institutum?* 456
Lanuginorum *veterum historia illustrata.* 508 seq.
De Latio *sacro Liber promissus.* 510
Launoji (*Jo.*) *Opera edita.* 112. 153. 199. 244 seq.
adversarii. 113. 115. 118. 120. 153. 198. 201
vita. 202
Epistola edita. 245

Lauren-

Laurentius *Martyr obstinationis, Præfecto Rom. exhibita, accusatus.* 11
S. Laurentius *primus Nordgavienses Evangelium docuit.* 460
Laurisheimensium *Traditionum Codex promissus.* 111
De Lazarilli *Autore singularia.* 405
Leges *Romanorum veterum eleganter versibus explicatæ.* 26
illustratæ aut explicatæ:
L. 64 D. d. Evict. 25
40 D. d. R. C. 47
1 C. d. Edendo. ibid.
38 D. d. Cond. Indeb. ibid.
Tit. C. d. J. Emph. ibid.
D. d. Interd. & Præleg. ibid.
L. 5 D. d. naut. fœn. ibid.
Tit. D. d. Evict. 159
L. 75 §. ult. D. d. V. S. 160
11 §. 1. 2 L. 30 §. 1. D. d. Act. 161
5 §. 2 D. Commod. 163
23 D. d. R. I. ibid.
7 D. d. Pact. ibid.
Tit. D. d. Dupl. stip. ibid.
L. 72 D. d. contr. emt. ibid.
18 D. d. acqu. & omitt. hæred. 291
15 D. d. public. 292
12 §. 1 D. d. Us. & habit. ibid.
§. 4 I. d. Us. & habit. ibid.
L. 7 D. d. S. U. P. 293
26 §. 2 d. A. R. D. ibid.
76 d. Judic. ibid.
6 d. Usufr. ear. rer. ibid.
19 d. Us. & usufr. leg. ibid.
1 & 37 C. d. Appell. 294
L. 5 §. 1 ad L. Jul. d. Vi publ. 294
5 §. 3 ad L. Aqu. ibid.
13 §. 4 Loc. ibid.
69 pro Soc. ibid.
3 d. his, qui sui. 295
1 d. Constit. Princ. 296
9 ad L. Pomp. d. Parric. 297
5 d. Leg. 3. 403
27 §. 28 D. ad L. Aqu. 528
3 §. fin. D. d. Decur. ibid.
un. C. Th. d. Stator. ibid.
De Legione *Fulminatrice Dissertationes editæ.* 285
Leibnitiana *methodus virium motricium æstimandarum paralogismi accusata.* 33
Leiningensium *Comitum prosapia deducta.* 568
Lenfant (*Jac.*) *vita.* 139
Lenticulæ *palustris semen & vegetatio.* 166
S. Leonis *vita.* 59
Lequani *seu ophiomachi.* 342
Lescinskii (*Stanislai*) *infelix in Regem Poloniarum electio.* 549
Lex *Regia quid olim fuerit?* 296 seq.
Liberius *prævaricator fidei appellatus.* 15
inter Sanctos relatus. ibid.
Libertinorum *filii olim bullam gestarunt.* 350
De Libris *rarioribus singularia.* 480 seq.
Linus *num de vita Petri scripserit?* 10
Lippenii (*Mart.*) *vita.* 330

De Lipsiensibus *doctrina illustribus Orat. edita.* 477
De Literariæ *rei impedimentis Orat. edita.* ibid.
Literarum *Gothicarum, Longobardicarum & Francicarum in MStis origo.* 101
De Literarum *elegantiorum contemtu Orat. edita.* 477
Literaturæ *in Hispania misera facies.* 398 seq. 402
Loersii (*Jo.Christ.*) *Schediasma de Choschen recusum.* 94
Longini (*Dionys.*) *de Sublimitate Commentarius recens editus.* 60 seq. 387 seq.
— *loca quædam emendata.* 61 seq.
Longobardicarum *literarum in MStis origo.* 101
Longolii (*Christoph.*) *vita.* 215
— (*Gilberti*) *vita.* ibid.
Longomontani (*Christiani*) *vita.* 216
S. Luani *vita.* 58
De Lucerna *veterum sepulchrali Commentatio promissa.* 352
Lucernarum *in sacris usu diurno olim fuit interdictum.* 12
De Ludis *Scriptores recensiti.* 481
De Ludovici XVI, *Gall. Reg. statua, Lutetiæ posita, singularia.* 535 seq.
Luis *bovinæ & equinæ causa vermiculi.* 166
Lumbrici *lati sive cucurbitini in catenæ modum sæpe cohærent.* 37
Luna *Ecclesiæ symbolum.* 183
— *num sphæra sit, an sphæroides?* 357
Lunæ *saltus quomodo determinandus?* 420
Pro Lunæ *saltibus inveniendis cycli novi.* 422
Lunaris *cyclus Dionysii.* 164
In Lusitaniam *quis primus Evangelium invexerit?* 146 seq.
Lutheri (*Mart.*) *vita.* 139
Lutzii (*Cyriaci*) *scripta.* 333
S. Lydiæ, *purpurariæ, vita.* 59
Lydiati *Opusculorum Chronologicorum Catalogus.* 52

M.

Machabæorum *historia descripta.* 55
Machinæ *bellicæ veterum quales?* 527
Magici *criminis exemplum.* 94
Magii (*Hier.*) *vita.* 217
De Magistratu *regendo Liber editus.* 478
De Magliabecchiana *Bibliotheca singularia.* 389
Majansianæ *Bibliothecæ Catalogus.* 402
Majansius (*Georg.*) *quis sit?* 396
— *laudatus.* 401
— *ejus Orationes quædam laudatæ.* 397. 401
— *scripta.* 403 seq.
— *edenda.* 404

Maittaire (*Mich.*) *nova Marmorum Arundellianorum editio laudata.* 49 ſeq.

Malaſpinæ (*Joſeph.*) *Epiſtola quædam edita.* 454

De Mali *ex Platonis mente origine Diſſ.* 126

Manichæi *deſcripti.* 20

De Manti *Papalis origine & uſu Diſſ. promiſſa.* 360

Manuſcriptorum *Codicum critica cognitio quomodo inſtituenda?* 100

ætas quomodo dijudicanda? 100 ſeq.

De Maphæis (*Jo. Jac.*) *ſcripta.* 333

S. Maranæ *vita.* 59

Marchiæ *Orientalis medii ævi charta Geographica promiſſa.* 111

a Marck (*Jo.*) *vita.* 139

S. Mariæ *Conſolatricis vita.* 60

Marinius (*Ant. Franc.*) *laudatur.* 389

Marmora *Arundelliana denuo edita.* 49

Martini *Turonenſis vita.* 499

De Martino, *Ep. Aureat. ſingularia.* 258 ſeq.

Martinus (*Eman.*) *laudatus.* 400

ejus ſcripta laudata. 404

Maſſinenſes *thermæ deſcripta.* 464

De Materiariis *antiquis Diſſ.* 126

De Matrimonii *impedimentis Tr.* 201

dignitate Liber editus. 478

S. Matris, *cujus ſit in Maccabæorum Hiſtoria mentio, vita.* 56

S. Mauri *in Galliam adventus.* 500

S. Maurilii *vita a quo deſcripta?* 116

Mauſoleorum *veterum ratio.* 351 ſq.

S. Maximi *vita.* 56

S. Medardi *monaſterii privilegium.* 154

Medicamentorum *vicem ſæpius ſuſtinent alimenta.* 170

In Medicina *notitia eventuum ſiniſtrorum qualis?* 416

Medicorum *Bavarorum hiſtoria.* 332

Megiſeri (*Hier.*) *Fragmentum promiſſum.* 111

Meibomii (*Henr.*) *vita.* 217

De Meiern (*Jo. Godofr.*) *laudatus.* 489 ſeq.

Menckenius (*Frid. Otto*) *Januarii Rempubl. JCtorum denuo edit.* 22

Parentis ſui Diſſertationes Literarias edit. 473 ſeq.

Orationes Academicas edit. 476 ſeq.

Campani Opera ſelectiora edit. 478 ſeq.

ejus de Stipendiis Romanorum veterum militaribus Commentatio edita. 473

(*Jo. Burch.*) *laudatus.* 452

Men-

Menckenii (*Jo.Burch.*) *de Charlataneria Eruditorum Declamationes Hispanis nota.* 404
ad easdem Nota edita. 479 seq.
Dissertationes Literaria edita. 473 seq.
Orationes Academica edita. 476 seq.
Mendacii *illustre exemplum.* 93
Menzelii (*Alb.*) *scripta.* 333
Meridiana *linea quomodo invenienda?* 213
Mermanni (*Th.*) *scripta.* 333
Mesnardierii (*Hippol. Jul. Pilleti*) *vita.* 330
Mesuæ *Syri scripta quo nomine circumferantur?* 210
Metallorum *ortus unde?* 465
Meteora *aeris atmosphærici justam temperiem reddunt.* 205
Methodus *differentialis.* 515
Miegii (*Jo.Frid.*) *Diss. de Baptismo Flaminis edita.* 95
Militum *eruditorum exempla.* 217. 473
De Mindelhemio *in Principatum Imperii evecto Diss.* 474
Mindereri (*Raymundi*) *scripta.* 333
Miracula *Christi pro veris miraculis habenda.* 562
Moffatensium *aquarum examen & usus.* 417
Mogol *Regum series.* 203
De Mohammedica *religione Diss. edita.* 42
Mohammedicæ *fidei confessio edita.* ibid.
Mohammedis *vita edita.* 42
Monachi *an in Codices MStos menda intulerint?* 100
De Monachorum *Privilegiis quis scripserit?* 153
Monachos *faciendi eunuchos consilium.* 14
Monasterii *suburbani Parisiensis immunitas demonstrata.* 153 seq.
Vindocinensis privilegia. 154
S. Medardi privilegium. ibid.
Monasteriorum *Galliæ status descriptus.* 499
Monogrammatum *antiquitas demonstrata.* 105
Monstrum *Casanense & Petropolitanum.* 263
Montefalconianæ *Palæographiæ Delineatio edita.* 475
Montis *S. Gothardi vera altitudo.* 281
Moraschii (*Jo. Ad.*) *scripta.* 333
Morisoni (*Rob.*) *vita.* 217
Moshemius (*Jo. Laur.*) *laudatus.* 121 seq. 125
Mosis *Libri V in lingua Ægyptia editi & Latine versi.* 63
Motrajus *autor Observationum in Historiam Caroli XII, R. Suec.* 551
Mounteney (*Rich.*) *in Orationes Demosthenis merita.* 131 seq.
De Mulieribus *philosophantibus Diss. laudata.* 557
Mulierum *doctarum exempla.* 215. 217. 217. 310. 330. 557

Mundus *an casu ortus sit, an æternus?* 558. 563 seq.
Mungalicæ *literaturæ elementa edita.* 352. 355
Muratorius *(Lud.Ant.) emendatus.* 347
— *vitæ Sigonianæ scriptor.* 441 seq.
De Mureti *Carminibus judicium.* 480
Murium *gliriumque sylvestrium descriptio.* 339
— μος-γή. ibid.
Musa *videtur esse arbor a Plinio Pala dicta.* 172
— *an inter palmas referenda?* ib.
— *ejus varia nomina.* 173
— *in horto Bosiano proventus.* 171
— *varius usus œconomicus.* 174
— *radix bullosa.* 175
— *truncus arundinaceus & foliosus.* ibid.
— *flos verticillatus stirpis centrum est.* ibid.
— *sauciatæ succus qualis?* 176
— *foliorum nascendi ratio.* 177
— *floris accurata descriptio.* 178
— *fructus descripti.* 180
— *semina nulla reperta.* ib.
De Musica *antiqua varia.* 103
Myrmicophagus. 340
De Myrrhato *vino Diss.* 456

N.

Nannius *de claris Corneliis recens editus.* 2
Naturæ *lex an sit perfectissima?* 560 seq.
Naturalium *rerum Thesaurus editus.* 286 seq.
Navarrici *Gymnasii Parisiensis historia.* 200 seq.
De Naudæi (*Gabr.*) *Libro, Mascurat, singularia.* 481
Neapolitana *historia illustrata.* 343
S. Nectarii *vita.* 57
Neeff (*Jo.Bapt.*) *scripta.* 333
S. Nemesii *vita.* 59
Nervi *intercostalis vera origo.* 65
— *recurrentis cum vago & intercostali connexio.* 79
In Nervis *usus gangliorum.* 514
Nervorum *paris vagi & intercostalis investigatio specialis.* 65
— *paris noni cum vago conjunctio.* 68
— *descriptio Winslowii ad examen revocata.* ibid.
— *sub capite sitorum in utroque latere diversitas.* 69
— *cervicalium ad intercostalem accessiones.* 71
— *intercostalis & paris vagi multiplex communicatio.* 72
Nervos *canales esse, assertum.* 513
Ad Nervum *intercostalem formandum an quinti paris rami concurrant?* 66
Nervus *Willisius accessorius descriptus.* 68

Nervus *intercostalis qualis?* 514
Nestoriani *num sint hæreticis annumerandi?* 8
Pro Nestorio *apologia.* 17
Nestorius *quid senserit de voce* Θεοτοκος? ibid.
Newtoni (*Isaaci*) *vita.* 139
Nicænus *Canon VI quomodo intelligendus?* 116 seq.
S. Nicetii *vita.* 59
Nieupoorti (*G. H.*) *Rituum Rom. explicatio denuo edita.* 384
Ex Nihilo *mundum a Deo creatum fuisse, an ullus Philosophorum veterum docuerit?* 125
Nintipolonga. 340
Niphi (*Augustini*) *vita.* 216
Ad Noodtii (*Gerb.*) *Probabilia Juris Notæ.* 160
Nordgaviæ *situs, Provinciæ & Principes descripti.* 458 seq.
Nordgaviensis *Episcopatus Antiquitates investigatæ.* 252 seq.
gentilismi antiquitates illustratæ. 461 seq.
Nordgaviensium *veterum idololatria.* 459
Episcopatuum historia. 461
Numismatica *Belgii historia edita.* 537
Numismatum *recentiorum quæ ratio?* 539
veterum collectio nova promissa. 242
Gr. & Lat. Thesaurus promissus. 429 seq.
Nummi *necessitate urgente cusi quales?* 540
argentei quomodo examinandi? 263
Nummophylacium *Gotwicense promissum.* 111
Nummus *puerum bullatum repræsentans.* 349
antiquus Junonem Lanuginam repræsentans. 509
Iprensis repræsentatus. 541
Daventriensis repræsentatus. ibid.
Bredanus repræsentatus. ibid.
Nutricum *lac unde interdum sapore urinoso?* 170
Nutritionis *primarium objectum vegetabilia.* 169

O.

Ochini (*Bernardini*) *vita.* 330
Oestrum *sive asilum armentorum.* 37
Offerhausii (*G. C.*) *Diss. de Alpha Apocalyptico edita.* 95
Officiorum *hominis erga se ipsum fundamentum.* 559
Olei *Cajepati præparatio.* 277
Ophiomachi *quid?* 342
Oratorum *veterum imagines collectæ.* 242
Ordinatio *Ecclesiastica an ab hæreticis suscipi possit?* 17
Origenes *an castrandum sese dederit?* 506
L. B. Oropesa *vir eruditus.* 405
Oscillationis *centrum.* 259

Inter Offa *maris & fœminæ discrimen quale?* 512
Otto (*Ever.*) *falſe notatus.* 25
laudatus. 527 ſeq.
ejus Theſaurus Juris iterum editus. 289 ſeq.
De Ottone, *Ep. Aureat. ſingularia.* 256
Ex Ovis *naſcuntur omnia inſecta.* 36
Oxenſtirnæ (*Axeli*) *ad filium litera edita.* 494

P.

Pacificationis *Oſnabrugo-Monaſterienſis nova editio promiſſa.* 490
Pacis *Weſtphalicæ Acta publicata.* 489 ſeq.
Pædobaptiſmus *an ſemper in uſu fuerit?* 12
Pagi *Germaniæ mediæ deſcripti* 110
Pala *arbor a Plinio dicta qualis?* 172
Palmerii (*Jac.*) *Supplementa ad Chron. Marm. Arundell. edita.* 50
Panormitæ (*Ant.*) *vita.* 138
Papæ *nomen quando primum exortum?* 11
Papam *falli poſſe, ſpecimine oſtenſum.* 15
Papinianus *an Matheſeos peritus fuerit?* 25
de Pappenheim *Com.* (*Matth.*) *ſcripta.* 310
S. Papula *monachis nomen addixit.* 500
Parabolæ *proprietates quomodo ex proprietatibus hyperbolæ vel ellipſeos derivanda?* 134
De Paragio *& Fratragio Diſſ. edita.* 483
Paredri *Dii qui fuerint?* 425 ſeq.
Pariſii (*Franc.*) *vita & poſt mortem miracula.* 532 ſeq.
Paſchale *plenilunium quale?* 423
Paſchalii (*Car.*) *vita.* 215
Paſchalis *cyclus* 84 *annorum.* 164
In Paſchate *determinando an cycli calculo Aſtronomico præferendi?* 424
Paſchatos *dies ac menſis quomodo definiendus?* 423
De Patriarchis *CPtanis Tr. editus.* 60
Pauli (*Henr. Reinh.*) *Schediaſma de Eccleſia Cenchreenſi recuſum.* 94
Paulini (*Chr. Franc.*) *Diſſ. de Comitibus Palatinis edita.* 484
de Barba edita. ibid.
de Dextra edita. ibid.
Paulus *Samoſatenus cur lupus rapax dictus?* 12
Apoſtolus an Hiſpanis Evangelium nuntiaverit? 148 ſeq.
Pearce (*Zach.*) *in Longinum de Sublimitate merita.* 61 ſeq.
Pelagiani *num ſint hæreticis annumerandi?* 8
SS. Peregrinorum *vita.* 59
Peritonæi *origo a dura matre aſſerta.* 510
S. Perpetuæ *vita.* 60
De Perſonarum *religione Diſſ.* 126
Perſonæ (*Gobellini*) *vita.* 138

Per-

Perspectiva *facilitata.* 467
Pestis *causa vermiculi.* 166
Petiti *descriptio & figuræ nervi intercostalis emendata.* 65
Petitus *(Petr.) refutatus.* 21
S. Petri *Anagnini vita.* 56
Petrus *Apost. an idem fuerit, qui Cephas?* 9
ejus vita. 57
de ejus Primatu varia. 9
sub ejus nomine Liturgia Apostolica edita. 9 seq.
De Peyrerio *(Isaac.) singularia.* 370
olim Commentarius promissus. ibid.
Pezius *(Bern.) laudatus.* 158
Pfalburger *vox quid denotaverit?* 412
Phered *(Ibn) Carmen Arabicum editum.* 45
Philippus, *Ep. Auriat. Princeps solide doctus.* 257
Imp. an fuerit Christianus? 506
De Philosophantibus *mulieribus Diss. laudata.* 557
Philosophiæ *in Jurisprudentia usus.* 24
corpusculari quinam veterum fuerint addicti? 127
Philosophorum *veterum imagines collectæ.* 242
Pici *(Jo.) vita.* 138
Pictorum *icones promissæ.* 242
Pii II, *Pont. Max. vita edita.* 478
Pinelii *(Severini) vita.* 217
Pirckheimeri *(Bilibaldi) vita.* 217
Pisces *volantes quomodo capiantur?* 194
Piscium *mutatio in ranas.* 341
Pitiscus *(Sam.) notatus.* 2
De Plagiis *JCtorum varia.* 25
Planisphærologium *novum.* 203
Plantæ, *Musa vel Pysang dictæ, in horto Bosiano proventus.* 171
Plantarum *Carolinæ & Floridæ descriptio.* 195
Planum *mobile quomodo a corpore occurrente percutiatur?* 50
Platonici *quantum turbaverint Ecclesiam?* 125
De Platonis *circa originem mali sententia Diss.* 126
Plenilunium *Paschale quale?* 423
Pocciantii *(Mich.) vita.* 216
Pocqueti *(Claudii) vita.* ibid.
Poeseos *in Jurisprudentia usus demonstratus.* 26
Poetarum *veterum imagines collectæ.* 243
Poggii *(Franc.) vita.* 138
Pontani *(Jo. Joviani) vita.* 138
(Jo. Is.) vita. 331
Pontifex *in quantum fallere & falli possit?* 362 seq.
an sit supra Concilia? 365
Pontificum *errantium exempla.* 364
Porti *(Franc.) in Longinum Commentarius editus.* 61. 63
S. Possidio *falso tribuuntur Sermones ad Fratres in eremo.* 21

S. Possidius *Donatistas domuit.* 21
a Genserico in exilium pulsus. ibid.
ejus vita & res gesta. 19 seq.
corpus an Mirandolæ asservetur? 21
De S. Pothino *varia.* 497
Potus *calidi & frigidi usus & abusus.* 167
Pozzo (*Modestæ*) *vita.* 215
Præmonstratensis *Ordinis privilegia.* 154
Prætensiones *Principum Europæ dijudicatæ.* 567 seq.
Pragensis (*Hier.*) *vita.* 138
De Presbyterii *ritu Diss. promissa.* 360
Pricæi (*Jo.*) *in Marmor III Arundellianum notæ editæ.* 50
Prideaux (*Humfr.*) *in Marmora Arundelliana Commentarius denuo editus.* ibid.
De Primatu *Petri Apostoli varia.* 9
Principem *quæ virtutes deceant?* 366 seq.
Priscillianismi *historia.* 499
Priscillianistarum *doctrina.* 16
Priscorum *veterum memoria.* 143
Professio *fidei, liber, a quo scriptus?* 119
Prosperi *Aquitani Chronicon illustratum.* 164
Prunus *buxi folio cordato.* 195
De Pseudo-Principibus *Diss. edita.* 475
Puella *sine cranio nata, molem carneam pro cerebro habens.* 37
Pufendorfii (*Sam.*) *vita.* 217
Pugæ (*Jo.*) *vita.* 405
Pulicum *ex ovo origo detecta.* 37
Pulmones *primarium sanguificationis organon.* 169
Pulveris *pyrii inventor.* 527
Puteani (*Erycii*) *vita.* 216
Pysang *planta qualis?* 171
De Pythagoræ *Symbolis Diss.* 126

Q.

Quadrati (*Vindii*) *memoria instaurata.* 291
Quadraturæ *curvarum calculus.* 518
Quadrupedium *volantium variæ species.* 340
Quesnellius *laudatus.* 8
P. le Quien *vita & scripta.* 45 seq.

R.

Rabulæ *egregia descriptio.* 398
Racinii (*Jo.*) *vita.* 216
Radii *articulati lapidei.* 265
Ranarum *historia.* 341
mutatio in pisces. ibid.
Rauchii (*Jo. Franc.*) *Libri Medici cur tam rari?* 481
S. Raynerii *vita.* 56
De Reginoldo, *Ep. Aureat. singularia.* 255
Regiomontani (*Jo.*) *vita.* 138
Regulus *antimonii medicinalis quomodo per compendium paretur?* 278
Reliquiarum *apud Pontificios cura.* 114
ostensionis exempla. 360

Renatus *And-gavenſis an unquam exſtiterit?* 116
Rerum *creatarum nexus & catena.* 35
Revelationis *divinæ neceſſitas demonſtrata.* 559 ſeq.
De Rhetoricæ *Caſtellana Autore ſingularia.* 405
Rhingravica *Hiſtoria promiſſa.* 413
Rhuz (*Petr.*) *Epiſtola laudata.* 401
Rilindis *fœmina docta.* 310
Ritualium *Scriptorum Theſaurus promiſſus.* 360
De Rixnero, *Torneamentorum Scriptore, judicium.* 309
Romana *hiſtoria ex gemmis illuſtrata.* 243
S. Romani *vita.* 59
Romualdi (*Petr.*) *vita.* 330
Roris *pro differentia locorum varietas.* 205
Rota *cum ſuper flumen revolvitur, cur ejus circuli omnes interiores deſcribant rectas æquales?* 32
Rufinus (*Licinnius*), *JCtus, an fuerit Chriſtianus?* 402
Ruyſchii (*Frid.*) *vita.* 139

S.

Sacerdotes *quando primum ſtipendia acceperint?* 11
Sacerdotum *cœlibatus jam Sec. III magni æſtimatus.* 13
De Sagis *militaribus Diſſ. edita.* 482
Sagittarii (*Ferd.*) *ſcripta.* 333
Saguntina *quædam Inſcriptio.* 401
Saguntini *Theatri deſcriptio.* ibid.
Salem *potui admiſcendi mos veterum Belgarum.* 406
Salia *unde generentur?* 465
Salis *primigenii & ſulphuris metallici conflictus caloris in thermis cauſa.* 466
Salivæ *indoles & uſus.* 168
Salvii (*Salvini*), *Legati Suecici, vita.* 491
— *ad Marchionem Baruthinum Literæ editæ.* 492
De Salisburgenſium *doctrina Evangelica ante Lutherum Diſſ. edita.* 95 ſeq.
Sanguificationis *primarium organon pulmones.* 169
Sanutus (*Marin. ſen.*) *quis fuerit?* 347
— *jun.*) *quis fuerit?* ibid.
S. Sapientiæ *memorabilia.* 60
Satellitum *Jovis eclipſes obſervatæ.* 265
De Satyrarum *uſu vetuſtiſſimo Diſſ. edita.* 475
Satyrica *ſpectacula quæ?* 395
Savanorolæ (*Hier.*) *vita.* 139
Savaronis (*Jo.*) *vita.* 215
Saurini (*Jac.*) *vita.* 139
Saxii (*Joſephi Ant.*) *in Sigonianos de Regno Italiæ Libros merita.* 449
Saxones *unde ita dicti?* 355
De Saxonicæ & *Auſtriacæ ſtirpis diuturna concordia Diſſ. edita.* 475

De Saxonicis *Scriptoribus Diſſ. edita.* ibid.
Sculptores *veteres in gemmis nominati.* 243
Scapularis *Carmelitani Socialitas quæ fuerit?* 119
Scenæ *antiquæ & hodiernæ comparatio inſtituta.* 393
De Scenicis *perſonis & figuris Commentatio promiſſa.* 352
Scenographicum *inſtrumentum novum.* 467
Schaaf (*Car.*) *vita.* 139
de Schœmberg (*Jo. Bapt.*) *laudatus.* 401
Schœnfelderi (*Phil. Jac.*) *ſcripta.* 333
Scholarum *celebriorum hiſtoria.* 199 ſeq.
De Scholis *Palatinis Liber promiſſus.* 360
Schrammii (*Jo. Henr.*) *de vocibus Ablactatus & Abſinthium Diſſ.* 95
Schrœckii (*Lud.*) *vita.* 139
Schuppius (*Jo. Balth.*) *Autor Bibliothecæ Gallo-Suecicæ.* 491
Sciaterica *trigonometrice delineanda.* 212
Sciurus *volans.* 340
Sclopetorum *fulci cochleati quales eſſe debeant?* 263
Scribendi *compendia quæ veteribus uſitata?* 101
Scriptura S. *an e profanis Scriptoribus interpretanda?* 284
Scripturæ *veteris ſpecimina.* 100
S. *loca explicata aut illuſtrata:*
Geneſis. 95
XV, 1. 182
XXXVII, 3. 224
Exod. VI. 94
3. 95
XXVIII, 5. 6. 8. 223. 228
XXXVI, 8. 35. 37. 228
XXXIX, 2. 5. 22. 23. 28. 29. 223. 228
Levit. 95
2 Sam. XIII, 18. 224
1 Reg. VI, 1. 189
2 Paral. II, 6. 228
13. 223
III, 14. 223. 228
Pſ. XII, 2. 224
CXIX, 20. 25. 182
Prov. XXXI, 21. 224
Cant. VI, 9. 183
X, 5. ibid.
Eſ. XI, 14. 148
XXXIV, 12. ibid.
Jer. I, 11. 353
XXII, 14. 224
Ez. I, 27. 28. 228 ſeq.
XXIII, 14. 224
XXVIII, 12 ſeq. 94 ſeq.
Dan. III, 21. 227
V, 7. 228
Matth. XIII, 42. 183
XVI. 364
XIX, 12. 506

Matth.

Digitized by Google

Matth. XXIII, 27. 183
XXIV, 28. 51. ibid.
XXV, 36. 183 seq
XXVII, 35. 224
Luc. I, 69. 184
III, 9. ibid.
XII, 58. 95
XXII. 364
Jo. VI, 55. 184
VII, 17. 364
XI, 11. 184
XXI. 364
Act. XVIII, 18. 95
XXII, 25. 529
Rom. XVI, 1. 95
1 *Cor.* II, 12–15. 364
III, 1–17. 94 seq.
X, 15. 364
16. 230
Gal. II, 9. 9
Phil. I, 27 *seq.* 95
II, 17. 94 seq.
IV, 3. 10
Col. I, 18. 184
1 *Petr.* IV, 6. 95
1 *Jo.* II, 24. 27. 28. 364
V, 6. ibid.
Jac. V, 14. 17
Apoc. I, 8. 184
IV, 3 *seq.* 229
X, 2. 185
XII, 9. ibid.
17. 184
Apoc. XIII, 18. 95
XIV, 13. 185
XVI, 20. ibid.
XVIII, 17. ibid.
XXII, 1. 4. ibid.
Scythæ a *Persis Sucæ vocati.* 355
Scytharum *veterum migrationes.* 353
expeditiones bellicæ. ibid.
Scythica *Chronologia vetus edita.* 352
Scythicæ *Memoriæ editæ.* 352. 355
Scythicarum *rerum sub Mithridatica tempora gestarum historia promissa.* 355
S. Secundelli *vita.* 59
Seldeni (*Jo.*) *in Marmora Arundelliana Commentarii denuo editi.* 49 seq.
Fragmentum Epistolæ ad M. Meibomium editum. 54
Sepeliendi *mortuos mos apud veteres Germanos qualis?* 463
Sepulchra *dealbata hypocritarum symbolum.* 183
S. Sereni *vita.* 57
Pro Seriebus *definiendis æquationes.* 516
Serierum *termini generales.* 263
quæ summari nequeunt, valores quomodo investigandi? 515

Serierum *termini remotiſſimi quomodo obtinendi?* 516
ſummatio. 260.516
interpolatio. 516
ſummatio ad inventionem ordinatorum reducenda. 519
Series *collectivæ.* 260
lente convergentes, quomodo in alias, celerrime convergentes, mutandæ? 518
Serpens *diaboli ſymbolum.* 185
Americæ arboreus. 341
Serry (*Jac. Hyacinth.*) *laudatus.* 361 ſeq.
Severi (*Sulpic.*) *vita.* 499
S. Severi *vita.* 57
Sigillum *Regium Diplomatum veterum deſcriptum.* 106
Sigonius (*Car.*) *de Vita Scipionis recens editus.* 2
emendatus. 451-454
ejus Opera edita. 231 ſeq. 441 ſeq.
vita. 442 ſeq.
controverſiæ cum Franc. Robortello. 444
cum Nic. Gruchio. 445
cum Riccobono. 447
S. Sigratæ *vita.* 60
De Silice *formam cranii humani referente Obſervatio.* 283
Simeonis (*Gabr.*) *vita.* 475
Simiolarum *ſpecies quædam curioſa.* 340
Sirmondi (*Jac.*) *vita.* 215
Sleſuico-*Holſatica Hiſtoria expoſita.* 38
De Societate *Scientiarum Anglicana Orat. edita.* 477
De Solmenſium *Comitum inter S. R. I. Comites eminentia Diſſ. edita.* 475
Somnus *mortis ſymbolum.* 184
S. Spei *memorabilia.* 60
Spieſſii (*Jo.Car.*) *vita.* 139
Spilius *Niceta Pſeudonymus.* 161
Stanyhurſti (*Rich.*) *vita.* 216
Statua *pueri bullati.* 351
De Statua *Ludovici XIV. Gall. R. Lutetiæ poſita, ſingularia.* 599 ſeq.
Statuæ *Deorum hominumque vetuſtiores collectæ.* 241
bullatæ quæ? 350
Statura *humana an noſtro tempore a priſca defecerit?* 475
Steele (*Rich.*) *vita.* 139
Stephani I. *Pont. vita.* 56
Stipendiorum *militarium apud veteres Romanos ratio.* 475
De Stochii (*Sim.*) *viſo narratiuncula.* 119
Streit-Schlangen *quales?* 342
De Stultorum *Societate in Belgio varia.* 407 ſeq.
De Sulcis *in cervice uteri Obſervatio.* 279
Sulphuris *aurati antimonii deſcriptio.* 417

Sulphu-

Sulphuris *metallici & salis primigenii constrictus caloris in thermis causa.* 466
S. Symphoriani *vita & martyrium.* 497

T.

Tangutanæ *literaturæ elementa.* 355 seq.
Tansilli (*Lucæ*) *vita.* 217
Telluris *eclipsis Romæ observata A. 1734.* 356
Templorum *dedicandorum ritus quando ab ethnicis ad Christianos transierit?* 10
Teredines *in lignis abietinis melius nutriuntur, quam in quernis.* 84
nunquam extra lignum in mari vivæ observatæ. 85
quomodo lignum terebrent? ibid.
omnes sunt androgynæ. 87
species conchyliorum. 88
naves & ligna arrodentes. 166
Contra Teredines *quæ remedia adhibenda?* 89
Teredinum, *sive Xylophagorum marinorum, descriptio.* 80
In Teredinum *intestinis innumera animalcula vivunt.* 83
Terminorum *æquidistantium series.* 525
Terra *vitrescibilis metallorum principium.* 465
combustibilis salium principium. ibid.
an post diluvium montosa & minus fertilis facta? 167
Tertullianus *perperam martyribus adscriptus.* 11
an fuerit Christianus? 402
ejus vita. 57
Thales *an Astronomicarum rerum peritus fuerit?* 354
Thebææ *Legionis martyrium an in fabulis habendum?* 497
S. Theodotæ *vita.* 59
De Theologo *non contentioso Dissertationes.* 284
Theophanis *Ceramei Homilia de Restitutione Imaginum edita.* 458
Theophili *Alexandrini nova editio promissa.* 506
Thermarum *calor unde?* 466
Thermometrorum *emendatio.* 263
Thiermairii (*Franc. Ign.*) *scripta.* 333
de Ortu & Progr. Facult. Med. Ingolst. Liber promissus. ibid.
Thiesius (*Jo. Bapt.*) *Launoji adversarius.* 113
De Thomasio (*Chr.*) *acerbum judicium.* 402
ejus vita. 139

De Thrasimeno *Lacu Liber editur.* 478
Tignariæ *artis utilitas in Architectura civili.* 28
Ex Tigurinæ *Civitatis Diplomatibus Specimina edita.* 428
Tindalius *refutatus.* 560 seq.
Torfæi (*Thormondi*) *Chronologia Regum Danorum edita.* 544
Tormentariæ *rei praxis.* 526
— *inventor.* 527
Torneamentorum *origo.* 483 seq.
— *veterum historia descripta.* 568
Tosca (*Th. Vinc.*) *laudatus.* 397 seq.
— *ejus scripta.* ibid.
Tozzi (*Lucæ*) *vita.* 215
Tragici *Scriptores veteres Gallice versi.* 390
Tragicorum *Scriptorum quæ virtutes præcipuæ?* ibid.
Tragœdiæ *veteris origo & historia.* 391. 393
Tralliani (*Phlegontis*) *Fragmenta.* 354
Treylingi (*Jo. Jac.*) *scripta.* 333
Tribonianus *an veterum JCtorum libros comburi jusserit?* 26
De Trinitate *Nicænorum Patrum sententia.* 128 seq.
Troja *num vere excisa?* 314
Trotzius (*Chr. Henr.*) *laudatus.* 159
Tubi *Capillares.* 265
De Typographiæ *inventoribus primis singularia.* 412
Typographicæ *artis quis primus inventor?* 138
Typorum *in febribus ætiologia.* 326

V. U.

Vacchierii (*Car. Ferd.*) *scripta.* 333
de Valbonneys (*Jo. Petr.*) *vita.* 330
Vallæ (*Laur.*) *vita.* 138
Vallisneri (*Ant.*) *scripta & merita.* 35
Variolas *quinam primi descripserint?* 207
In Variolis *ante eruptionem quinam venam secent?* 209
Vaugelasii (*Cl. Fabri*) *vita.* 331
Vayerii (*Franc. Mothæi*) *vita.* 330
Vegetabilia *primarium esse debent nutritionis objectum.* 169
Veneficii *in patrem & fratres commissi exemplum.* 93
Venetorum *Ducum Vitæ editæ.* 346
S. Veri *vita.* 57
Vermes *corporis humani unde nascantur?* 37
Vermiculi *pestis causa.* 166
— *luis bovinæ & equinæ causa.* ibid.
Veteris *Testamenti in lingua Ægyptia editio promissa.* 64 seq.

a S. Victore (Hug.) *Libri de Instit. Novit. editio promissa.* 19
De Victorinis *quinque varia.* 116
Victorinus *martyr quis fuerit?* ibid.
Victoris (*Sex. Aur.*) *Historia Rom. recens edita.* 1 seq.
loca quædam illustrata. 3 seq.
S. Victoris *historia descripta.* 502
Vidæ (*M. Hier.*) *Carmina edita.* 471
loca quædam emendata. 472
Admonitio, Libris Poeticorum præmissa, & similis alia, vulgata. ibid.
vita. 473
Villaderii (*Andr.*) *vita.* 216
Villæ *Regum Germanicorum descriptæ.* 110
Vincentii *Lirinensis Opera edita.* 502 seq.
de ejus Commonitorio varia. 499
Vindocinensis *Monasterii privilegia.* 154
Vinetus *notatus.* 2
Vinnius *plagii accusatus.* 25
De Vino *myrrhato Diss.* 456
De Viris *illustribus Liber cui tribuendus?* 1
Virium *motricium æstimandarum ratio Leibnitiana paralogismi accusata.* 33
Virium *moventium vera mensura.* 134
Virorum *illustrium gemmæ antiquæ collectæ.* 241 seq.
Virtutis *fundamentum quale?* 564
De Viterbiensi (*Jo.*) *varia.* 370
De Vitsenii (*Nic.*) *Libro quodam singularia.* 356
Ulpianus, *Autor Commentariorum in Demosthenem, quis fuerit?* 132
Unigenitus *Bulla errorum accusata.* 8
Voltairii *errores quidam notati.* 552 seq.
de Vorwaldern (*Jo. Menradi*) *scripta.* 332
De Urnis *veterum singularia.* 352
In Uteri *cervice sulci observati.* 279

W.

Wachterus (*Jo. Georg.*) *laudatus.* 407
Wæchtleri (*Christfr.*) *Opuscula edita.* 158 seq.
vita. 159
Waldi (*Petr.*) *vita.* 137
S. Waltheni *vita.* 58
Waltheri (*Lotharii*) *vita.* 138
Waræi (*Jac.*) *vita.* 217
de Water (*Guil.*) *Diss. de Archonte Judæorum edita.* 95

Digitized by Google

De van de Water (*Jo.*) *judicium.* 403
Wernsdorfii (*Gottl.*) *vita.* 139
Wesseli (*Jo.*) *vita.* 138
Westphalicæ *Pacis Acta publicata.* 489 seq.
Wheari (*Degorei*) *vita.* 330
Wiclevi *vita.* 138
S. Wilibaldi *vita.* 253 seq.
De Wilibaldino *Collegio singularia.* 259
Wilkins (*Dav.*) *laudatus.* 63 seq.
Willisii *nervus accessorius qualis?* 67
Wimpinæi (*Jo. Alb.*) *scripta.* 333
Winslovii *descriptio nervorum ad examen revocata.* 68
Wowerius (*Jo.*) *an purioris doctrinæ sacra mutaverit?* 42
Wucherer (*Jo. Frid.*) *laudatus.* 130

X.

Xylandri (*Guil.*) *vita.* 331
Xylophagorum *marinorum descriptio.* 80 seq.

Z.

Zeidi (*Abi*) *Carmen Arabicum editum.* 43
Ziskæ (*Jo.*) *vita.* 138
Zuinglii (*Ulr.*) *vita.* 139

EMENDANDA.

Pag. 18 lin. 20 pro *Sensu* lege *sensu.*
21 lin. 11 pro *Concilium* lege *consilium.*
42 lin. 17 pro *Syntax, ilicet,* lege *Syntaxi, licet.*
63 lin. 62 pro *eiim* lege *enim.*
— lin. ult. pro *cujns* lege *cujus.*
124 lin. 27 pro *docet* lege *decet.*
347 lin. 3 pro *veniri* lege *inveniri.*
352 dele a lin. 29 *addita* ad 31 *facta.*
391 lin. 20 pro *utdebatur* lege *videbatur.*
395 lin. 23 pro *corallarium* lege *corollarium.*
396 lin. 2 pro *Horationa* lege *Horatiana.*

d by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google